Hujusmodi igitur heroum laudes virtutumque praemia et honos fuerunt. Sed praeterea sortem eorum narravit Pindarus et exempla fortunae. Tantalum et Ixionem jam novimus, quorum superbia cladem invenit. [2]) Verum ipsa quamvis praestantium heroum conditio non immunis infortunii fuit. Aevum securum nec Peleo Aeacidae nec Cadmo divino fuit, qui mortalium supremam dicuntur habuisse fortunam, quique etiam in monte Musas canentes ac Thebis audierunt, hic quum formosam Harmoniam duceret, ille vero Nerei sapientis Thetidem gloriosam filiam. Ac Dii apud utrumque convivia celebrarunt, et Croni liberos reges viderunt aureis in sedibus, donaque acceperunt conjugalia: Jovisque voluntate e prioribus exiere laboribus erectoque corde fuerunt. Sed in temporis cursu Cadmum acribus calamitatibus filiae tres parte hilaritatis orbarunt, candidae vero Thyonae Jupiter in dulce connubium venit. Pelei vero filius, quem unum immortalis Thetis peperit, in bello amissa anima, Danais, quum cremaretur, luctum excitavit. [3]) Atque haec ita poëta proposuit, ut exemplum sortis humanae commendaret, doceretque, suis, quas a Deo quisque acceperit, rebus contentum esse oportere. Ejusdem Cadmi proles quibus fuerit et gaudiis evecta et afflicta cladibus, consolandi causa Theronem narravit in carmine Olympio secundo: quem locum supra attigimus. [4])

---

1) *Nem. VII.* 128, *seqq.* 2) Conf. *pagg.* 19, 20.
3) *Py. III.* 153 *seqq.* 4) Vid. *pag.* 27.

§ 7.

De divino rerum humanarum moderamine.

Versati fere adhuc sumus in mythis antiquis: in quibus praeclarae nobis Pindari de rebus divinis deque virtute sententiae innotuerunt. Sed non tantum rerum vetustatem ad Deos retulit, verum in praesentibus quoque rebus laudis eos fortunaeque humanae moderatores omni carmine canit. Omnes virtutis laudisque viae mortalibus a Diis apertae sunt. Fuit olim a Minerva inventa musica et mortalibus tradita: [1]) sed adhuc Deorum auxilio viget. Ex Deo homo semper sapiente mente floret. [2]) E Diis omnes virtutis humanae viae, et sapientes et manu fortes et diserti sunt. [3]) Deo monstrante principium, ad omne opus recta est laudem inveniendi via, finisque pulcrior. [4])

Quae quidem Deorum benigna auxilia a poëta laudantur in certaminum maxime victoriis. Alcimedontem Jupiter fecit victorem Olympiae. [5]) Hieroni in equis jungendis adsunt Diana et Mercurius. [6]) Ad Agesiam vero Syracusanum poëta sic loquitur: „Si revera sub Cyllenes finibus materni tui majores habitantes, Agesia, pie precibus victimisque multum multis donarunt Deorum nuncium Mercurium, qui certamina regit distributionemque praemiorum et Arcadiam honorat, is, o fili Sostrati, cum fulminante Patre tuam perficit fortunam prosperam." 7)

---

1) *Py. XII.* 12. 2) *Ol. XI.* 10. 3) *Py. I.* 79. 4) *Fragm.* Hyporch. apud Heynium 1, apud Boeckhium 5. 5) *Ol. VIII.* 20. 6) *Py. II.* 16. 7) *Ol. VI.* 129.

Emmenidis vero ac Theroni Tyndaridae gloriam dederunt, quia plurimis mensis eos colunt, pia mente servantes beatorum honores. [1]) Quibus exemplis Deorum benignam laudum moderationem conjunctam esse cernimus cum pietatis virtutisque studio in hominibus conspicuo.

Voluit vero semper hoc Pindarus intelligi, non nos nostra regere, sed et principium omne fortunae et spem omnem in Diis reponere oportere. Nam facile eosdem Deos, qui mortalibus gaudia tribuant, ea posse frangere. Non propriam nobis dedere fortunam, sed major illorum potentia est. „Deus quemvis e voluntate sua finem perficit, Deus, qui et alatam aquilam assequitur, et marinum delphinum praeterit, et superborum aliquem mortalium flexit, aliis vero gloriam immortalem tradidit." [2]) Et alio loco: „Si quis bona sibi paravit sine magno labore, multis insipientibus videtur solertia sua suam vitam ornare: sed hoc non in hominum potestate est, verum Deus donat, alias alium evehens, alium vero in immensum dejiciens. [3])

In laudatione autem donorum et beneficiorum, quae Dii tribuunt, memorantur Musae, [4]) Horae, [5]) Gratiae, [6]) et ea, quae rerum humanarum vicissitudinem habet, Tyche sive Fortuna: cui poëta: „A te, Jovis filia, in mari reguntur celeres naves et in terra bella concionesque. Virorum multa sursum multa deorsum inania mendacia capientes volvuntur spes: sed signum nemo mortalium certum de re futura nactus a Deo est: de futuris caeci sermones sunt. Multa hominibus praeter cogitationem

1) *Ol. III.* 70. 2) *Py. II.* 89. 3) *Py. VIII.* 103.
4) *Ol. III.* 7, *Py. IV.* 4. 5) *Ol. XIII.* 23. 6) *Ol. II.* 90, *Ol. IX.* 40, *Ol. XIV.* 7.

ceciderunt, contra voluptatem: alii, quum acres tempestates nacti fuissent, bonum profundum infortunio mutarunt brevi tempore. [1])

Sed satis jam intelligitur, ad Deos omne referri moderamen rerum humanarum, nec nos nostra regere neque ullo modo futura ante posse providere. Dicendum vero est, quale sit Deorum imperium. Benignum esse jam vidimus exemplis iis, quibus victoriae certaminum Diis referebantur acceptae: simul intelligitur, precibus et sacrificiis quaeri Deorum benevolentiam: eam autem benevolentiam manere et a majoribus adeo propagari ad posteros, velut in Agesia, [2]) vel in Jamidis, quorum ortum ab Apolline genus in Graecis mansit clarissimum. [3]) Sed quamvis maxima fuerit Deorum benignitas, vel danda felicitate, vel calamitate compensanda, vel adeo cumulanda fortuna, meminerimus tamen ea, quae antea de Deorum potentia scripsimus, quam sit a nobis diversa. Ipso eo loco, quo maxime Pindarus Deos hominesque copulat, utrisque tribuens eandem originem, tamen potentiae discrimen in eo ponit, quod coelum, in quo Dii habitent, labi non possit, nos vero mortales simus et nescii fati sortisque futurae. Quapropter intelligendum est, temperari ita a Diis res hominum, ut perpetua ac perfecta sine clade ulla vel periculo fortuna horum esse non possit: hoc enim ipsum labi non posse immortalium proprium est, non hominum. [4]) Ad Hieronem regiis opibus et Olympia equestri victoria clarum scribit quidem ita, ut laudet ejus fortunam magnopere,

1) *Ol. XII.* 4, *seqq.* 2) Conf. *pag.* 33.
3) *Ol. VI.* 120. Conf. *pag.* 28. 4) *Nem. VI. initio.* Conf. *pag.* 18.

et majorem etiam optet curuli parandam victoria, Deumque precetur, ut ejus optatis sit propitius, sed tamen aliquem finem ponit precandi ac fortunae terminum, nec longius spectandum regi esse monet. [1]) Imo vero, quanquam haud sane tristis esse solet, affert aliquando, quod dictum olim fuerat, cum uno bono duo mala tribui hominibus a Diis: [2]) vult quippe intelligi, non perpetuam sperandam esse incolumitatem, idque eo quidem modo affirmat, ad eundem Hieronem scribens, qui tum maxime videtur se passus esse rebus adversis affligi nec satis attendisse ad ea bona, quibus frui poterat: est enim carmen Pythium tertium, e quo hanc sententiam retulimus, plenum admonitionis de fortunae humanae mediocritate: idque ipsum, quod jam diximus aliquoties, quod Graece *τὸ ἀσφαλές* dicitur, quod labi non possit, ne vetustis quidem heroibus, qui supremam habuissent fortunam, contigisse docet: [3]) quippe Deorum id est proprium. Hinc illa frequens ejus vox, eum, qui summam nactus sit felicitatem, debere esse contentum, nec quaerere fieri Deum. [4]) Hinc in ipsa felicitatis magnitudine laudandâ aliqua poëtae cautio ac modestia est: velut clarissimas Corintho artium inventione, ornamentis templorum, belli fortitudine datas a Diis laudes commemorat, sed, sortis memor humanae, quamque Dii superiores sint, subjungit: „Summe, qui late regis Olympiam, ne invideas verbis meis, quibus illam urbem ornavi, per omne tempus, Jupiter, et hunc sine damno regas populum." [5]) Scripsimus antea, quanto fuerit pu-

---

1) *Ol. I.* 182. 2) *Py. III.* 145. 3) *Ibid.* 153.
4) Velut *Ol. V.* 57. 5) *Ol. XIII.* 34.

dore Deorumque reverentia ductus Pindarus, ne malediceret Diis:[1]) ac tamen Deorum invidiam memoravit. Nam subest omnino quidam invidiae divinae metus iis precibus, quas modo attulimus. Tum vero in carmine, quo Hippoclem Thessalum ornavit, puerum praestantissimum, patre tam glorioso, ut Olympiae ac Pythone victorias reportasset, refert quidem filii victoriam et felicitatem ad Apollinem, qui illud ei bonum tribuisset: verumtamen, quum tantam haberet felicitatem is, qui ipse victor filium victorem videret, ut major non posset contingere homini, nec supra humanam ad coelestem fortunam adspirare liceret, eodem modo precatur, ne in invidas a Diis conversiones incurrant.[2]) Atque unum praeterea locum adjungamus, quo melius intelligatur, quam sit ipsa mortalitas, qua sane nihil hominibus magis proprium est, conjuncta cum omnium rerum omnisque fortunae fragilitate. Laudans Strepsiadem, se quidem canturum esse dicit nexa coronis coma: sed, scribens ad dilectissimum virum, vota pro eo facienda, quasi ad se pertineant, ad se ipse refert: „ne frangat Deorum invidia dulcedinem, quam quoque die persequar, tranquillus contendens ad senectutem et ad fatale aevum: morimur enim cuncti pariter, sed fortuna non est omnibus eadem: si quis longinqua spectat, ut continuo veniat ad Deorum aeneam sedem,[3]) sciat, Pegasum abjecisse Bellerophontem, ad sedes Deorum in Jovis concilium cupientem venire: dulcedinem eam, quam nos

---

1) Vid. § 1. 2) *Py. X.* 31. Conf. *Ol. VI in fine.*

3) Sic quidem rursus Pindarus significat nimiae fortunae spem, quae dedeceat hominem.

non jus est optare, acerbissimus manet finis." [1]) Quae quidem considerantibus haud sane invidia quaedam Deorum ita a Pindaro narrari videtur, ut eum dedeceat: sed contra haec ejus sententia ex eodem fonte fluxit, ex quo omne ejus de Diis meliora dicendi studium, quum culpam vitandam esse putaret, non tantum pie de Diis modesteque narrando, sed ab iisdem pie etiam et cum pudore precando atque optando, omnino recordando, quam simus Diis inferiores. Quam quidem pietatem ipsam optimam viam felicitatis divinique favoris putavit. „Jupiter," inquit, „magnae laudes mortalibus ex te contingunt: vivit vero major fortuna metuentibus Deos, sed aberranti animo non pariter omni tempore florens adest." [2])

Verum pergendum est. Non enim hujus tantum vitae, mortisque, quae manet nos, moderamen Deorum est, sed cognoscendum est etiam illud, quod futurum est postea. „Eorum, qui hic sunt mortui, debiles mentes continuo poenas dant, et quae in hoc Jovis regno commissa sunt maleficia, sub terra judicio aliquis persequitur infesta vocem edens necessitate. Noctibus pariter ac diebus solem vident boni sine labore vitam habentes, nec terram moventes manibus nec maris aquam propter victum tenuem: sed qui jurisjurandi fidem amarunt, apud honoratos Deorum sine lacrymis aevum vivunt: alteri

---

1) *Isth. VII.* 55, *seqq.* Omnino ita verto ut possum et ut intelligar: sed interdum me meae operae piget. Velut haec ipsa sententia Graece tanto brevior est quanto gravior:

τὸ δὲ πὰρ δίκαν
γλυκὺ πικροτάτα μένει τελευτά.

2) *Isth. III.* 6.

vero visu horrendum laborem obeunt. Quotquot sustinuerunt ter utrobique manentes ab omni mentem abstinere injuria, perfecerunt viam Jovis ad Croni turrim: ubi circum beatorum insulas oceani aurae spirant, floresque aurei ardent, alii terreni a splendidis arboribus, alios pascit aqua, quorum sertis manus redimiunt in justo Rhadamanthi judicio." [1]) Similiter alio loco praedicat solem lucere beatis tum, quum nox sit apud nos, esse campos rosis nitentes purpureis:

παρὰ δέ σφισιν εὐανθὴς
ἅπας τέθηλεν ὄλβος.

Omnis surgit apud eos florida beatitudo. [2]) Ille sane vitae finem datumque a Jove novae principium vitae cognovit: copulavit inter se *βίου τελευτάν, διόσδοτον ἀρχάν.* [3]) Atque Jovis viam vitamque nostram triplicem Plato quoque in Phaedro posuit, quum interfuisse aliquando diceret nostras animas divino itineri, quo duce Jove Dii spectant ea loca, in quibus ipsa est veritas: cujus spectaculi retinendam esse et excitandam memoriam; alis tum instructas fuisse animas, et veri philosophi animam tertio itinere recuperare eas: reliquorum quoque triplicem fieri vitam, et pro meritis esse praemia. [4]) Pindarus vero justis animis divinam viam ipsius Jovis apertam esse docet ad beatorum insulas et ad Croni regiam. Etenim remota est longe perfecta beatitas, et tamen ejus desiderium non remotum ab optimis quibusque mortalibus: igitur via longa est, inque locis iis, ubi beatitas est,

---

1) *Ol. II.* 104, *seqq.* 2) Fragm. Thren. I.
3) *Fragm.* apud Heynium, Incert. XCVI, apud Boeckhium Thren. 8.
4) *Phaedr.* 246 *D* — 249 *D.*

Croni est imperium: qui quum ante Jovem remoto aevo rexisset omnia, sponte longinqua desiderantibus et cogitantibus excitabat sui memoriam. Ceterum Pindari in justissimo aeternae vitae moderamine Diis tribuendo tanta est simplicitas, ut et intelligatur ejus sententia et quantopere valeat ad justitiae amorem Deorumque metum non opus sit dicere. Unum adjungimus. Fabula fuit, a Jove de coelo Cronum pulsum esse. Nihil de vi ac proelio apud Pindarum. Remotum Croni imperium, sed magnum: neque hoc habet terrestre regnum, sed beatis praesidet. Via autem, per quam ad ejus arcem perveniendum est, Jovis est, ejusdem, qui has regit terrrs, in quibus nunc quidem sumus. Sic quidem Pindarus, qui de Diis bona dicere hominem oportere putavit, cum Crono Jovem et aeternam beatitatem cum vita mortali copulavit.

CAPUT II.

DE REBUS HUMANIS.

§ 1.

De laude ludicra ac bellica.

Exposituris jam Pindari de rebus humanis sententias non potuit fieri quin ordiendum nobis videretur a laude certaminum ludicrorum. Ipsum Pindarum divino fato tempore Pythiorum natum esse ferunt. Fuerunt ei so-

lennes ludi supra res reliquas omnes carissimi, ut eximiis eorum laudibus summopere delectaretur. Quam dignissimam sane dicimus Poetae canendi fuisse materiem. Vix enim quidquam invenias, quod fuerit cum ipsius Graeciae laude conjunctius: nec dicere dubitaveris, quemadmodum singulae urbes libertate, concione, legumque vinculo suam habuerunt sibique propriam praestantiam, sic universam Graeciam sacra illa ludorum celebritate legitimoque conventu praestitisse barbaris. In Persis sane Tritantaechmes, quum Olympiorum rationem accepisset, exclamavit: „Vae Mardoni! adversus quos viros nos in proelium ducis, qui non de pecunia, sed de laude contendunt certamine!" [1]) Corporis exercitatio, curruum, equorum, armorum tractatio, splendor divitiarum, Musae praestantia ibi nobilitata sunt. Vidimus antea, magnas saepe in Pindari carminibus esse laudes heroum, qui prius fuerant. Sed horum ipsorum non tantum memoria, sed ipsa virtus ludis illis quasi propagata est pectoribus generosis. Quomodo aliquis ad Herculis, Pelopis, Aeacidarum gloriam propius potuit accedere, quam si in justissimo judicio, in totius Graeciae oculis, fortitudinis nancisceretur praemium? Fuit autem profecto certaminis et parandi et perficiendi labor ingens: sed ingens pariter dulcedo victoriae. Canit Pindarus: „celeritas pedum certat ibi ac summa roboris fortitudo: victor autem in reliqua vita dulcem quietem habet propter praemia." [2]) Alio loco: „sine periculis laudes neque in hominibus neque in cavis navibus honoratae: multi vero meminerunt, si qua laus

1) *Herodot. VIII.* 26. 2) *Ol. I.* 154, *seqq.*

cum labore parta est." [1]) Chromii Aetnaei laudes celebraturus; „Principia Deorum sunt posita cum illius viri laudibus: est in felicitate omnis gloriae fastigium: magnorum praemiorum Musa meminisse amat." [2]) Verum ipsarum harum victoriarum laudes si velimus persequi, nullum, ut facile intelligitur, Pindari carmen non commemorandum sit. Pauca tamen et in prooemio et nunc idcirco monuimus, quoniam, nisi intelligamus, praestantissimam fuisse ludorum gloriam ac Pindaricae Musae praeconio dignissimam, ipsa Pindari sapientia percipi nullo modo potest.

Etenim quemadmodum cum tanta certaminum laude multarum laudes virtutum conjunctae fuerunt, sic poeta eam cum reliquarum virtutum laudibus et celebrando copulavit et commendando. Et arctissimam in primis laus ludicra cum laude bellica cognationem habet. Utraque corporis robur et exercitationem, animi vero fortitudinem sibi vindicat: in utraque praeterea paritur Helladi decus. Delectatus Herodotus est fortium laude virorum, qui Graeciae libertatem a barbarorum incursionibus liberassent. Attamen, si ab ea discedas, vix quanquam invenias, quam lubentius memoraverit, quam eam, quae ludicris esset victoriis parta. Quidni ergo hujus praeco vicissim etiam illam praedicet? Hieronis in primis laudator fuit: ac multis hic sane ludicris victoriis ornatus est. Idem vero armis patriae suae quietem paravit. Cui poëta: „Te, Dinomenis fili, Zephyria Locris virgo domo egressa laudat, e difficilibus hostilibus laboribus propter tuas vires tranquillitatem nacta." [3]) Inque eodem

1) *Ol. VI.* 15. 2) *Nem. I.* 11. 3) *Py. II.* 34.

carmine: „adolescentiam juvat audacia bellorum vehementium: unde dico te quoque infinitam gloriam invenisse, et in equitibus pugnantem et in peditibus." [1]) Vicerunt eodem tempore Gelo et Hiero Carthaginienses, quo Athenienses ad Salaminem Persas. Conjunxit autem eas laudes Pindarus: „Syracusius rex juventam hostium e celeribus navibus in mare conjecit, Helladem extrahens e gravi servitute. Feram de Salamine propter Athenienses mercedem, Spartaeque laudabo proelium ad Cithaeronem, quibus proeliis Medi arciferi fatigati sunt, et ad amoenam ripam Himerae filiis Dinomenis hymnum persolvam, quem propter virtutem acceperunt, hostibus domitis." [2]) Pugnam laudavit ad Artemisium factam: „ubi filii Atheniensium jecerunt illustre fundamentum libertatis." [3])

Omnino cernimus Pindarum Graeciae libertate et fortitudine delectatum fuisse. Et fuit profecto in illo bello, quod adversus Persas Graeci gesserunt, sententia Graecorum ejusmodi, quae cum certamine Olympio comparanda esset: neque enim Persarum ditionem vel divitias concupiverant, sed conatus eorum superbos indignati sunt: fuitque non de pecunia iis sed de laude certamen. Victorum autem praemia, qui Marathone Persas fugarunt, nonne et praestantia et simplicitate cum illa Olympia olivae corona conferenda sunt? Mortuos eo ipso loco, quo ceciderant, humarunt, hunc insignem honorem iis convenire judicantes: Miltiadis vero imaginem primam in proelii descriptione posuerunt. Plutarchus, si

---

1) *Ps.* 117. 2) *Py. I.* 142.
3) *Fragm.* Heyn. Inc. XL, Boeckh. Inc. 93.

quis alius posterioris aetatis scriptor, et nutritus vetustae Graeciae sensu fuit et eum saepe expressit. Et nescio, an nullo loco propius ad Pindaricam accedat sententiam, quam eo, quo Themistoclis enarrat consilia omnia in Graeciae libertatem vindicandam collata: desumit enim verba ipsa de palaestra: „praevidebat Themistocles futurum et majora certamina, ad quae se ipse unxit perpetuo pro tota Graecia et civitatem exercuit." [1]) Idemque Themistocles postea, ut fama est, Olympiae dulcissimum se invenisse professus est laborum praemium, quos pro Hellade sustinuisset: quum a certamine, cujus spectandi causa venerant, ad illum spectandum omnes converterentur, illumque ignotis cum admiratione et plausu commonstrarent. [2])

Sed redeamus ad ipsum Pindarum: nam unum praeterea exquisitae sententiae locum non praetermittendum esse putamus. Strepsiades Thebanus in Isthmiis victoriam reportavit: ejusdem maternus avus, eodem nomine, occubuerat pugnans pro patria. Pindarus autem de illo: „lucidis illustratur Musis, maternoque avo, cujus idem nomen erat, dedit commune decus, Mars cui mortem admovit. Honor fortibus est propositus. Sciat enim luculenter, quisquis in tali tempestate imbrem sanguinis a dilecta patria arceat, perniciem ferens adversario exercitui, se suae genti maximam augere gloriam et vivum et mortuum. Tu, Diodoti fili, fortem laudans Meleagrum, laudans et Hectorem Amphiaraumque, florentem exspirasti aetatem in propugnatorum turba, ubi fortissimi habuerunt belli discrimen extrema spe. Passus sum

1) *Plut. Themist.* 3. 2) *Plut. Themist.* 17.

luctum nefandum: sed nunc Deus mihi serenitatem e tempestate donavit." [1]) Quanta haec consolatio, petita de Isthmia victoria in luctu per bellum illato? Quid potuit amantius scribi? Quodsi Themistocles, quum Olympiae eum Graecia plausibus excepisset, suorum se laborum mercedem habere dixit: quid tandem de Pindaro judicandum est, qui mortem fortissimi avi nepotis putavit gloria compensari, et carmine praestantissimo sic dedit utrique commune decus, nt quasi divinae voci videatur obtemperasse, fortem virnm etiam mortuum tradere Musarum praeconiis jubenti. [2])

§ 2.

De pietate erga Deos.

Ludorum certamina non dicenda sunt pietatem erga Deos sibi habuisse conjunctam, sed potius quae spectabatur ibi laus fortitudinis, ipsa pietate continebatur: ipsum enim certare erat Deum colere; nam erant ludi Deorum, sacra stadia, ipsorum sacrificiorum divinus honos ludorum pars. Velut Olympium certamen Hercules, primitias victoriae quum referret ad Jovem, in ejus honorem perpetuum instituit, totumque consecravit ad Alpheum lucum. [3]) Ergo spectatum venire pietatis erat. Socrates ille praeter militiam semel Athenis se abfuisse affirmat, ut Isthmiis interesset. [4]) Certare vero erat ornare Deos. Carminibus ergo illa certamina praedicando Pindarus in ipsa sumenda canendi materia pius fuit.

---

1) *Isth. VII.* 87, seqq.
2) *Isth. VIII.* 181.
3) *Ol. X.* 53, *seqq.*
4) *Plato, Crit* 52. *B.*

Sed ratione carminum egregiam pietatis sententiam maxime commendavit: neque enim, quamquam ad victores scribens, in ullo carmine eos ita laudavit, quin Deos ornaret, et ad Deorum honorem victoriae praedicationem valere vellet. Theronem celebraturus incipit continuo: „Citharae domini hymni, quem Deum, quem heroem, quem virum celebrabimus? Pisa quidem Jovis est; Olympium certamen instituit Hercules: Thero laudandus ob curulem victoriam." [1]) Timodemum Nemeae victorem canens: „Unde Homeridae fere incipiunt, Jovis ex prooemio, hic quoque vir sanctorum certaminum victoriae principium accepit primum in Nemeaei Jovis laudatissimo luco." [2]) Praestanti vero pietatis laude Psaumidis Camarinaei victoriam decoravit: „Ille tuam urbem augens, Camarina, aras bis sex honoravit in festis Deorum maximis, victimis et certaminibus. Tibi gloriam laetam victor retulit, suumque patrem Acronem nunciavit sedemque recentem. Veniens ab Oenomai et Pelopis amoenis sedibus, o custos urbis Pallas, canit sanctum tuum lucum, fluviumque Oanin, et lacum incolam amnesque claros, quibus Hipparis populum irrigat." [3])

Possimus autem hoc loco esse copiosi, et afferre exempla quamplurima, quibus appareat, et referendo ad Deos acceptas victorias omnemque laetam fortunam pietatem erga Deos commendasse Pindarum, et spem rerum futurarum in iisdem ponendam esse docuisse: sed dixisse satis sit, eum semper praeclaram de Diis deque divino rerum humanarum moderamine sententiam, quemadmodum eam antea describere conati sumus, ita tra-

---

1) *Ol. II.* 1, *seqq.* 2) *Nem. II.* 1. 3) *Ol. V.* 8, *seqq.*

didisse ceteris, ut optimo quemque consilio ad metum Deorum vocaret. Velut ad Hieronem, quum is haud satis videretur suis rebus esse contentus, scribit: „adversus Deum non certare oportet: ferre leviter sumtum in colla jugum juvat: adversus stimulum calcitrare impetus periculosus est." [1]) Sic quidem vitae morumque praecepta cum rerum divinarum commendatione conjunxit. Praeclara vero sunt, quae scripsit ad Arcesilam, qui in Pythiis victoriam reportaverat, monens eum, ut, hac tanta accepta gloria, porro ne oblivisceretur omni rei Deum auctorem praeponere. [2]) Videmus Poetam voluisse eorum, qui certando Deos ornassent, essentque praemiis ornati a Diis, jam totam vitam pietate cerni conspicuam.

§ 3.

De caritatibus.

Conjungit apud Pindarum Chiron metum summi Jovis cum parentum amore, hisque sensibus Achillem pariter ambobus imbuit. [3]) Quodsi autem Pindarus epinicia carmina sua continere egregiam voluit pietatis erga Deos commendationem, eundem maximam laudum praestantiam contulisse in eos, qui quendam parentum locum haberent' nonne ex iis jam intelligi potest, quae antea scripsimus? Nam quo valebat laus Aeacidarum, nisi ut Aeginae cives tantis majoribus delectarentur eorumque laude incitarentur? Et reliquorum heroum insignia fuere praeconia non

---

1) *Py. II.* 162, 171. 2) *Py. V.* 33. 3) *Py. VI.* 23.

sine civitatum, gentium, civium caritate, qui aliquam eorum gloriae communionem ad se referrent: quin etiam originum consecratione clarissimarum civitatum et gentium ipsos Deos fecit auctores, ut, quos adorarent mortales, eosdem caritate complecterentur.

Graeciae vero quo studio Pindarus fuerit, testantur cuncta ejus carmina in praestantissimum collata Graeciae decus: oderitne barbaros nescio, qui in odiosis rebus fere siluit: sed eos, qui pro Graeciae libertate fortiter adversus Medos pugnaverant, praeclare laudavit. Ceterum suam ipse dilexit urbem. Accepimus, haud magna ingenii fama antiquitus in Graecis Boeotos fuisse: quam ignominiam licet laude sua longe superaverit, tamen aegre tulit et abstergere voluit. [1]) Herodotum Thebanum canens incipit: „Mater mea, clarae Thebae, tuum opus negotio etiam superius ponam: quid bonis carius quam dilecti parentes?" [2]) Sed ille in quasvis Graeciae civitates praeclara Musarum tela conjiciens, modo fertilitatem Siciliae, [3]) modo Cyrenae amoenitatem, [4]) modo laudes Atheniensium, [5]) Locrorum fortitudinem justitiamque laudavit, [6]) Aetnae urbis felicitatem laudando extulit, quod recens condita Hieronis victoria illustrata esset, qui se victorem voluisset Aetnaeum vocari: [7]) impletamque totam suae sapientiae laude Graeciam revera optimo caritatis vinculo copulavit.

Atque, ut a latiore patriae caritate recedamus et ad cognationis amicitiaeque vinculum veniamus: Chromii laudem cum matris ac duorum filiorum laude conjun-

---

1) *Ol. VI.* 151. 2) *Isth. I.* 1. 3) *Ol. I.* 19. 4) *Py. IX.* 15.
5) *Py. VII.* 1. 6) *Ol. X.* 16. 7) *Py. I.* 58.

git:[1]) Aristomenis eximiam felicitatem praedicat, quum iis, quos vicisset, non pariter ad matrem venientibus dulcis risus excitaret gaudia:[2]) Agesidamum, pugilem victorem Olympiae, vult ferre gratiam Ilae, quemadmodum tulerat Achilli Patroclus.[3]) Laudat hospitalitatem,[4]) congruam sane victoriarum magnificentiae et laetitiae, ipsaque conviviorum candida gaudia.[5]) Multum etiam Melesiam memorat, doctorem palaestrae, nomenque magistri, discipulorum ornatum victoriis, poetae voce propagatum est ad posteritatem.[6]) Arcesilae Cyrenaeo, cujus auriga Carrhotus victoriam reportaverat, mandat, ut Deum quidem veneretur, Carrhotum vero amet supra reliquos sodales.[7]) Hippocleam vero, ipsum victorem, filium victoris, earum laudum, quas mortale genus attingimus, pervenisse canit ad cursum extremum.[8]) Psaumidem Camarinaeum, qui recentem sedem patremque suum Acronem victor nunciavit, et laudibus extulit et precibus prosecutus est, ut ipse etiam senex praesentibus filiis summam humanae felicitatis capesseret.[9])

Verum oportet eximium quoddam hujus generis exemplum non praetermittere, ejus carminis, quo Thrasybulum donavit, victoris Xenocratis filium in Pythiis victorem curuli certamine, praeclarum juvenem et singulari erga patrem pietate conspicuum. Erat ejus patruus quoque Thero victoria clarus. Comparat eum Poeta cum heroe Antilocho, „qui pro patre Nestore occubuerat, vehementem sustinens ducem Aethiopum Memnonem: Nestoris enim currum equus impedivit, Paridis vulneratus

1) *Nem. IX.* 9. 2) *Py. VIII.* 121. 3) *Ol. X.* 21.
4) *Ol. II.* 170. 5) *Ol. I.* 17. 6) *Ol. VIII.* 71. *Nem. IV.* 151.
7) *Py. V.* 34. 8) *Py. X.* 45. 9) *Ol. V.* 18, 58.

hasta: Memnon admovet hastam robustam: Messenii senis concussa mens vocavit suum filium, neque humi vocem abjecit: divinus vir emit morte vitam patris, visusque est vetustorum hominum adolescentibus, immenso perfecto opere, summus esse erga parentes pietate. Illa praeterierunt. Eorum vero, qui nunc sunt, Thrasybulus maxime ad paternam normam venit, patruoque veniens ostendit laetitiam. Gaudet adolescens continentia, justitia, sapientia, studiis equestribus, dulcisque ei mens est, et in sodalium convivio superat apium dulcedinem." [1])

Sic quidem optima amicitiae gaudia, officia in cognatos, pietatem erga parentes. caritatem patriae civitatis, conjunctionem totius Graeciae, majorum memoriam commendavit Pindarus, haud praetermissis reliquis virtutibus; laudesque victorum sive ad progeniem proferendo, sive ad gentium auctores, sanguinem Deorum atque ipsos Deos referendo, nescio quo modo, sempiterna impertiens praeconia, amoris et caritatis quandam commendavit aeternitatem. Nec vero etiam mortuos siluit, nec vivorum gloriae communione orbatos esse sivit. Asopichum Orchomenium celebrans: „nigram nunc," ait, „Proserpinae domum ito, Echo, patri gloriosum ferens nuncium, ut dicas, filium ejus Pisae gloriosorum alis praemiorum cinxisse comam." [2]) In carmine, quo Alcimedontem laudavit: „Patri ille patris animum inspiravit, senium qui pellit. Hadis obliviscitur, optata qui nactus est. Sed me decet mentionem excitare victoriasque dicere Blepsiadarum, sexta quos jam corona circumdat. Est etiam aliqua mortuis pars, ex lege facta, neque obruit pulvis

1) *Py. VI.* 2) *Ol. XIV.* 28.

consanguineorum amorem. Ex Mercurii filia Angelia audiens Iphion nunciet Callimacho illustrem honorem Olympiae, quem eorum genti Jupiter tribuit." [1]) Dinidem Aeginetam, adolescentem Nemeae victorem, praeclaro donavit carmine, ejusdemque patrem, si fieri poterat, eam laudem spectare voluerat, sed tamen ejus decorat memoriam: „tuam," inquit, „Mega, animam reducere non possum: sed genti tuae magnum exstruere lapidem musicum." [2])

Unum restat ut moneamus, non commendavisse sollummodo Pindarum studia caritatum, sed non aliud praeclarius esse amicitiae et caritatis exemplum quam ipsa singula ejus carmina. Quae quam amanter scripta sint, ut res ejus, ad quem scribat, omnino ad se pertinere ostendat, jam potuit ex iis fere, quae exposuimus, intelligi. Sed fuerunt ejus carmina munera ac dona, quibus significaret ac testaretur suam erga victores voluntatem, firmaretque et conciliaret sibi eorum amorem. Comparat sua carmina nectari, quod fundat mittatque victoribus: [3]) comparat aureae paterae, quam socer genero tribuat in sponsalium celebratione: [4]) inscriptum in sua mente victorem, cui carmen debeat, habet, debitumque solvit cum foenore: [5]) omnino fuit sapiens: sed sapientiam suam et Deo se debere professus est, et fructum ejus ad amicos pertinere voluit. [6])

---

1) *Ol. VIII.* 93. 2) *Nem. VIII.* 75. 3) *Ol. VII.* 13.
4) *Ol. VII.* 1. 5) *Ol. X.* 1. 6) *Ol. XI.* 8.

§ 4.

De justitia.

Pindarus quanti fecerit gloriam victoriarum, non opus est saepius dicere. Et tamen divitiarum splendorem, victoriarum ornatum laudibus, tum laudandum putavit, si quis, qui eum habeat, cogitet futura, sortemque meminerit, quae justos maneat post mortem et injustos. [1]) Nec coronas Olympiae tantum et Pythone atque Nemeae, sed eas aliquando petere jussit, quae in insulis beatorum iis paratae sunt, qui ab omni mentem injustitia abstinere potuerint. [2]) Et omnino ejusmodi ejus sententia fuit, ut justitiam laudaret et commendaret. Velut in adolescente Thrasybulo eam virtutem cum summa erga patrem pietate conjunctam cecinit. [3]) Psaumidi Camarinaeo ut Deus benevolus sit et optata tribuat precatur, propterea quod tum reliquis laudibus sit conspicuus, tum vero sincera mente ad tranquillitatem patriaeque amorem conversus: [4]) eundemque laudavit, quod e difficultate duxit in lucem populum suornm civium. [5]) Hieronem vero, qui regium in opulenta Sicilia sceptrum tenuit, carpens culmina laudum omnium, [6]) magnopere et copiose adhortatus est, ut justitiam coleret vitaretque invidiam: „Ne laudes," inquit, „remittas. Rege justo gubernaculo populum: ad incudem mentiri nesciam tunde linguam. Si quid vel parvum praetervolat, magnum tamen

---

1) *Ol. II.* 102. 2) *Ibid.* 123, *seqq* 3) *Py. VI.* 48.
4) *Ol. IV.* 26. 5) *Ol. V.* 32. 6) *Ol. I.* 20.

fertur, profectum a te. Multorum rector es: multi testes utrisque, recte tuis maleque factis. Decoris in consiliis permanens si cupis dulcem semper famam audire, ne nimis graveris sumtibus: emitte gubernatoris instar velum ventis. Ne capiaris, o amice, facilibus lucris, postera fama sola mortuorum virorum vitam indicat et scriptoribus et poetis. Non interit Croesi liberalis virtus, sed crematorem aeneo tauro, crudelem mente Phalarim, infesta ubivis fama habet, neque eum citharae dulcibus excipiunt cantibus. Bene agere primum praemiorum est: bene audire sors secunda: utrumque qui nactus est, supremam coronam accepit." [1])

Sic quidem potentissimum regem adhortatur, et monet exemplis, ut posteritatis etiam judicium ob oculos habeat, velitque liberalitate et justitia mansuram gloriam quaerere. Atque eundem laudavit propter virtutem illam, quae solet esse regibus difficillima, videturque stultitia iis, qui sua regna saluti populorum anteponunt, siquidem, ut ait Sallustius, „regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est." [2]) Idcirco praeclaram commendat poeta Hieronis laudem, appellans eum mitem civibus, non invidentem bonis, hospitibusque patrem mirabilem. [3])

Quam vero voluerit verum a falso distingui, morumque et orationis simplicitatem secutus sit, respuens adulationem, intelligitur e carmine Pythio secundo, ad eundem Hieronem scripto. Admonet eum, ut ipse qualis sit intelligat, nec tamquam pueris auscultet, qui eum, qui sibi ludus sit, quamvis simium, semper laudent. Non

---

1) *Py. I.* 165, *seqq.* 2) *Bell. Cat.* 7. 3) *Py. III.* 124.

ita Rhadamanthum fecisse, sed cepisse fructum incorruptae mentis, non delectatum animo fallaciis, quod evenire solet hominum adulatorum fraudibus. [1])

Pergit autem ita, ut boni civis probique hominis describat officia: calumnias esse malum invictum: sed, in communi pravitatis fallaciarumque illuvie, suberis instar non tingi oportere, quum ceterum rete mergatur. Nec fieri posse, ut astutus civis fortem vocem edat inter bonos, sed illum cunctis pariter adulari, flexum per orbes: non veniendum esse in ejus impudentiae societatem. Amandum esse amicum, sed inimico occurrere oportere modis omnibus quasi lupum. In omni republica hominem orationis apertae proficere, in tyrannide, et ubi sapientes civitatem gubernant. [2])

Omnino recte monuit: neque enim quidquam fallaciis pestiferum magis, et calumniae ipsae adulationibus conjunctissimae sunt, ejus hominis, cui quum bonae artes desint, mendaciis contendendum est et per orbes captanda benevolentia. Expressit idem praeclare ille de scena philosophus Euripides: „istud est, quod mortalium bene constitutas civitates domosque perdit, nimis pulcri sermones: neque enim quod auribus placeat dicere decet, sed ex quo aliquis laudem nacturus sit." [3]) Pindarus sane, quum praestantissimas amicis laudes impertiverit, nisi vera via incesserit, contemnendus sit: sed ipse quum qualis esset intelligeret, invidiam calumniamque et adulationem exosus, veramque orationem habens, non auribus placere, sed virtutem animis commendare studuit: fuitque tam copiosus in commendandis bonorum laudibus, quam

1) *Py. II.* 131. 2) *Py. II.* 140. 3) *Hippol.* 486.

vehemens in invidia refutanda eorum, qui detraherent gloriae et obscurare fortium virorum praeclara facinora conarentur. [1]) Neque enim injustam obtrectationem ferendam esse putavit: ideoque quasi lupum dixit inimicis occurrere oportere.

Scilicet ipsis inimicitiis delectatum fuisse Pindarum ne quis existimet: sed sive ames, sive inimicus sis, aperto te esse jubet animo. Nam contra caritates amicitiasque quanti duxerit, vidimus antea. Idque etiam apparet ex praeceptis iis, quibus Arcesilam Cyrenensem adhortatus est.

Etenim quassatae civitatis curam mognopere huic regi commendat: „decet," inquit, „mitem admovere manum vulnusque curare: facile enim est concutere rempublicam vel levioribus hominibus, sed in loco rursus eam statim constituere est difficile, nisi Deus sit ducibus gubernator. Aude omnem in opulenta Cyrene ponere curam." [2]) Commendat porro Arcesilae Demophilum, tum exsulem, Thebis commorantem, suamque ipse magnopere interponit amicitiam, ut ei in patriam redire liceret: desiderium patriae, quod erat Demophilo, ponit ob oculos, gloriamque ipsi Arcesilae ex illius reditu futuram ostendit, cumulaturus eam ipse carminibus. Causam addit praeterea magnam, in moribus Demophili positam, sapientia conspicuis, placidis mitibusque, maxime vero simplicibus et apertis: „maledicentiam silere cogit, didicit superbientem odisse, nec certat adversus bonos: precatur civibus tranquille misceri, nec cuiquam malum faciens, et ipse nihil a civibus patiens." [3])

---

1) *Ol. II.* 173. 2) *Py. IV.* 482, *seqq.* 3) *Py. IV.* 498, *seqq.*

§ 5.

De continentia.

Omnem, quam exposuimus antea, Pindari de Diis sententiam ejusmodi esse jam tum intelligebamus, ut modestiae ac temperantiae maxima inde commendatio exsisteret. Nam interest hoc inter Deos et homines, quod nos mortales sumus nostraque caduca sunt, illorum vero et ipsa sors mortalitatis immunis et imperium rerum nostrarum penes illos est. Quae sententia ipsam, de qua modo scripsimus, justitiam continet. Nam divini moderaminis cogitatio non delectat mentem hominum invidorum, sed ad terminum aliquem nimis longinquum adspirantes, infligunt suo ipsi animo vulnus foedum, priusquam nanciscantur, quae mente cogitant. [1] Quae quidem intemperantia parit invidorum calumniam et injustitiam. [2] Atque ipsa ipsius Justitiae filia Tranquillitas novit et facere dulcia opportuno tempore et pati, invidiaeque occurrens superbiam opprimit: optimum lucrum est, quod aliquis a volente ferat, sed vis mole ruit sua. [3] Ergo appetere aliena, id est injustum esse, primum omnium vetat ea, quae decet mortales, temperantia.

Exemplum vero Coronidis, quae quum haberet semen Apollinis, sprevit stulta ejus iram aliudque concupivit connubium, ad multos pertinere ipse poëta dixit: „absentia cupivit, quod admittunt multi: est in hominibus genus levissimum eorum, qui contemnentes sua spectant lon-

---

1) *Py. II.* 165. 2) *Ol. II.* 173. 3) *Py. VIII.* 1—20.

ginqua, captantes inania spe irritâ." [1]) Atque in eodem carmine, postquam Aesculapii superbiam poenamque narravit, subjungit:

χρὴ τὰ ἐοικότα πὰρ
δαιμόνων μαστευέμεν θναταῖς φρεσὶ,
γνόντα τὸ πὰρ ποδὸς, οἵας εἰμὲν αἴσας.

„Decet convenientia mente mortali precari a Diis, memorem rei praesentis, cujus sortis simus. Ne, o mea mens, vitam immortalem affecta, sed id molire opus, quod perficere possis." [2]) Simplicia haec praecepta sunt de continentia: sed quid ipsa simplicius continentia est? Neque id omittendum est, revocare Pindarum eam, quam commendat, virtutem ad optimum omnis philosophiae virtutisque principium, *γνῶθι σεαυτόν*, nosce te ipsum.

Non a rebus grandibus, non a clarrissima quamvis cum labore paranda gloria revocat is, qui amicorum suorum gloriam cumulavit, eosque semper incitavit: neque ad alta tendentes quodam lápsus metu retinuit: sed fecit id, quod videatur difficillimum, ut erigeret optima studia et laudis impetum consilio regeret. Velut in hoc carmine, in quo Coronidem et Aesculapium commemoravit, scripto ad Hieronem, morbo tum laborantem, animo vero, ut videtur, aliquantum depressum, attigit quoque priorum sententiam, quam antea exposuimus, juxta unum bonum duo mala mortalibus tribuere Deos. [3]) Sed quo modo ejusmodi conditione utendum putet, praeclare praecipit:

τὰ μὲν ὦν
οὐ δύνανται νήπιοι κόσμῳ φέρειν,
ἀλλ' ἀγαθοὶ, τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω·

---

1) *Py. III.* 34. 2) *Ibid.* 105. 3) Conf. *pag.* 36.

„haec quidem stulti cum decore ferre non possunt, sed boni, pulcra vertentes extra."[1]) In ipsis malis κόσμον commendat, decorem, qui ita sapientiae proprius est, ut eum insipientes assequi nequeant: atque hoc Hieroni maxime faciendum erat, ut decorem servaret, regi in magna felicitate posito: nam, si quid inter populi proceres et infimos interest, hoc interesse debet, ut illi mala sua privata ne in populum redundare velint neve ad populi communionem convertant: quemadmodum voluit praeclari scriptor carminis ad Liviam Augustam de morte Drusi:

Non eadem vulgusque decent et lumina rerum.[2])

Et vero scire oportet, magnam felicitatem ita placere debere, ut, si quid forte desit, hominem te esse memineris, nec cladis expertem esse posse. Idcirco pergit Pindarus: „te sors felicitatis sequitur: populi regem, si quem hominum, magna fortuna adspicit: sed illaesa fortuna nec Peleo nec Cadmo fuit, qui mortalium dicuntur supremam habuisse felicitatem."[3]) „Si quis mortalium mente habet veritatis viam, decet iis, quae ab immortalibus acceperis, bonis frui; alias aliae aurae ventorum sunt: magna felicitas non solet esse diuturna. Parvus in parvis, magnus in magnis rebus ero: eam, quae me circumdat, sortem mente semper exercebo, colens eam ita ut potero. Quodsi mihi divitias Deus dederit, spem habeo fore, ut magnam gloriam porro inveniam, quemadmodum Nestoris et Sarpedonis nomina carminibus ad nos propagata sunt: per gloriosa carmina exstat laus diuturna."[4])

---

1) *Py. III.* 147. 2) *Vs.* 347. 3) *Py. III.* 150. 4) *Ibid.* 183.

Locus hic, si attendimus singula, praeclarus in primis est et ad Pindari sapientiam intelligendam uberrimus. Nam, postquam totum posuimus, perspicimus, quid sit id, quod initio positum erat, cum decore ferre suam sive prosperam sive adversam fortunam et pulcra vertere extra. Noluit appeti absentia, contemtis quae habeas: noluit in magna fortuna optari majorem omnisque cladis immunem, quae in hominem cadere non posset: sed suarum rerum sibi conscium et intelligentem facere id quod possis, τὰν ἔμπρακτον ἀντλεῖν μαχανάν: convertere autem in lucem et exercitationem eam fortunae partem, quae ad laudem gloriamque pertinere possit. In rerum mediocritate mediocritatis bona sequaris et augeas: altiore loco positus majora perficias. Atque, quum omnis humana conditio sit mutabilis, nec magna fortuna soleat esse diuturna, ita exhibeas meliorem partem, ut convertas in perpetuitatem id, quod sua natura non sit perpetuum, et laudem tibi pares ex eo, quod aliquando etiam, nisi caverit, sapientem vinxit: quemadmodum Aesculapium auri cupido pervertit: [1]) hoc boni viri est, neque sane tales tam decoros mores sequi stulti possunt. Cujus rei exemplum ipsa admonitio est, quum Hieroni suadeat, quomodo sit ei utendum divitiis. Quid pulcrius aeterna fama? quis praestantior divitiarum usus quam si ad certamina et victorias conferantur, praebeantque sic poëtis eximiam canendi materiem? Huc revocat regis animum, salutem omnino ejus animo adferens, commendans continentiam, longe longeque a desidia remotam, sed temperans simul et excitans et regens studia et in laude pariter collocans

1) Conf. *pag.* 20.

atque a superbia avertens et a stulta rerum absentium cupidine, denique continentiam commendans, quae non minus profecto quam Stoica disciplina postea facere potuit ad decoras actiones impelleret.

Omnino graviter vitae brevitatem et rerum inconstantiam Pindarus meminisse jubet: velut ad Aristomenem scribit: „in parvo tempore mortalium augentur gaudia: sic etiam humi cadunt:

ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις;
σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι·

diurni: quid est aliquis? quid non est? umbrae somnium homines." Et tamen hoc ipso loco, quo nihil gravius ad exprimendam non dico brevitatem sed levitatem rerum nostrarum nostrique generis esse potest, non utitur ad contemtum neque ut a meliore fructu fortunae retineat. Addit enim continuo: „sed quum lux a Jove data venit, adest ardens lumen hominum vitaque dulcis." [1]) Sic quidem partam labore — nam haec ad victoriam Aristomenis pertinere intelligimus — et a Jove datam laudem tuendam nec mente remittendam esse docet diurnis mortalibus.

Atque in eandem sententiam dicta sunt ea, quibus Chromium laudavit, simul exprimens, quo modo debeat ea laus, quae usque ad mortem mansura sit, cum justitia quaesita esse: sunt autem haec: „e laboribus, qui in adolescentia et cum justitia fiunt, exsistit ad senectutem aevum dulce: sciat Chromius se a Diis mirandam sortitum esse felicitatem." [2]) Veram sic mortalibus felicitatis viam commonstrat, et tamen, ut solet, Deorum

---

1) *Py. VIII.* 135, *seqq.* 2) *Nem. IX.* 104.

munere eam et inveniri et aperiri ostendens, modestiam in praestantissimis commendat gaudiis: etenim „cum Deo sata firmior hominibus fortuna manet." [1])

Sed praeter eam inconstantiam, quae naturae nostrae rebusque nostris ita propria est, ut ea maxime distinguamur ab immortalitate Deorum, ostendit praeterea ipsa multorum vitia hominum et odia, neque tamen ad aliud ea nisi ad laudem simul et modestiam eorum, qui ea vident et patiuntur, pertinere vult, ut id ipsum, quod videatur malum, conferre studeat in bonum. Velut Hieronem laudans verborum brevitatem et opportunitatem sequitur, ut minor sit reprehensio hominum, magnam de aliena virtute praedicationem non ferentium: et tamen factis ut Hiero vincat invidiam admonet,

μὴ παρίει καλά·

ne remittas laudes. [2]) Alio loco provocat ad diem: et, quamvis sit aliquis invidus, invidiam dicit inanem volvi tenebris et cadere humi, sed laudem fore ratam. [3]) In Theaei Argivi victoriis praedicandis vitat orationis copiam: [4]) imo vero de futura ejus majore victoria mente praecipiens: „o Jupiter," inquit, „quae mente cupit, tacet ejus os: sed omnis rerum finis in te est: nec laudem precatur ita, ut cordi desidi adferat audaciam." [5]) Praeclarus locus est: primum tanta precandi modestia, ut maximam laudem — significatur autem victoria Olympiae — mente quidem a Jove precetur, sed oratione appellare non audeat: tum vero duplex sperandi causa, altera, quod Jupiter omnia mortalibus perficiat, altera vero, quod non temere nec sine labore gloriam audacter

1) *Nem. VIII.* 28. 2) *Py. I.* 157—165. 3) *Nem. IV.* 64, *seqq.*
4) *Nem. X.* 35. 5) *Ibid* 53.

quaerat, sed pudori parem virtutem et actionem conjungens mercedem magnorum laborum laudem cupiat.

Et saepius amabilem quandam in praedicando vel brevitatem vel mediocritatem sequitur:[1]) sed, quamquam omnino non laudandi tantum, verum etiam optandi terminum aliquem esse jubet, tamen ejusmodi eum esse vult, ut semper simus humanae sortis memores nec conemur fieri Dii, neve cupiamus nimia: sed illa nimia non possunt esse in facinoribus laudabilibus praeclarisque actionibus, sed oriuntur tum, si quis se sua fortuna efferat, quasi immutabili, id est non humana sed divina. Huc pertinent ea, quae occurrunt saepius: „ne specta longius:"[2]) „ne cupias fieri Deus:"[3]) „non extra columnas Herculis posse pergi."[4]) „Si quis hominum sumtu et labore delectatus consecutus est divinitus datas laudes, eique Deus creat laudem amabilem: ad extremas jam felicitatis oras ancoram jecit Dei instar colendus: hujusmodi studia nactus Cleonici filius optat Hadem et canam senectutem recipere."[5]) „Duo sola vitae faciunt florem pulcerrimum cum vigenti felicitate, si quis rebus in prosperis bonam famam audit: ne optes fieri Jupiter: omnia habes, si horum ad te sors bonorum venit: mortalia mortalibus conveniunt."[6]) „Si quis divitias habens formam aliorum praecurrit et in certaminibus excellens robur ostendit, mortalibus se meminerit membris vestiri et in fine omnium terra vestitum iri."[7])

Quae quidem Pindari sapientia si in vera laude quaerenda et in humanae sortis conditione cognoscenda con-

---

1) Conf. e. gr. *Py. VIII.* 40. 2) *Ol. I.* 183. 3) *Ol. V.* 56.
4) *Ol. III.* 80. 5) *Isth. VI.* 14. 6) *Isth. V.* 14. 7) *Nem. XI.* 16.

sistit, non mirum est, non tantum in rebus adversis ferendis sapientes decorem sequi, sed etiam prosperam fortunam a sapientibus demum ita accipi, ut felicitatem in laudem convertant. „Sapientes etiam pulcrius ferunt divinitus datam potentiam." [1]) Et, quemadmodum alio loco scripsimus, immoderatam cupidinem ad malum exitum pervenire: [2]) sic melior sors temperantiae in fine est: „si quis summum nactus et tranquille moderans malam superbiam effugit, nigrae pulcriorem finem mortis habebit, dulcissimo generi felicissimam divitiarum gratiam donans." [3]) Hoc sane est sapienter et fortiter respicere finem.

Atque post finem etiam prospiciendum atque in summa hujus vitae felicitate alteram vitam cogitandam esse vidimus antea: [4]) quarum rerum cogitationem requirit poëta, nec sine ea veram laudem dicit inveniri. „Divitiae," ait, „ornatae laudibus multarum rerum copiam adferunt, praebentes profunda fortiaque studia, praeclara stella, vera homini lux; si quis eas habet, cognovit ea, quae post mortem futura sunt." [5])

Unum restat, quod addamus, quomodo invidiam Deorum, quam a Pindaro commemorari exposuimus, [6]) metuendam esse putaverit. Neque enim jam intelligimus ejusmodi esse ut a studio laudis avertat, sed a superbia et rerum suarum fiducia. Praeterea vero in praedicandis laudibus eam metuendam putavit; id quod quodammodo ab ipsa rerum fiducia non sejungere quidem, quandoquidem cum ea conjunctum est, sed distinguere debemus. Scilicet distant oratio et actio: alia est agendi fortitudo,

1) *Py. V.* 15. 2) Conf. *pag.* 38. 3) *Py. XI.* 84.
4) Conf. *pag.* 39. 5) *Ol. II.* 96. 6) Conf. *pag.* 37.

alia fortis oratio. Atque maximam in agendo fortitudinem et ingentia laudum studia excitavit: ipsius vero, quippe poetae, virtus oratione continebatur. Quae quidem oratio quam fortis sit, vel qualem eam ipse esse et voluerit et putaverit, scribemus postea: nunc vero hoc monemus, rerum earum, quarum laus esset maxima et ab ipsis Diis donata mortalibus, tamen eum voluisse quandam esse modestiam praedicationis, metuentem, ne ea oratio, quae rebus ipsis adaequaretur, invidiam divinam posset excitare. Velut laudavit Xenophontis Corinthii domum, tribus conspicuam victoriis Olympiis: ergo in tanta re non potest non audacter praestantiam carminum aptare: ipsius Corinthi insignes laudes praedicat: atqui addit:

ὕπατ' εὐρὺ ἀνάσσων Ὀλυμπίας,
ἀφθόνητος ἔπεσσιν
γένοιο χρόνον ἅπαντα Ζεῦ πάτερ.

Summe, qui late regis Olympiam, ne invideas meis verbis per omne tempus, o Jupiter pater. [1]) Sic quidem admirandum in modum ille vitavit

ὕβριν κόρου
ματέρα θρασύμυθον

superbiam, quae verborum audacia fastum parit. [2])

§ 6.

De musica.

Exosus, ut modo scripsimus, Pindarus est loquacitatem et superbiam: sed veram vim poesis intellexit et

1) *Ol. XIII.* 34. 2) *Ibid.* 12.

Musarum munera divina amplexus est ingeniumque novit ipse suum. Nam quod videret esse poesis divinitate dignum, id tam silendo praetermittere nequivit quam ipse se oblivisci. Nam quemadmodum est ab orationis vanitate alienus, sic studio fertur verae laudis et poesis ingenti. In ejusdem carminis principio, quod modo adferebamus, quo Xenophontem et Corinthum ornavit, haec habet:

ἔχω καλά τε φράσαι, τόλμα τέ μοι
εὐθεῖα γλῶσσαν ὀρνύει λέγειν·
ἄμαχον δὲ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος·

est mihi dicere pulcra, animusque promptus linguam excitat ad dicendum: nec potest obtegi mos insitus. [1]) Hunc morem natura insitum sibi intellexit, praestititque praestanti vi poesis: et retulit id donum semper ad Deos. Victoribus carmina dicit esse pro summo praemio: „ea autem nostra lingua moderari cupit: ex Deo semper aliquis sapiente mente floret." [2]) Nec sine Deo divinoque spiritu poetam valere existimat. „Quidquid," inquit, „naturâ est, fortissimum est: multi hominum adscitâ discendo praestantiâ gloriam quaerere studuerunt, sed nisi Deus adest, silere in ejusmodi re praestat quam gloriari." [3]) Et alio loco:

σοφὸς ὁ πολ-
λὰ εἰδὼς φυᾷ·

sapiens est, qui multa scit naturâ. [4])

Divinam vero musicae suavitatem expressit: „Non ipsi Dii sine venerandis Gratiis obeunt choros nec convivia: sed illae, moderantes in Olympo omnia, positis juxta

1) *Ol. XIII.* 14. 2) *Ol. XI.* 8. 3) *Ol. IX.* 152. 4) *Ol. II.* 154.

Pythium Apollinem thronis, aeternam colunt patris Olympii laudem." [1]) Clarissima vero ejus vis ac potentia si debuit ita declarari, ut non tantum eam intelligeremus, sed ipso simul commoveremur exemplo, non alius est sublimior hoc Pindarico locus: „Tibi, cithara aurea, auscultat saltatio, principium hilaritatis, obediuntque cantores: tu forte etiam fulmen exstinguis aeterni ignis. Dormit in sceptro Jovis aquila, celeribus alis utrimque solutis, regina avium, nigramque curvo ejus capiti nubem, ciliorum dulcem seram, offundis: illa stertens madidum tergum suspendit, tuis jactibus domita. Verum etiam Mars violentus, relicto procul hastarum acumine, fovet animum ludo: telaque mulcent etiam Deorum mentes Apollinis sapientiâ formosarumque Musarum. Quaecumque vero non amavit Jupiter, terrore fugiunt vocem Pieridum audientia, terra marique immenso, et qui in terribili Tartaro jacet, Typho hostis Deorum." [2])

Cujus loci intelligentiam adjuvare explicando omnino difficile est, ne vel planius loquendo sententiam deteriorem faciam, vel singula persequendo efficiam ea, quae Pindarus significari noluerit. Nam poetarum varia ratio est: modo singula premunt, ut distinguenda sint: modo cuncta in eandem sententiam conferunt. Hoc autem loco nihil aliud significatur nisi vis ac potentia musicae et poesis. Haec enim dominatur in omnibus, idque modo duplici, mulcendo alia, alia terrendo. Quidquid in mortalibus bonum est, quidquid Deorum est ipsique Dii gaudent et mulcentur voce Pieridum, sed terretur quidquid Diis invisum est. Quid in hominibus choris festisque melius?

---

1) *Ol. XIV.* 10. 2) *Py.* 1, initio.

obtemperant ea citharae. Fulmine Jovis quid fortius? quid eâ aquilâ, quae in sceptro Jovis regio est? atqui fulmen exstinguitur, aquila consopitur. Sic quidem ipse Jupiter laetatur Musis, ut submittat iis incantarique sinat signa suae regiae potestatis: atque eodem modo ipse Mars armorum obliviscitur. Atque hoc dulce et volentibus imperium est. Quae vero infesta Diis et odiosa sunt, ferre non possunt illam vocem sed fugantur.

Omnino si hoc loco meminimus Pindari de Diis sententiam, quanto eos putaverit non tantum humana imbecillitate superiores, sed etiam quam ab erroribus vitiisque immunes, quantaque veritate et justitia, non possumus non magnopere admirari sanctum Poetam, qui tantam voluit musicae esse cum Diis necessitudinem, tantam vim, tantum terrorem. Videtur aliquid mente praecepisse ejusmodi, quo significaretur omnis et rationis et orationis ad lumen veritatis conversio, nec quidquam esset cum ipso Deo conjunctius quam veritas nec quidquam Dei hostibus odiosius. Quemadmodum Joannes Apostolus scripsit, Deum esse lumen, [1] et veritatem nobis cum Deo communem esse oportere: [2] et ipse Christus dixit, suam vocem ab iis audiri, qui e veritate sint. [3]

Clarissimum vero donum Deorum ad ipsorum etiam honorem venerationemque referendum erat. Velut Hercule in Jovis honorem instituente certamina Olympia, omne fanum implebatur cantu, quae secutus principia Pindarus in victoriis Jovem cecinit. [4] Atque ut ad

1) *Joann. Epist. I. c.* 1. *vs.* 5.
2) *ibid. c.* 2. *vs.* 8.
3) *Joann. Evang. c.* 18. *vs.* 37.
4) *Ol. X.* 92.

Deorum honorem, sic ad mortalium suavitatem pertinuit. A lucro alienam tantam tam praestantem poesis artem summus Poeta duxit. „Antiqui homines," inquit, „qui in aurearum currum Musarum escendebant, gloriosam citharam nacti, facile emittebant dulces hymnos, si quis esset pulcer haberetque Veneris conciliatricem aetatem dulcissimam. Neque enim erat tum Musa lucri cupida nec mercenaria: neque emebantur a jucunda Terpsichore dulcia carmina, nec frontem habebant argento obductam." [1]) Scripsit haec ad Thrasybulum, quem dilexit eximie, Pindarus: ostenditque, quomodo voluerit animi et caritatis verum testimonium musicâ contineri, suâque ârte, quod attigimus antea, ipse caritatis et amicitiae praeclarum quoddam exemplum condidit. [2]) Et, quum esset certaminum et in parando et in perficiendo summus labor, summam etiam gloriae suavitatem, summum suorum carminum praemium dedit victoribus: velut Agesidamo carmen misit sero quidem, sed dulcissimum, quo accepto posset ille lubenter e vita discedere: „mollis sonus," inquit, „carminum ad tibiam occurret, quae sero quamvis apparuerunt. Sed ut proles ex conjuge patri desiderata venit jam ab aetate juventutis regrèdienti mentemque ejus magnopere caritate fovet, quandoquidem divitias domino adventitio alieno relinquere tristissimum morienti est: sic etiam si quis pulcris rebus perfectis sine carmine, Agesidame, in Hadis domum veniat, inanem duxit spiritum et exiguam adjunxit labori dulcedinem: tibi vero dulcis lyra et suavis tibia laudem adspergunt: alunt latam gloriam filiae Pierides

---

1) *Isth. II. initio.* 2) Conf *pag.* 50.

Jovis." [1]) Atque haec tam dulcia laboribus tributa a Musis praemia eadem sempiterna sunt: „Hymnorum thesaurum neque hibernus imber adveniens, frementis nubis insuavis exercitus, nec venti quatient." [2]) Excitat vero vetustas Musa laudes, quae jam intermortuae videbantur: „Vetusta dormit laus, nec meminere mortales, nisi quod summus sapientiae flos gloriosis carminum fluxibus attingit." [3])

Emendasse autem Pindarum fabulam de Tantalo antea scripsimus. [4]) Ex quo vidimus, sejunxisse eum a Diis pravitatem humanam. Verum eodem declaratur nobis argumento, hoc ei fuisse musicae unum munus, ut vera et laudabilia praedicaret, nec veritatem obscuraret nec maledicendo delectaretur. Tantali fabulam narraturus: „multa sane mira, inquit, „fictaque supra veritatem variis mendaciis verba fallunt aliquando mentes hominum. Gratia, quae omnia suavia facit mortalibus, honorem adferens incredibile saepe etiam fecit ut verum haberetur: sed sequentes dies sunt testes sapientissimi: ego adversus priores dicam." [5])

Atque ut in hac fabula emendando, sic in aliis silendo deteriora vitavit, officiumque Musae, si poterat, non ultra verae laudis praedicationem proferendum esse judicavisset: in ipsa quidem laudatione continentiam adhibuit, ut arceret invidiam: [6]) multo vero magis in vituperiis rebusque ingratis orationem retinuit. Bellerophontis egregias laudes, quum Corinthi memoriam ornaret, magnamque in Pegaso domando opprimendaque

1) *Ol. X.* 99. 2) *Py. VI.* 10. 3) *Isth. VII.* 23.
4) Conf. *pag.* 8. 5) *Ol. I.* 43. 6) Conf. *pag.* 68.

Chimaera virtutem commemoravit: sed in eo ad laudandum composito carmine mortem ejus tristem superbia inventam omisit: „silebo ejus mortem ego." [1]) Postquam narravit Ixionis dolum intemperatumque amorem et supplicium, et absque Gratiis creatum Centaurum ejusque odiosum mirandumque proventum, a miraculi vituperatione vel audaciore de eo judicio se cohibet, memor potentiae Dei, qui quidlibet perficit ita ut vult, se vero ait fugere oportere morsum maledicentiarum. [2]) Aeginae antiqua historia delectatus ita, ut a perpetua Aeacidarum laudatione vix se ipse cohibeat, [3]) adduci non potest, ut Phoci caedem a Peleo ac Telamone factam commemoret: „vereor aliquid magnum dicere et in judicio non judicatum, quomodo reliquerint insulam gloriosam, et quis Deus viros fortes ex Oenone pepulerit: non utile est omnis veritatis accurate frontem ostendi, et silere saepe homini sapientia optima est. Si vero felicitatem vel manuum vim vel ferreum laudare bellum placet, longinquos saltus mihi quis abhinc suffodiat, habeo genuum celerem impetum, et ultra mare volant aquilae." [4]) Sic quidem, qui aquilae instar evolet in rerum bonarum praedicatione, idem subsistit et silet contrarias.

Musae vero, si, ut scribebamus initio hujus paragraphi, regunt omnia, Deos quidem et quidquid Diis amicum est dulci regimine, contraria vero terrore et fuga, age, videamus, quid haec sententia efficiat: licet enim in Pindaro ipsas cernere Musas. Quippe ipsius veritatis, quam immortalem esse decet, suscipit patrocinium, eoque magis, quod genus hominum mortale ipsum est, ideoque clades,

1) *Ol. XIII.* 180. 2) *Py. II.* 89. 3) *Nem. VII.* 78.
4) *Nem. V.* 25.

quas quis suo honore vivus fraudatus passus est, post mortem compensat. Exemplo sit Ajax. Canit Pindarus: „Ego majorem credo famam Ulyssis, quam factis meruit, exstitisse propter Homerum suaviloquum. Nam mendaciis ejus et arti celeri adest aliquid quod sit venerabile: sapientia decipit abducens sermonibus: caecum habet cor multitudo hominum maxima. Nam si ita esset, ut veritatem videret, non propter arma iratus Ajax fixisset per cor acrem gladium: quem manu fortissimum post Achillem celeribus navibus miserunt Zephyri ad Ilii urbem. Verum enim communis venit Hadis fluctus, cadit in imprudentem et in providentem: laus vero eorum est, quorum mortuorum suavem famam auget Deus." [1]) Veritatem ergo, quam non cognovit vulgus mortalium, musica vindicat. Sed quae fuerit jam olim obscuratio veri, qui ficti sermones, quamque eos aversatus Pindarus veram laudem et ipsam veritatem amaverit, praeclarissime declaravit, ejusdem Ajacis usus exemplo, ipse vero sui studii exemplum relinquens, quod utinam aliquando sequantur, quotquot attingunt musicam! utinam veram laudem praedicent ipsiusque veritatis suscipiant vaticinium, quotquot quarumvis literarum studio se ferri ajunt! Sed Pindarus haec: „Nova inventa tradere in judicium examinanda periculosum est: cibus sunt carmina invidis: aggreditur invidia bona semper, adversus deteriora non pugnat. Illa etiam Telamonis filium fregit et injecit gladio. Indisertum sane aliquem sed corde fortem oblivio domat in tetro jurgio: maximum vario mendacio praemium propositum est. Nam clandestinis in suffragiis

1) *Nem. VII.* 29—48.

Ulyssem Danai coluerunt: aureis fraudatus Ajax armis mortem invenit. Profecto tamen haud pares inter se fuerant vulnera hostibus infringendo, pugnantes forti hasta et circa occisum recens Achillem et in tetris aliorum diebus laborum. Odiosus sermo jam olim fuit, blandientium verborum comes, dolo loquens, malefica calumnia: qui clara premit, obscurorum auget putridam gloriam. Ne mihi unquam talis mos sit, o Jupiter, sed vias capiam vitae simplices, mortuus ne liberis malam famam adfingam. Aurum precantur, agros alii immensos, ego civibus probatus etiam terra membra tegam, laudans laudanda, jurgium affundens maleficiis. Augetur laus, ut viridi rore surgit arbor, in sapientibus hominum elata justisque ad aethera. Opera omnis generis amicorum est: in laboribus praecipua: cupit etiam gaudium veritatem ponere in oculis. Mega, tuam reducere animam non ego possum, sed tuae patriae et Chariadis magnum ponere lapidem musicum." [1]) Et alio etiam loco incertos esse certaminum litiumque docet eventus, dolisque deteriorum hominum labefactos esse meliores: quod etiam in Ajace factum: sed Homeri opera datum ei esse aeternum laudum praemium. „Illud enim aeternum sonans currit, si quis quid bene dicit, et per omniferam terram et per mare currit facinorum lux pulcrorum neque unquam exstinguitur." [2]) Haec Musarum et veritatis immortalitas est, haec ipsius Pindaricae Musae virtus, rerum vere et unice semperque laudandarum laudatione et commendatione delectatae, veritatem secutae et assecutae immortalitatem.

1) *Nem.* *VIII.* 34—80. Erat Megas pater Dinidis, cui hoc carmen scriptum est. 2) *Isth.* *IV.* 56—72.

CAPUT III.

DE PROPRIA PINDARI SAPIENTIAE LAUDE.

§ 1.

De Pindari sententiae principio.

Considerantibus Pindari de rebus divinis et humanis eas, quas persecuti sumus, sententias, magna quaedam, nisi fallor, apparet simplicitas, in optimo principio posita, eo, quod omnis philosophiae et virtutis principium fuit, et oraculi locum obtinuit, nosce te ipse. Hoc enim Poeta quaesivit, quid deceret hominem. Hoc omnis melioris, quam commendavit, de Diis sententiae et narrationis principium fuit, quum ita decere hominem diceret. [1]) Hoc illius humanae virtutis, quam amavit unice, temperantiae et continentiae commendationem continebat, quum non in coelum homini adscendendum esse nec supra modum humanum optandum esse putaret. [2]) Verum ipsius musicae virtus ex hoc principio repetenda est. Nam musicae nomine modo exposuimus quid aliud dicam nisi ipsam sapientiam, reginam virtutum vitaeque totius nostrae moderatricem? Quid autem muneris Pindarus musicae existimavit propositum aliud nisi immortalem rerum vere laudandarum praedicationem, ipsiusque veritatis commendationem? Quodsi igitur sapientia nihil aliud est nisi intelligentia veri, Pindarus carminibus

1) Conf. *pag.* 8. 2) Conf. *pagg.* 37, 57.

suis ipsam sapientiam commendavit. Haec vero justitiam etiam quasi parens sive fovet sive continet: certe haec justitiae officia vidimus a Pindaro maxime commendari, ut caveamus et ab adulatione et a calumnia, quae sunt veritati maxime contraria vitia, habeamusque pectus apertum et sincerum verumque sermonem. [1])

Verum haec summa sapientiae virtus ipsa ex quo fonte hauriatur, ipse nos divinus vates edoceat. „Unum idemque hominum ac Deorum genus est: ex una matre spiramus utrique: sed longe secreta distat potentia, ut genus hominum quidem nihil sit, aeneum vero coelum immota semper maneat sedes. Verumtamen aliquo modo sane sumus immortalibus similes vel magno ingenio vel natura, quamquam nescii, ad quam diei aevique brevis metam cursum nostrum sors praescripserit." [2]) Igitur ingenii naturaeque praestantia mortalibus cum Diis communis est: cernitur ea divinitas in sapientia et intelligentia veri: hac praestitit ipse Pindarus seque praestare sensit. Ideo sapientem vocat eum, qui natura sua sit rerum intelligens: [3]) qua intelligentia qui careant, non possunt eam discendo compensare, sed curiosi et loquaces evadunt et tamquam corvi obstrepunt Jovis avi divinae. [4]) Hoc quale sit, planum iis facere non licet, qui nesciant quam distent intelligere et accipere, qui multa audiendo legendoque noverunt, neque eam cognitionem ad naturae suae ingeniique praestantiam pertinere voluerunt, homines docti significatione passiva, actione

---

1) Conf. *pag.* 54. 2) *Nem. VI.* 1—13. Fortasse etiam hunc locum respexit Paulus Apostolus, *Act. Apost. c.* 17. *vs.* 28.

3) *Ol. II.* 154. 4) *Ibid.* 156.

intelligendi destituti: his contra venientibus et clamantibus respondero, esse haec

φωνᾶντα συνετοῖσιν· ἐς
δὲ τὸ πᾶν ἑρμηνέων
χατίζει·

sonantia intelligentibus, in vulgus indigent interpretibus. [1]) Non ille sapiens est, qui cognovit omnes de Diis fabulas ac traditiones, sed qui quid hominem de Diis sentire ac dicere deceat intelligit. Insipiens ille, qui fortunam solertiae acceptam refert cunctasque callet peritiae humanae vias: sed ille intelligens, qui magna et praeclara suscipere audet et perpetrare, spem vero et exitum reponit in Diis. [2])

Agite vero, an attendimus, quam divinitatem Pindarus homini tribuat ingenii ac naturae? Seclusam quippe ita a superbia, ut modestiae omnis fundamentum sit. Sumus, inquit, immortalibus similes, quamquam diei unius termini ignari. Repetentibus cogitatione ea, quae de continentia secundum Pindarum scripsimus, certe recordamur, quam haec ignoratio futuri omnem nostram imbecillitatem, fragilitatem, mortalitatem contineat. Atque in hac ipsa nostra imbecillitate cognoscenda et confitenda facillime omnium fallimur: sua quemque temere decipit superbia: testis est omnis historia: et tamen superbum esse et quadam opinione sui efferri, hoc, si quid aliud, mentiri est et aberrare a vero. Igiturne Pindarus ingenii nostri praestantiam ita ad Deos retulit, ut una intelligentia veri nos cum divina natura copularet? Hoccine sibi

---

1) *Ibid.* 152. 2) Conf. *pagg.* 59, 60. *Fragm.* apud Heynium *Inc.* 99, apud Boeckhium *Paean.* 10.

sensit divinae poesis munus esse datum, ut genus mortalium ad veritatem modestiamque vocaret? Ideone in tendente ad summa omnia orationis impetu se ipse cohibuit, Deorumque invidiae memor fuit, ne attingeret ea, quae ignorantiae nostrae et fragilitati non liceret attingere, neve Musa sui muneris, id est veritatis, oblivisceretur? Hoccine voluit, quum Musarum imperium veneraretur et celebraret, regens omnia, Deos oblectans, terreri vero diceret voce Pieridum Typhonem, hostem Deorum? [1]) Quippe Pierides vera dicunt canuntque: ille vero Typho quum adversus Deos contendere sustinuisset, veritatis ejusque quae eum deceret modestiae contemtor fuerat.

Quae quum ita sint, omnem apud Pindarum virtutis disciplinam et commendationem hac quaestione contineri cernimus, quid hominem deceret. Quam quidem quaestionem recte intelligere et dijudicare, id sane est verum videre in re gravissima omnium. Sic veritas officia ipsa continet. Nam modeste de Diis narrare, id est pium esse: verum in omni sermone et facto libere proferre ubi cum aliis agas, id est justum esse: verum humanae et magnitudinis et imbecillitatis cognoscere modum eumque sequi, id est et fortem esse et continentem: atque in his omnibus non agere casu fortuito nec ab alieno pendere arbitrio sed sua ipsum intelligentia veri duci, verumque et exemplo et oratione commonstrare, id est sapere.

Ex quo autem fonte hanc Pindarus sapientiam hauserit, ex ipso etiam intelligimus. Contemsitne doc-

---

1) Conf. *pag.* 66.

trinam? Imo vero contemsit loquacitatem eorum, qui quum multa accepissent, tamen non saperent nec modum tenere scirent. Cognovit ipse omnem historiam et mythorum vetustatem: Eleusiniorum sacrorum initiationem tanti fecit, ut beatum praedicaret eum, qui his visis abiret in inferos, quum cognovisset novae principia vitae: [1]) complexus certe sua doctrina est, quidquid erat cognitu dignum. Ast in illo doctrina vim promovit insitam. Naturae tribuit ipse plurimum: naturâ fuit veri intelligens. [2]) Caecum cor habet vulgus mortalium nec veritatem intelligit, [3]) et tamen sumus cognati Diis. [4]) Scilicet ea cognatio in multis et proh dolor! plerisque hominibus latet: in paucis apparet et aperta est: hi, magno ingenio et natura, feruntur magno studio meliora dicendi, nec quidquam curant, modo huic studio obtemperent: non possunt occulere morem insitum. [5]) Ex hoc fuit genere Pindarus, praestans virtute et ingenio. Exemplum exstitit ipse illius sententiae, quam aperuit, hominibus esse cum Diis cognationem et similitudinem. Quod utinam aliquando cuncti mortales intelligant, et posse alium praestare alii, sed tamen ejusdem nos esse generis.

§ 2.

Comparatio Pindari cum Homero.

Conantibus propriam Pindari sapientiae rationem ostendere visum nobis est adhibere comparationem Homeri. De

---

1) *Fragm.* Heyn. *Inc.* 96, Boeckh. *Thren.* 8. 2) Conf. *pag.* 65. 3) *Nem. VII.* 34. 4) *Nem. VI.* 1. 5) *Ol. XIII.* 16.

hoc Cicero: „humana ad Deos transferebat." [1]) Et vere: et tamen Deos Homerus immortales ac beatos, homines vero miseros et aevi brevis esse dicebat: [2]) igitur apud hunc quoque longe diversa utrorumque potentia est, et metuere vim Deorum oportet. Iidemque regunt res mortalium, suntque et adorandi sacrificiis et observantia colendi. Sed non certa ratione quaeritur eorum amor. Ingentes clades injicit Jupiter summus Achivis, motus precibus Thetidis. Aegre ferendus est Agamennoni Ζεὺς σχέτλιος· sed ferendus tamen, propterea quod ejus potentia suprema est,

τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον. [3])

Illud vero magnopere odiosum, si quis audeat Deos contemnere.

Ergo et de mortalitate nostra rerumque fragilitate praeclara apud Homerum praecepta sunt, velut illud clarissimum:

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν·

quale foliorum genus est, tale etiam est hominum: [4])

et de officio erga Deos: quemadmodum ipsa Minerva Achilli praecipit:

ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ·

qui Diis obediat, hunc etiam maxime audiunt ipsi. [5])

Atque cum eo metu Deorum multarum virtutum commendatio conjuncta fuit, posita in Graecorum humanitate et ingenio ipsiusque suavitate Homeri. Neque enim supplices, ut hoc utar, repudiare licet, quandoquidem

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε·

---

1) *Tusc. I. c.* 26. 2) Conf. *P. van Limburg Brouwer, over de zedelijke schoonheid der Poëzij van Homerus, pagg.* 37—50.

3) *Iliad. II.* 118. 4) *Iliad. VI.* 146. 5) *Iliad. I.* 218.

Jupiter vindex est supplicum hospitumque. [1])
Ceterum Dii pleraque humana committunt: hominum oderunt alium, alium honorant, intersunt proeliis mortalium, atque inter se altercantur neque abest vis et vehementia.

Hoc igitur et vidit Pindarus et sustulit, tamque copiosus fuit in laudibus Deorum celebrandis quam cautus in vitanda narratione earum rerum, quas illorum praestantia judicaret indignas. [2]) Imperium vero eorum est ejusmodi, ut non tantum arbitrio suo regant omnia, verum etiam quam maxime pietati et virtutibus reliquis praemia tribuant, fastum vero et intemperantiam oderint suppliciisque persequantur. [3]) Quantum vero nostra fragilitas ab illorum potentia et aeternitate distet, praecipere copiose solet. [4]) Verum quum Homeri rationem Pindarus ita emendaverit, ut proprium ostenderet suumque meliora de Diis dicendi studium, attendendum est, eum ita meliora dicere studuisse ut deteriora vitaret. Sustulit, quae displicerent sibi, in eoque fuit verecundia ductus et modestia, reputans, quam simus Diis inferiores, quamque deceat cavere nos omni opera, ne jactatione importuna et odiosa sapientiae affectatione committamus, ut de Diis dicamus quae displiceant ipsis. Sed quamvis sublimitatem admireris sententiarum earum, quas de Diis protulit, tamen retinent Dii naturam, quae ducta sit ex humanae naturae similitudine. A qua quum pravitatem secreverit omnem, addideritque ei potentiam et aeternitatem, in altero priores poetas emendavit, in altero, quod commendaverant etiam illi, tamen eos ita superavit, ut

1) *Odyss. IX.* 270. 2) Vid. *cap. I.* § 1. 3) Vid. *cap. I.* §§ 3, 7.
4) Vid. *cap. I.* § 7, *cap. II.* § 5.

haec ipsa ei causa melioris Diisque dignioris sententiae exsisteret. Atque hoc tamen loco quodammodo substitit.

Scilicet ut perfectam quandam naturam laudaret, eamque, qua nihil posset ad virtutem consummatius fingi, quae supra homines esset sicut perfecta praestant imperfectis, eo pervenisse Pindarum, atque ideo pravitatem a Diis sejunxisse, ne quis existimet: nondum ab ejusmodi sententia religionem ordiri ei propositum fuit: est aliud, nolle tribuere vitia, aliud, perfectum venerari virtutis et amoris exemplar. Perfecisse tamen Pindarum id, quo propius ad ejusmodi sententiam accederetur, facile intelligitur. Sed praeterea eum in sejungenda pravitate quodammodo substitisse modo scribebam: neque enim omnino substitit, sique non sententiam planam, tamen suspicionem de divina natura protulit: idque eo loco, quem aliquoties jam attigimus, ubi Musarum canit imperium. [1])

Scilicet apud Homerum Musae et norunt omnia et tradunt mortalibus, [2]) iisdemque in Olympo oblectantur Dii, quum canunt voce suavi et inter se excipiunt: [3]) neque apud Pindarum aut rerum scientia carent aut sine earum munere poetae valent, nec vero abest suavitas: sed praeterea habent veritatis patrocinium et vindicationem: si quidem ideo fugant sua voce Typhonem omnesque hostes Deorum. [4]) Atque hoc munus iis Deabus tribuere, quae cuncta regant, et quibus ipsi reliqui Dii se submittant volentes, profecto est, de divina natura deque ejus veritate aliquid, quod verum perfectumque sit, suspicantis.

---

1) *Py. I.* 1—31. 2) *Iliad. II.* 485, 486. 3) *Iliad. I.* 604.
4) Conf. *pagg.* 67, 76.

Ipsum Homerum audiamus, Musarum scientiam laudantem:

ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα,
ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν·

et suavitatem:

Μουσάων θ', αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

Verumenimvero hae eaedem Deae sunt, quarum spiritu poetae intus aluntur. Fuit et Homerus earum viribus excitatus et Pindarus: sed ita in utroque virtus earum apparet, quemadmodum eas adorarunt ipsi. Scientia et suavitate praestant Homeri Musae: age vero, Homerus, enarrans et exponens omnia, quid non scientia complexus est? atque eodem quid ad hunc diem suavius fuit? ipsi illi Dii, quamquam modo irati, modo timidi, tamen viventes in omne tempus felicitate suprema, incredibile oblectamentum praebent legentibus. Sed Pindarus et rerum copiam et canendi suavitatem habet: et tamen veritatem sequitur; rejicitque quamvis ornata et speciosa et dulcia mendacia: [1]) sic uterque in suarum Dearum vestigiis institit.

Ipse Pindarus Homerum appellat *ἁδυεπῆ*, *suaviloquum*. Et vero quoddam quasi de eo judicium tulit. Nam non tantum ad Homerum etiam redundare debet ea reprehensio, si repudiat fabulas de Deorum proeliis, sed praeterea ipso nomine de eo haec dixit: „ego majorem credo famam Ulyssis, quam factis meruit, exstitisse propter Homerum suaviloquum: quandoquidem ejus mendaciis artique celeri adest aliquid venerabile: sapientia decipit sermone fallens: caecum cor habet vulgus mor-

1) Ol. I. 43—55.

talium." [1]) Incusat ergo hoc loco ejus suavitatem, qua veritas obscurata fuerit. Et vero memorabile est, quomodo incuset: nam proxime huic loco carminum quidem gloriam dixerat esse summum laborum praemium, sed simul sortis humanae meminerat, et sapientes providere futurum, omnesque homines ad mortem tendere. [2]) Scilicet hoc rursus est meminisse veritatis eamque sequi. Homerus, quanquam vitae brevitatem et inconstantiam cecinit, tamen, ut secundum Pindarum dicam, ipsa captavit praesentia et placere iis, qui tum eum audirent, eosque oblectare voluit, quemadmodum apud ipsum: „illum enim cantum potissimum homines celebrant, qui audientes novissimus circumsonet." [3]) Sed Pindarus prospexit longius. „Posteri," inquit, „dies sunt testes sapientissimi." [4]) Et alio loco: „tempus solum veritatem vindicat." [5]) Ideoque, quod secutus est veritatem, spectavit Musarum immortalitatem, eaque praeconia putavit aeterna, quae essent bene et in bene meritos collata: in eoque ipsum Homerum laudavit, quod Ajacis invidiam compensasset, ejusque virtutem excitasset ac posteris tradidisset: neque enim id, quod quis bene dixerit, interiturum esse. [6])

§ 3.

Comparatio Pindari cum Poetis gnomicis et cum Herodoto.

Poetarum praeclara apud Graecos studia magnam jure suo sapientiae laudem invenerunt et ad optimam vitae

1) Nem. VII. 29—35. 2) *Ibid.* 16—28. 3) *Odyss. I.* 351.
4) *Ol. I.* 53. 5) *Ol. X.* 65. 6) *Isth. IV.* 68. Conf. *pag.* 72.

rationem commonstrandam profuerunt. Neque immerito Socrates, legens cum amicis eorum scripta, inde in usum convertebat, si quid boni deprehenderet. [1]) Velut ipse Homerus quamplurima habet praecepta de rebus multis magnisque. Nec fieri potest, quin is, qui poeta sit et mentis viribus excitetur, plus cernat aliis. Maxime vero eorum poetarum invaluit existimatio sapientiae, qui breves de rebus magnis sententias protulerunt, de vita ac de omni officiorum genere, et Gnomici dicti sunt. Ac de horum ratione pauca scribere visum est eamque cum Pindari sapientia comparare.

Sed horum quisque suam rationem habuit: fuerunt et alii clari, nec tamen cuiquam eorum Theognis Megarensis postponendus est. Quapropter, quum singulos persequi magnum sit et abducat a proposito, hunc tamquam aliquod gnomicae poesis exemplum sumamus, eoque magis, quod propriam habet laudem ejusmodi, qua cum Pindaro conferri mereatur. An vero nimium distat a Pindarica laudatione Musarum, quum illam vocem dicit ex immortalibus Musarum oribus prodiisse:

ὅττι καλὸν, φίλον ἐστί· τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστίν·
quod pulcrum, carum est, quod non pulcrum, non carum nobis? [2]) Aut quanta dignitate suaeque virtutis conscientia est, quum gloriam nomenque suum ad omnes nunciat perventurum esse, licet ne civibus quidem omnibus possit placere? [3]) Hoc sane congruit illis Pindari precibus, quum nihil quaerit nisi ut laudet laudanda, vituperetque contraria, et ab adulatione abstineat. [4]) Ab

1) *Xen. Memor. L. I. c. VI.* 14. 2) 17. edit. Brunck.
3) 23. 4) *Nem. VIII.* 59.

hac vero virtute profectus Theognis in amicitiarum commendatione apertus est et Pindaro similis. Descripsit acriter communem fallaciarum illuviem, qua non tingi sit difficile: [1]) ipse vero praecipit: „aut ama me et mentem indue puram, aut rejice odio, palam suscepta discordia: qui vero una lingua duplicem mentem habet, hic ignavis sodalis est, hunc malim inimicum quam amicum habere." [2]) Plane haec spectant eodem, quo Pindarus justitiae praecepta retulit, pectus apertum et veram orationem esse jubens. [3]) Et vero Theognis multa passus est, e quibus calumniam et fallacias odisse didicerat.

Verum hoc ipsum multa pati, videre, discere, quale sit et quo valeat, videamus. Habetur enim multarum rerum experientia saepenumero optima quaedam sapientiae magistra. Et multum profecto ea valet ad prudentiam, ut, quum videris, quid fieri soleat, eventum rerum ante prospicias, a periculosis caveas, tutiora consilia sequaris. Et vero quam plurimae ex eo fonte profectae sunt praeclarae sententiae. Velut temperantiam egregie commendavit Theognis: „superbiam," ait, „Deus primum malum homini dedit, quem non dilecturus sit." [4]) Et: „parit fastus superbiam." [5]) Ac denuo: „ne unquam magnum loquaris: nemo enim novit hominum, quid nox et dies viro perficiat." [6]) Et tamen processit longius, et quamvis optima habeat de moribus praecepta, quae nunc persequi non consilium est, tamen delabitur etiam ad sententiam deteriorem quodammodo et ab officio avertentem et aberrantem a vero. Nam summi Jovis suspiciens im-

1) 59—68, 79 et saepius. 2) 89. 3) Conf. pag. 54.
4) 153. 5) 155. 6) 161.

perium, reprehendit tamen eum, quod, quum solus habeat vim et potentiam, noveritque mentes mortalium, eandem sortem malis tribuat et bonis, nec viam ostenderit, qua quis incedens ei placere possit.[1]) Imo vero ipsum vitae fructum repudiat, canens: „omnium optimum est hominibus non natum esse, aut si natus sis quam celerrime in Hadis transire domum."[2]) Scilicet ea, quae e rerum peritia proficiscitur, prudentia, nisi sit majori subjecta judicio, ad verum videndum non sufficit. Posse acriter vitae conditionem nostrae notare eam, quae cernitur, totamque complecti, omnino majoris cujusdam ingenii est; nam loquimur non de peritia nescio cujus hominis, sed de Theognidis, de poetae sapientia: sed tamen eam ipsam conditionem ita judicio submittere, ut ad rationem revoces et quomodo deterior pars emendetur ostendas, hoc est non ex experientia sapere, sed ipsum esse sapientem. Facile Theognidi tristitia ac rerum humanarum deploratio oboriri potuit: Pindaro non potuit. Habet uterque de temperantia praecepta optima: sed Pindarus sibi constat. Etenim et illa de superbia vitanda sententia Theognidis cum Pindaro congruit: et egregie etiam illud: bonum virum semper habere mentem stabilem, fortemque esse et in prosperis et in adversis rebus: malum vero hominem non ferre fortunam:[3]) et tamen ea inconstantia, quae rebus humanis propria est, nescio quomodo, ad eam redundare videtur prudentiam, quae ex earum experientia petitur. Neque enim, si fortem in utraque fortuna esse decet, ita aut Jovem incusare aut vitam deplorare oportet, ut Theognis fecit. Nulla

1) 365, *seqq.* 2) 416, *seqq.* 3) 309, *seqq.*

apud Pindarum, in primis inconstantiae rerum humanarum existimatorem, Jovis incusatio est, nulla depressio animi, sed excitatio virtutis semper optimaeque commendatio laudis. Atque hoc profiteor, uno tantum loco eum, quamvis consolantem et excitantem, aliquantum accedere ad ejusmodi tristitiam, quae videatur Theognidea, ubi commemorat, duo mala juxta unum bonum mortalibus tribuere Deos: sed haec ipsa sententia videmusne unde sit? Scilicet non eam ipse profert, repetit eam aliunde, quum dicat:

μανθάνων οἶσθα προτέρων·

novisti discendo a prioribus: ergo haec ipsa tristior sententia, debita, nisi fallor, sapientiae ei gnomicae, quae vitae res et incommoda complectebatur, a Pindaro adhibita est ad meliora. [1])

Procedamus eo, ut etiam Herodotum cum Pindaro comparemus. Qui quanto fuerit indagandi studio, et ejus quanta sit sententiarum optimarum ubertas, alias exposuimus: nunc vero, ut sit et simplicitas disputandi et brevitas, repetamus, quid de Deorum invidia existimaverit, et cum Pindaro conferamus. Nempe apud patrem historiae est *τὸ θεῖον πᾶν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες· divinum numen omne invidum ac turbidum:* [2]) et alibi: *ὁ δὲ θεός, γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα, φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών· deus, quum nobis vitae suavitatem gustandam dederit, invidus in ea reperitur.* [3]) Nam historiarum omnium ratione perspecta Herodotus ad perspiciendam acriter rerum humanarum inconstantiam adductus est: easque sententias, quarum alteram apud eum Solon, alteram

---

1) *Py. III.* 143. Conf. *pagg.* 36, 57. 2) *L. I.* 32. 3) *L. VII.* 46.

Artabanus exponit, ita commendavit, quemadmodum ipse in historiarum exordio parvas pariter atque magnas hominum civitates se persecuturum profitetur, propterea quod eae, quae olim magnae fuissent, parvae factae essent, eae vero nunc magnae, quae antea parvae. [1]) Similis huic sapientiae fons est et causa illi, quam in poesi gnomica deprehendimus: nec sine causa historiam dixit vitae magistram et lucem veritatis Cicero: [2]) quippe quum sit ea testis temporum, multorum saeculorum usum praebet viventi ad breve tempus homini. Et vero si vel Soloni Croesus vel Xerxes Artabano obtemperasset, multa mala evitasset uterque. Et tamen, licet egregie apud Herodotum disseratur de vita modeste et prudenter agenda, idque ipsum sit cum sententia de invidia divina conjunctum, [3]) tamen quibusdam ea modestia ac prudentia finibus terminatur, quos est transgressa Pindari sapientia. Nam apud Herodotum: *ἐν τῷ ἐπισχεῖν ἔνεστι ἀγαθά*, *in cohibendo bona sunt*, *etiamsi non continuo esse videantur*, *tamen postea reperienda.* [4]) Omnino cautionem nemo mortalium commendavit Herodoto melius: sic ille suspexit turbantes omnia Deos: sic luce historiae usus est, ut veram omnis eventus rerum humanarum consiliorumque rationem, quae una fragilitate continetur, perspiceret. Num igitur ad ignaviam adhortatus est, ne agendo aliquid et suscipiendo incurras in pericula? Imo vero invidiam Deorum non timendam putavit Atheniensibus, Persarum arcentibus ingentes copias. Verumtamen,

---

1) *L. I.* 5. 2) *de orat. L. II. c.* 9.

3) Conf. *disquisitio nostra de Herodoti philosophia*, *pagg.* 32, *seqq.* *et* 65, *seqq.* 4) *L. VII. c.* 10. 6.

si, quid probet, quaerimus, ab omni audaciore consilio, nisi aliquam necessitatem Deus afferat, alienus est: omnino in cohibendo maxima est apud eum temperantiae laus, non, quemadmodum apud Pindarum, tam in ferendo quam in emendando fortunam laudibusque spectandis: velut hic Hieronem excitavit ut pulcra verteret extra. [1]) Nec vero Pindarus invidiam Deorum esse et omnia turbare exposuit, sed deprecatus aliquando eam est, quia intelligebat, posse in eam incurri tum, quum praestanti sorte donatus sis, quae facile perducere possit ad superbiam, verum etiam a se deprecatur ipse: laudando fortunam et victorias eorum, quos suis praeconiis ornabat, ne forte nimium conferret in ipsos, pertimuit: [2]) nectar et ambrosiam, quae a Diis acceperat, hominibus impertiendo Tantalus culpam invenerat: [3]) ipse vero Musarum dona acceperat: haec intellexit non ita se debere in aequales conferre, ut Deorum instar esse viderentur. Sic et Herodotus et Pindarus existimarunt, non sinere Deum alium alta spirare nisi se ipsum: sed Herodotus propter rerum humanarum inconstantiam Deos suspexit: Pindarus non quia turbant omnia, sed quia longe sunt superiores nobis, et adoravit eos et causam modestiae ac pietatis commendavit.

§ 4.

Comparatio Pindari cum Poetis didacticis.

Floruit Jonia studiis philosophiae, de astrorum cursu, de mundi origine, de divina natura inquirentis, florue-

---

1) Conf. *pag.* 58. 2) Conf. *pag.* 37, 64. 3) Conf. *pagg.* 19.

runt etiam aliae regiones orbis Graeci antiqui. Eorum philosophorum fuere haud pauci, qui doctrinam suam versibus exposuerunt: multa exstiterunt poemata, quae inscripta sunt *περὶ φύσεως*, *de natura*, sive ab ipsis auctoribus eo titulo indito, sive propter argumentum ab aliis addito. Doctrinam et argumenti certi habuerunt explicationem: genus id didacticum merito vocatum est. Cujus rationem propriam cum Pindaro breviter comparasse haud poenitebit: quamquam dolendum vehementer est, plerorumque non nisi fragmenta ad nostram aetatem pervenisse. Velut etiam Xenophanis non nisi paucas habemus reliquias: et tamen hunc, quemadmodum in gnomicis fecimus ut unum pro exemplo sumeremus, potissimum cum Pindaro comparare juvat, cum propter vetustatem ejus tum etiam auctoritatem, maxime vero quia ejus sententia exstitit, quae simile quoddam Pindaro propositum habuerit.

Etenim appellatus est Xenophanes *ὁμηραπάτης ἐπισκώπτης*, *Homericorum mendaciorum irrisor*: certe reprehendit Homeri de Diis fabulas, idque e carminum ejus reliquiis intelligimus: velut: „omnia Diis attribuerunt Homerus et Hesiodus, quaecunque ab hominibus probrum et dedecus habentur, furari inter se, adulterari, fraudare." [1]) Verum processit etiam longius, nec solum humana vitia, verum etiam omnem humanam naturam formamque a divina natura sejunxit: „at mortales opinantur natos esse Deos, mortalique habitu et forma et figura praeditos." [2]) Plane ergo religionem suorum popularium superstitionem

---

1) *Rel. VII, apud S. Karsten, Xenoph. reliq. p.* 43.
2) *Rel. V. p.* 39.

habuit et exagitavit, id quod alii quoque fecerunt, et, sua ipse ratione de divina natura inquirens, statuit Deum esse et unum et sui similem et aeternum et dominantem. [1])

Pindarus vero, quamquam reprehensor mendaciorum, in emendando Homero substitit, nolens vitia humana tribui Diis: sed vetustas de iis traditiones, quae quidem ad laudes ipsorum pertinerent, non sustulit, sed potius canendo extulit. Ita scilicet dixerim distare vitam et scholam. Non fuit Pindarus alicujus disciplinae conditor, neque carminibus suis docere voluit, sed laudare: fuit, si quis alius, religione suorum popularium imbutus: sed modestiae studio ductus ac pietatis, et intelligentia veri, qua reliquos homines superabat, eam ipsam religionem coluit, sejuncta pravitate. Xenophanes a remoto progressus principio, continuo ipsam divinam naturam ita constituere conatus est, ut ne quid ei tribueretur, quod non esset ipsius rationi consentaneum: sed Pindarus profectus est a se, neque hominem oportere putavit de Diis prava narrare.

Quodsi jam de utriusque sententiae fructu quaerimus, Xenophanes suam de Deo sententiam ita separavit a rerum reliquarum disputatione, ut quasi divinum numen e mundo sustulerit: [2]) Pindarus Diis omnia gaudia deberi, Deos in quaque re colendos ac verendos esse docuit, imbuitque homines pietate. Profecerunt quidem a doctrina Xenophanis posteri: fuit reapse didacticus, doctos docendo etiam post mortem: Pindarus vero et supra populum sapiens, et tamen popularis.

---

1) Vid. *ibid. pag.* 127. 2) *Ibid. pp.* 144, 197.

§ 5.

Comparatio Pindari cum Platone.

Platonis etiam sententia apponenda videtur, in libris De Republica de poesi praecipientis. Nam quales futuri sint perfecti custodes reipublicae quum effingat, rem ab initio repetit magnamque curam ponendam esse docet in primis, quos audiant, sermonibus, nec committendum, ut in prima pueritia pravis sententiis imbuantur accipiendo ejusmodi carmina, quae pravitatem exemplorum exhibeant. Multa reprehendit Homeri, narrantis proelia Deorum et odia, ne discant inde cives etiam ipsi inter se odisse atque contendere: nec probat, Deos rerum omnium auctores poni, sed malarum rerum alias docet causas esse quaerendas, quum Dii tantummodo bonarum auctores esse possint. Nec mutationes et mendacia Deorum oportere narrari, ne timidi evadant qui ea audiant. Nec vero fortitudinem posse pueris tradi, si eae, quae de inferis feruntur, formidines animos eorum teneros adhuc et flecti cereos permoveant. [1])

Praeclare monuit omnino et praeclaras ipse interseruit de Diis sententias: fueritne autem in Homerum acrior et num possint ex Homero etiam praecepta peti, a Platone praetermissa, quae bonae institutioni inserviant, nunc quidem in medio relinquimus. Illud cernimus, convenire videri Platonem cum Pindaro, sejungente humana vitia a Diis, reprehendente priorum poetarum men-

1) *L. II.* 367—*L. III.* 392.

dacia, de morte vero ita existimante, ut et laudis studio et spe immortalitatis ad fortitudinem et virtutem impelleret. Sed praeterea videamus, quid sit utrique maxime proprium. Nam Plato, quum videatur hoc loco quoddam sententiae melioris principium commendare, quod sit quodammodo Pindaro inferius, revera tamen tetendit altius.

Quippe Plato spectat utilitatem, pietatem Pindarus. Monet quidem philosophus, vitanda esse illa mendacia, ne Diis maledicamus: [1]) sed ea admonitio quasi secundo loco adjungitur: maxime spectatur respublica, ut rectores nanciscatur bene institutos et ad officium suum informatos. Pindarus vero simpliciter pius esse voluit, et de Diis pulcra dicere hominem oportere putavit. Pietatem utilitatis commendationi praestare dixeris. Sed illam spectans utilitatem Plato attigit ejusmodi sententiam, in qua praestantior sententia lateat. Nam quum divinorum exemplorum pravitate ne fiant mentes deteriores caveat, ostendit, homini exemplum esse propositum Deum. Idcirco etiam in hac ipsa disputatione institutionis consilium eo revocat, *εἰ μέλλουσιν ἡμῖν οἱ φύλακες θεοσεβεῖς τε καὶ θεῖοι γίγνεσθαι, καθ' ὅσον ἀνθρώπῳ ἐπὶ πλεῖστον οἷόν τε· ut futuri sint custodes nobis erga Deos pii ipsique divini quomodo maxime homo esse possit.* [2]) Atque alibi fusius de divina natura, et quomodo ei nostra cognata sit et ad eam debeat accedere, disputavit: [3]) nunc vero in perfecta republica, quae ab hominum genere possit vel condi vel fingi, rectores constituit ad exemplum eorum, qui mundum et condiderunt et regunt.

---

1) *L. II.* 381. *E.* 2) *L. II.* 383. *C.* 3) Conf. *Ph. Gul van Heusde, initia philosophiae Platonicae, vol. III. p.* 247.

Quid igitur? num aliena Platonis a Pindari sententia? Imo vero tam similis, ut non ratione, sed perfectione differat alter ab altero, et absolverit philosophus, quod inchoavit poeta. Nam Pindarus homines cum Diis cognatione copulavit, vetuitque idem quidquam de Diis dicere, nisi quod esset pulcrum, et aliquid suspicatus est de veritatis summa et regente omnia praestantia. Hinc videbatur per unum gradum fieri transitus: transiit Plato: in Deo posuit perfectae virtutis exemplar, hominibus, quantum fieri posset, imitandum.

Redeamus eo, cujus causa et Homerum et reliquos cum Pindaro comparavimus, ut propriam Pindari rationem ostenderemus, et quasi mentem quodammodo effingeremus. Quippe haec erat illa *ἄβατος ψυχὴ*, *incorrupta mens*, *integra ac sincera*, quae, secundum eundem Platonem, excitatur a Musis et in furorem aliquem impellitur: quo furore qui careat, nae ille frustra arte nitetur nec portas introibit Musarum. [1]) Hoc ipsum a Pindaro expressum est illis:

ἐκ θεοῦ δ' ἀνὴρ σοφαῖς ἀνθεῖ ἐσαεὶ πραπίδεσσιν·

ex Deo semper homo sapiente mente floret: [2])

et saepius naturae ipsiusque mentis celebrat vim et praestantiam. Tantum valet illud nosse se ipsum, et praestat experientiae ipsique luci historiae ille ignis divinitatis mortalibus inditus: qui et poetis et cunctis excitandus est, veritatem amplectentibus et ad meliora cupientibus pervenire. Hanc Pindari divinitatem ipse, qui supra reliquos antiquitatis laudatissimos viros divini cognomine ornatus est, Plato agnovit, et in gravissima

1) *Phaedr.* 245. *A.* 2) *Ol. XI.* 10. Conf. *p.* 65.

re ad eum provocat, Pindarum dicens et eos, qui praeterea divini Poetae fuerint, animum appellavisse hominum immortalem, neque eum unquam dicere interire, ideoque quam sanctissime oportere vitam perducere ad finem. [1])

Verum non possum huic finem imponere dissertationi, quin admirer Graecorum studia, quomodo fuerint et maxime varia, et tamen ita inter se similia, ut ad optima tenderent. Quam exiguam nos nunc partem attigimus? Et tamen Homerum vidimus incredibili suavitate ita praestare, ut et metum Deorum et humanitatem modestiamque commendaret: Xenophanem vituperare ejus mendacia et religionem paene tollere, et tamen Platoni praeire viam sentiendi ea de divinae naturae constantia, ut noluerit quidquam nisi perfectum in ea natura inesse: gnomicorum ingeniis partam sapientiam, quae quum esset rerum multarum experientiâ corroborata, ipsa redderet rebus multis consiliisque usum salutarem: lucem historiae, petitam e multorum saeculorum memoria, excitare sententias ejusmodi, quae etiam postea multis saeculis prosint: Pindarum, divino ingenio, commonstrare, quid hominem deceat, et gravissimarum rerum veritatem accendere: Platonem et de Deo et de homine praeclare sentire. Stant immortalium virorum suae cuique laudes: atque in tanta studiorum varietate manet Pindari vox:

τοῦτο γὰρ ἀθάνατον φωνᾶεν ἕρπει,
εἴ τις εὖ εἴπῃ τι·

illud enim aeternum sonans currit, si quis quid bene dicit.

1) *Meno*, 81. *B.*

PINDARI CARMINA OLYMPIA.

CUM ANNOTATIONE CRITICA,

INTERPRETATIONE LATINA ET COMMENTARIO.

ΟΛΥΜΠΙΑ.

Ο Λ Υ Μ Π Ι Α.

ΕΙΔΟΣ Α'.

ἹΕΡΩΝΙ ΣΥΡΑΚΟΥΣΙΩι

ΚΕΛΗΤΙ.

Στροφὴ α'. Κώλων ιζ'.
Ἄριστον μὲν ὕδωρ· ὁ δὲ
Χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ
Ἅτε διαπρέπει νυ-
κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου·
Εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν
Ἔλδεαι, φίλον ἦτορ,

NOTAE CRITICAE.

Scripturam Codicis Pal. C. memoravi secundum Lectiones Pindaricas C. L. Kayseri, Heidelbergae 1840: Codicum Vratislensium secundum Apparatus Pindarici Supplementum Car. Ern. Christoph. Schneideri, Vratislaviae 1844. Editiones, quibus usus sum, certe satis notae sunt, excepta fortasse editione I. P. Janzonii, Lundae, Typis Berlingianis, 1841.

Μηκέτ' ἀελίου σκόπει
Ἄλλο θαλπνότερον
Ἐν ἀμέρᾳ φαεινὸν ἄστρον
Ἐρήμας δι' αἰθέρος·
Μήδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα
Φέρτερον αὐδάσομεν·
Ὅθεν ὁ πολύφατος
Ὕμνος ἀμφιβάλλεται
Σοφῶν μητίεσσι, κελαδεῖν
Κρόνου παῖδ'· ἐς ἀφνεὰν ἱκόμενους
Μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν·

Ἀντιστροφὴ α'. Κ. ιζ'.

Θεμιστεῖον ὃς ἀμφέπει
Σκᾶπτον ἐν πολυμάλῳ
Σικελίᾳ, δρέπων μὲν
Κορυφὰς ἀρετᾶν ἄπο πασᾶν·
Ἀγλαΐζεται δὲ καὶ
Μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ,
Οἷα παίζομεν φίλαν
Ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ

---

7. Μηκέτ' ἀελίου. Schmidius, Heynius et plerique editores Μηκέθ' ἁλίου. Quod dedi, est in Pal. C et, quantum scio, in melioribus libris.

9. φαεινὸν. Boeckhius ex codice Ven. F, quem perbonum dicit in Praefatione p. 26, dedit φαεννὸν.

16. ἱκομένους. Sic in Pal. C, omissum in ordine, sed suprascriptum minutis literis, et in aliis libris, et agnoscitur in vetere scholio. Heynius ἱκόμενοι, etiam e libris petitum: atque in Pal. A aliisque ἱκομένοις, quod probat Hermannus et recepit Bergkius.

19. σκᾶπτον. Eustathius ad Il. I. 15: ὁ Πίνδαρος σκᾶπτον αὐτὸ Δωρικῶς καλεῖ.

19. πολυμάλῳ. Schneidewinus mutavit et dedit πολυμήλῳ, sic postulare dialectum Pindari arbitratus. Et est ea forma Py. IX. 11.

Τράπεζαν. ἀλλὰ Δωρίαν ἀ-
πὸ Φόρμιγγα πασσάλου
Λάμβαν', εἴ τί τοι Πίσας τε
Καὶ Φερενίκου χάρις
Νόον ὑπὸ γλυκυτά-
ταις ἔθηκε Φροντίσιν·
Ὅτε παρ' Ἀλφεῷ σύτο, δέμας
Ἀκέντητον ἐν δρόμοισι παρέχων,
Κράτει δὲ προσέμιξε δεσπόταν

Ἐπῳδὸς α'. Κ. ιγ'.

Συρακόσιον, ἱπποχάρμαν
Βασιλῆα. λάμπει

---

35. Quod dedi, libri fere, quantum scio, habent, et plerique editores. In Pal. C est *συρακοσίων ἱππιοχάρμας βασιλέα*, et *ἱππιοχαρμᾶν* a manu non multum recentiore, atramento pallidiore mutatum in *ἱπποχαρμᾶν*. Et scholiasta, cujus verba ex eo codice protulit Kayserus, agnoscit *ἱπποχάρμαν*, memorat vero veterem scripturam *συρακοσίων ἱπποχαρμᾶν*, ejusque scripturae causam hanc fuisse proditam, *τὸν γὰρ Ἱέρωνα οὐκ εἶναι Συρακούσιον, ὅτε ἐνίκα. κτίσαντα γὰρ αὐτὸν τὴν Κατάνην καὶ προσαγορεύσαντα Αἴτναν ἀπ' αὐτῆς Αἰτναῖον λέγουσιν αὐτόν. εὐήθεις φησὶ Δίδυμος τούτους· τότε γὰρ ὁ Ἱέρων ἦν Συρακούσιος, καὶ οὐδὲ ἦν Αἰτναῖος, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος. ὁ δὲ Ἀριστόνικος ἀξιοπίστως Αἰτναῖον ὄντα Συρακούσιον ὀνομάζεσθαι.* Idem scholion habet Boeckhius, ex Urat. A. Verum Kayserus, rejecto illo argumento, tamen genitivum pluralem ideo defendit, quod a Pindaro nusquam *βασιλεύς* et similia vocabula ponantur cum adjectivo possessivo sed semper cum genitivo plurali nominis gentilicii, velut Ol. X 43 *Ἐπειῶν βασιλεύς*, Py. I 142 *Συρακοσίων ἀρχῷ*, Py IX 25 *Λαπιθᾶν βασιλεύς*: et apte Hieronis laudibus adjungi laudes civitatis, quum essent Syracusae, Py. II. 2,

βαθυπολέμου
τέμενος Ἄρεος, ἀνδρῶν
Ἵππων τε σιδαροχαρμᾶν
Δαιμόνιαι τροφοί.

Sed vide, quae in enarratione ad hunc locum annotabimus.

Δέ οἱ κλέος ἐν εὐάνορι Λυδοῦ
Πέλοπος ἐποικίᾳ· τοῦ μεγασθενὴς
Ἐράσσατο γαιάοχος Ποσειδᾶν,
Ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἔξελε
Κλωθὼ, ἐλέφαντι φαίδιμον
Ὦμον κεκαδμένον.
Ἦ θαυματὰ πολλά·
Καί πού τι καὶ βροτῶν φρένας
Ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον

---

37. ἐν. Heynius habet παρ'. Utrumque est in libris: ἐν etiam agnoscitur a vetere scholiasta. In nonnullis, velut in Par. A et in Pal. C, praepositio deest.

37. εὐάνορι. Scholiasta vetus memorat etiam scripturam εὐάνορος.

38. ἐποικίᾳ. Libri et Heynius ἀποικίᾳ. Sed alterum videtur ad sententiam melius, idque etiam olim scriptum fuisse testatur scholiasta vetus. Recepit jam Boeckhius.

11. *σεμνᾶν.* Pro hoc Kayserus et Hartungius *ἁγνᾶν.*

12. *κοιρανέοντι.* Dissenius aliique *κοιρανέουσιν.* Glossator in Leid. A *ἀντὶ δεσπόζοντες*, ut legisse eum crederes *κοιρανέοντες*: sed ea glossa videtur cum mutilatione ducta esse e scholio recentiore *ἀντὶ τοῦ δεσπόζοντες διατάττουσι.*

14. *ἐν οὐρανῷ.* Hermannus *ἐνουρανίαν.*

16. *παρὰ Πύθιον.* Ahlwardtus e manuscriptis Neapolitanis *παρὰ καὶ Πύθιον.*

17. *σέβοντι.* Alia scriptura latere videtur in scholio vetere *ἢ ἀντὶ τοῦ ἀνελλιπῶς καὶ αἰωνίως παρὰ τῷ πατρὶ Διῒ τιμῶνται τῷ ἐν οὐρανῷ ὄντι.* Scholiastae sententiae conveniret *ἔχοντι.* Tamen *σέβοντι* in altero vetere scholio explicatur per *σέβουσιν.*

19. *ὦ.* In Vat. exstare existimat Boeckhius: et est in Pal. C. Ante Boeckhium fere praetermittebatur.

19. *πότνι'.* Urat. B *πότνια.* Tauchnitzius errore *πόντι'.*

19. *φιλησίμολπέ.* Pauwius malebat *φιλησίδορπέ.*

20. *θεῶν κρατίστου παῖδες.* Scholiasta vetus: *οὐχ ὅτι κρατίστους ἔχουσι παῖδας, ἀλλ' ὅτι αὗται κράτισται παῖδές εἰσι· νέαι γάρ· αἱ κράτισται τῶν παίδων τῶν θεῶν. ἢ τῶν κρατίστων θεῶν.* Ex quo credideris, si tale vocabulum comminisci licet, illum legisse *κρατιστόπαιδες.*

Ἐπάκοοι νῦν, Θαλία τε
Ἐρασίμολπε, ἰδοῖσα τόνδε
Κῶμον ἐπ᾽ εὐμενεῖ τύχᾳ
Κοῦφα βιβῶντα· Λυδίῳ γὰρ
Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ
Ἐν μελέταις τε ἀείδων
Ἔμολον· οὕνεκ᾽ Ὀλυμπιόνικος ἁ Μινύεια

---

21. *ἐπάκοοι νῦν.* Sic libri, eamque scripturam manifesto agnoscunt scholiastae, explicantes *γένεσθε δηλονότι* et similia addentes alia. Varie editores mutarunt. Hermannus *ἐπάκοοι ταν͂ν*, Boeckhius et Schneidewinus *ἐπάκοος γένευ*, Ahlwardtus *ἐπάκοοί γε νῦν*, Hartungius *ἐπαΐοιτε νῦν*. Si quis Boeckhium sequi velit, scribat tamen *γενεῦ*.

21. *τε.* Sic Urat. B, Aldus et Ms. Bodl., et sequente versu *ἐρασίμολπε*. In Par. A *τε* omissum est. In reliquis, quantum scio,

τε ἐ-
ρασίμολπε.

23. *εὐμενεῖ.* Urat. B et Pal. C *εὐγενεῖ.*

24. *Λυδίῳ γάρ.* Boeckhius *Λυδίῳ δ᾽*, Hermannus *Λυδῷ γάρ.* In Urat. B, Ald. et Ms. Bodl. *γὰρ* in sequente versu ponitur: sed in Urat. B est *Λυδίω.* Omissum est *γὰρ* in Cod. Brunck.

26. *τε.* Pal. C et Vat. *τ᾽*. Boeckhius *μελέταις ἔν τ᾽ ἀείδων.*

27. *ἔμολον.* Sic libri haud pauci, in quibus Pal. C. Urat. B *ἔμελον.* Alii libri *μόλον.* Totum locum mutavit Pauwius, hoc modo:

Λυδῷ
γὰρ Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ ᾽ν μελέταις τε ἀείδω,
μόλ᾽, οὕνεχ᾽ Ὀλυμπιονίκας ἁ Μινύεια
σεῦ ἕκατι:

ita quippe metricum legisse existimat. Hartungius:

Λυδίῳ δ᾽
Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ
ἔν τε μελέταις ἀείδων ἔμολον
οὕνεχ᾽ Ὀλυμπιόνικος, ὦ Μινυεία,
σεῦ θ᾽ ἕκατι.

27. *Μινύεια.* Sic libri: Boeckhius et eum secuti reliqui *Μινυεία*, fortasse melius: tamen hujus generis exemplum est *πότνια.*

Σεῦ ἕκατι. Μελαντειχέα νῦν δόμον
Φερσεφόνας ἴθι, Ἀχοῖ,
Πατρὶ κλυτὰν φέροισ' ἀγ-
  γελίαν, Κλεόδαμον ὄφρ' ἰδοῖσ' υἱ-
  ὸν εἴπῃς ὅτι οἱ νέαν
Κόλποισι παρ' εὐδόξοιο Πίσας
Ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀέθλων
Πτεροῖσι χαῖταν.

---

28. *σεῦ ἕκατι.* Bergkius *σεῦ γ' ἕκατι.*

28. *Μελαντειχέα.* Glossator Leid. A legisse videtur *μελαντυχέα*, explicans *τὴν μέλαιναν τύχην ἔχουσαν.* Boeckhius secundum libros edidit *μελαντειχέα*, sed postea alii *μελανοτειχέα*, id ab illo commendari nunciantes.

28. *νῦν.* Omissum in Urat. A, Leid. B, et fortasse in aliis.

29. *Φερσεφόνας.* Schmidius *Περσεφόνας*, idque habet Pal. C. Cf. Isth. VIII 119.

29. *ἴθι.* Sic librorum partim, alii libri, in quibus Urat. A et B, *ἐλθὲ*, quod in Teubneriana recepit Schneidewinus.

31. *Κλεόδαμον.* Boeckhius aliique *Κλεύδαμον.*

31. *ὄφρ'.* Sic libri, quantum scio. Schmidius, Heynius et Hermannus *ὄφρα.*

31. *ἰδοῖσ'.* Bodl. *β* et *γ* *ἰδοῖς*, Urat. B *ἰδοῖσ.*

32. *εἴπῃς.* Omissum in Leid. A, Pal. C *εἴποις.*

32. *νέαν.* Sic plurimi libri, eaque scriptura agnoscitur in scholiis: pauci libri *νέον.* Ahlwardtus *νεαρὰν.*

33. *κόλποισι.* Boeckhius aliique *κόλποις*, e Leid. B, Lips. et Vindob. 58.

33. *εὐδόξοιο.* Boeckhius aliique *εὐδόξου.*

INTERPRETATIO LATINA.

INTERPRETATIO LATINA.

OLYMPIA I.

HIERONI SYRACUSIO,

equo.

Praestantissima est aqua, aurum vero, quemadmodum ignis emicat nocte, longe praestantissimum est divitiarum superbarum: quodsi certamina laudare cupis, o mea mens, ne porro quaeras aliud foventius lucidum sidus per diem in vacuo aethere, neque Olympiâ certamen majus dicemus: unde laudatissimum carmen circumjicitur mentibus sapientium, ut canant Croni filium, ad opulentam venientes beatamque Hieronis aram, qui regium sceptrum tractat in divite pecoris Sicilia, decerpens culmina de laudibus omnibus, et oblectatur flore musicae, quemadmodum viri ludimus saepe circa mensam dilectam. Verum Doriam de clavo sume citharam, si quid tibi Pisae et Pherenici laus mentem dulcissimis curis subje-

cit, quum ad Alpheum volaret, recusans corpori stimulum in cursibus, et victoriae dominum admoveret, Syracusium regem, gaudentem equis. Lucet ei gloria in celebri Lydi Pelopis sede: quem magnipotens, qui terram habet, Neptunus amavit, postquam eum e lebete splendido exemit Clotho, ebore ornatum humero nitido. Profecto multa mira: et aliquo modo etiam supra veritatem ornatae mendaciis variis fabulae decipiunt mentes hominum: et gratia, quae cuncta facit dulcia mortalibus, honorem afferens effecit ut etiam infidum saepe esset fidum: verum posteri dies sunt testes sapientissimi. Decet hominem de Diis dicere pulcra: sic enim minor culpa est. Fili Tantali, ego te, contra priores, narrabo, quum pater ad justissimum convivium dilectamque Sipylum vocaret Deos, vicissim iis praebens epulas, tunc rapüisse Tridentipotentem, mente victum amore, in aureo curru ad summam late honorati Jovis domum transportasse, quo postero tempore venit etiam Ganymedes Jovi ad usum eundem. Sed quum non appareres, nec multum quaerentes homines te ad matrem adducerent, dixit clam aliquis continuo vicinorum invidorum, in maximo aquae igneo fervore eos cultro secuisse membra et circa mensas secundas epulas carnium tuarum distribuisse et comedisse. Ego vero non possum quenquam beatorum appellare ventre insanientem: absum: malum occupavit saepe eos, qui maledicunt. Si quem virum mortalem Olympi rectores honorarunt, fuit Tantalus hicce: verum enim concoquere magnam fortunam non potuit, fastuque cepit cladem ingentem, quam supra eum pater suspendit, suspendens ei grave saxum, quod ille semper metuens ne caput suum feriat laetitiae expers

est. Habet miseram illam aerumnosamque vitam, cum tribus quartum laborem, quia aequalibus convivis immortalium nectar ambrosiamque furatus dedit, quibus ipsum immortalem effecerant. Si quis homo committens aliquid se Deum latere putat, errat. Idcirco demiserunt filium ejus immortales rursus ad aevi brevis genus hominum. Quum vero florente adolescentia lanugo ei nigrum mentum tegeret, paratum cogitavit habere conjugium a patre Pisata, gloriosam Hippodamiam. Prope veniens ad mare caeruleum solus in tenebris appellavit graviter sonantem Tridentigerum: hic ei ante pedes continuo apparuit. Huic ille: jucunda dona, inquit, Cypridis age si quâ, Neptune, gratiosa sunt, vinci hastam Oenomai aeneam, me vero in celerrimis curribus duc in Elidem et adduc ad victoriam. Nam tredecim quidem viris amantibus occisis differt conjugium filiae. Magnum periculum non capit virum imbellem. Mori quibus necesse est, quare quis ingloriam senectam in tenebris sedens frustra concoquat, laudum omnium expers? sed ego hoc certamen subibo, tu vero felicem successum da. Sic dixit: neque irritam orationem aggressus est. Illum honorans Deus dedit ei currum aureum alisque indefessos equos. Cepit Oenomaum fortem virginemque conjugem: ac peperit filios sex, populorum duces, qui virtutibus curae fuerunt. Nunc vero particeps est inferiarum pulcrarum, positus juxta Alphei flumen, tumulum aditu celebrem habens juxta frequentissimam hospitibus aram. Et e longinquo lucet gloria Pelopis in Olympiadum stadiis, ubi celeritas pedum certat ac maxima virium fortitudo: victor vero in reliqua vita habet dulcissimam jucunditatem propter praemia. Quod

bonum semper quoque die adest, summum venit omni mortali. Me vero coronare hunc decet equestri modo cantu Aeolio: scio me hospitem neminem laudum intelligentem pariter atque potentia praestantiorem eorum qui nunc quidem sunt gloriosis ornaturum esse carminum indumentis. Deus tutor consiliorum tuorum est, Hiero, habensque eam curam prospicit iis: quodsi haud cito relinquat, etiam dulciorem spero me adjutricem viam sermonum cum curru celeri inventurum et praedicaturum esse, quum ad amoenum Cronium venero. Mihi quidem Musa validissimum telum viribus nutrit: aliis rebus alii magni sunt: extremum vero consummatur regibus. Ne spectes longius. Contingat et tibi per hoc tempus alte incedere, et mihi pariter cum victoribus esse, praeclaro sapientia in Graecis ubivis.

OLYMPIA II.

THERONI AGRIGENTINO,

curru.

Cithararum domini hymni, quem deum, quem heroem, quem virum dicemus? Sane Pisa Jovis est: Olympia instituit Hercules, manubias belli: Theronem propter quadrigas victrices voce celebrare oportet, justum hospitem, columen Agrigenti, nobiliumque patrum decus, florentis patriae: qui multa passi animo sacram habuere sedem fluvii, Siciliaeque erant oculus, aevumque secutum

est fato datum, divitias et decus afferens ad genuinas virtutes. Verum o Saturnie fili Rheae, sedem Olympi habitans, certaminumque culmen flumenque Alphei, oblectatus carminibus benevolus agrum patrium illis tuere etiam postero generi. Rerum factarum vel jure vel injuria ne tempus quidem omnium parens infectum reddere possit eventum: verum oblivio cum felici fato fieri potest. Nam bonis a gaudiis malum infestum domitum moritur, ubi Dei Parca sublime evehit altam felicitatem. Convenit sermo regiis Cadmi filiabus, quae magna passae sunt. Sed luctus gravis cadit majoribus prae bonis. Vivit in Olympiis mortua fremitu fulminis comata Semela, et amat eam Pallas semper, et Jupiter pater magnopere, amatque filius hederiger. Dicunt etiam in mari cum filiabus Nerei marinis vitam immortalem Inoi constitutam esse per omne tempus. Profecto mortalium non compertus est terminus mortis, quando [1] ne quietum diem quidem, filium solis, cum integro bono finituri sumus: fluctus alias alii cum gaudiis et laboribus ad homines veniunt. Sic Parca, quae paternum horum habet laetum fatum cum data divinitus fortuna, adducit etiam aliquod malum contrarium alio tempore: ex quo interfecit Lajum fatalis filius obviam factus, et oraculum olim Pythone datum explevit. Videns acuta Erinnys interfecit ejus cum caede mutua martiam prolem. Relictus est Polynici prostrato Thersander, in juvenilibus certaminibus inque proeliis belli honoratus, Adrastidarum

1) Quando consulto posui, verum significatione causali, qua saepius quidem quandoquidem scribitur, et tamen etiam quando. Feci, quo diligentius Graecum ὁπότε exprimerem.

domui progenies auxiliaris: unde seminis habentem radicem decet Aenesidami filium laudativa carmina lyrasque nancisci. Nam Olympiae ipse praemium accepit, Pythone vero et in Isthmo germano fratri communes gratiae attulerunt flores quadrigarum cursu facto duodecies. Experientem certamen nancisci propositum liberat a tristitia. Profecto divitiae ornatae laudibus ferunt multarum rerum copiam, profundam praebentes curam fortiorem, sidus splendidum, verum viro lumen. Si quis eas habet, novit futurum, eorum, qui hic mortui sint, continuo debiles animas poenas luere, et commissa in hoc Jovis regno scelera sub terra judicare aliquem, infestâ sententiam necessitate dicentem. Noctibus pariter semper pariterque diebus solem habentes boni minus laboriosa vita fruuntur, non terram miscentes maximo manuum robore nec maris aquam propter victum inanem: verum apud honoratos Deorum, quicunque gavisi fuerunt jurisjurandi fide, lacrymis aevo carente fruuntur: illi vero laborem non adspiciendum ferunt. Quotquot sustinuerunt ter utrobique manentes ab injustitia omnino cohibere animum, perfecere Jovis viam ad Croni turrim: ubi beatorum insulas aurae oceani circumflant, et flores aurei ardent, alii e terra a decoris arboribus, alios alit aqua, quorum sertis manus redimiunt et coronas, in recto judicio Rhadamanthi: quem pater Cronus paratum sibi assessorem habet, maritus Rheae, supremum omnium thronum habentis. Peleus et Cadmus in iis numerantur: et Achillem eo, postquam Jovis pectus precibus exoravit, mater advexit: qui Hectorem projecit, Trojae invictum inconcussum columen, Cycnumque morti dedit, et Aurorae filium Aethiopem. Multa mihi sub

cubito velocia tela intus sunt in pharetra, sonantia intelligentibus: verum in vulgus indigent interpretibus. Sapiens est qui multa novit naturâ: qui didicerunt, rapidi garrulitate velut corvi irrita loquuntur juxta Jovis divinum alitem. Intende nunc arcum in propositum: age anime, quem ferimus e dulci rursus mente clara tela mittentes? in Agrigentum intendens dicam juratam sententiam vera mente, nullam per centum annos urbem peperisse virum magis amicis mente beneficum manuque liberaliorem Therone. Sed laudem invasit invidia, non jure obvia, sed a malis viris, vociferari cupiens et tenebras imponere bonorum pulcris facinoribus. Quandoquidem arena numerum fugit: ille quot gaudia aliis dederit, quis dicere possit?

OLYMPIA III.

THERONI.

Tyndaridis hospitalibus formosaeque Helenae ut placeam precor, clarum Agrigentum honorans, Theronis propter victoriam Olympiam carmen erigens, indefessorum equorum decus. Ita nimirum mihi Musa adstitit, novi splendoris modum festoque illustri convenientem reperienti, quo vocem Dorio aptarem calceo. Quandoquidem crinibus adjunctae coronae a me postulant hoc Diis auctoribus debitum, ut citharae sonos varios vocemque tibiarum et carminum compositionem Aenesidami filio misceam decenter, et Pisa ut clamem: a qua De-

orum munere veniunt ad homines carmina, si cui, perficiens jussa Herculis antiqua, religiosus Hellenodica vir Aetolus super cilia crines circumdedit viridi ornamento olivae: quam aliquando ab Istri umbrosis fontibus tulit Amphithryoniades, monumentum Olympiorum pulcherrimum certaminum, populo Hyperbeorum Apollinis ministro quum persuasisset. Ille fida mente rogavit Jovis hospitali fano umbrosam plantam communem hominibus coronamque virtutum. Jam enim ei, patri quidem consecratis aris, medio mense Luna curru aureo vesperi affulserat toto oculo, et magnorum certaminum sanctum judicium simulque festum quinquennale instituerat ad divinas ripas Alphei: verum non arbores pulchras proferebat locus in saltibus Saturnii Pelopis. His nudus ei videbatur hortus acribus subjectus esse luminibus solis. Tum ergo eum animus impulit ut in terram proficisceretur, ubi Latonae Istria equestris filia eum exceperat, venientem ab Arcadiae jugis et angulosis recessibus, quum eum jussis Eurysthei excitaret necessitas patre auctore, ut cervam feminam cornibus aureis abduceret, quam aliquando Taygeta dedicans Orthosiae inscribendo consecravit. Hanc persequens etiam illam regionem vidit pone flatum boreae frigidi. Ibi arbores admiratus est consistens. Harum eum dulcis cupiditas habuit ut eas circum metam curriculi duodenis equorum flexibus ambiendi plantaret. Et nunc ad hoc festum hilaris venit cum formosae Ledae geminis filiis, deorum in numero habitis. Illis enim permisit in Olympum proficiscens spectabile certamen regendum de virtute virorum celerumque aurigatione curruum. Me vero animus impellit, ut Emmenidis Theronique dicam venisse gloriam, eques-

tribus dantibus Tyndaridis, quia plurimis mortalium eos mensis hospitalibus colunt, pia mente servantes sacra beatorum. Quodsi praestantissima est aqua, divitiarum vero aurum honoratissimum, uunc quidem ad terminum pervenit virtutibus Thero propriis ad columnas Herculis. Quod ultra est, invium doctis est et indoctis: non sane persequar: inanis forem.

OLYMPIA IV.

PSAUMIDI CAMARINAEO.

(*Quadrigis.*)

Tonitrua qui late currentia regis summe Jupiter: tuae enim vices temporum cum carmine et citharae concentu vario me misere testem praestantissimorum certaminum: hospitibus si bene evenit, statim ad dulcem nuncium exsultant boni: verum o Croni fili, qui Aetnam habes, quo premitur pondere ventoso centiceps Typhoeus violentus, recipe propter Gratias hunc de Olympia victoria cantum, maxime diuturnum lumen virtutum fortium. Nam Psaumidis venit rhedam ornans: qui oliva coronatus Pisaea gloriam excitare Camarinae festinat. Deus benevolus sit reliquis votis: quandoquidem illum laudo, equis quidem alendis valde deditum, laetantemque hospitibus cunctis recipiendis et ad blandam civitatibus tranquillitatem sincera mente propensum. Non tingam mendacio orationem: experientia cognoscuntur homines. Quae

quidem Clymeni filium Lemniadum mulierum liberavit opprobriis. Et aheneis victor cursu in armis, dixit Hypsipylae, quum ad coronam veniret: talis ego sum celeritate: manus et pectus sunt similia. Gignuntur et adolescentibus in viris cani saepe et praeter aetatis tempus conveniens.

OLYMPIA V.

EIDEM PSAUMIDI.

Rheda.

Sublimium laudum et coronarum dulce decus Olympicarum, Oceani filia, corde hilari indefessaeque rhedae accipe Psaumidisque dona: qui tuam urbem evehens, Camarina, nutricem civium bis senas aras ornavit in festis Deorum summis, in hostiarum immolationibus et praemiorum per quinque dies actis certaminibus, quadrigis, mulis et singularibus equis: tibi vero dulcem gloriam victor dicavit, suumque patrem Acronem nunciavit et recens conditam sedem. Veniens Oenomai et Pelopis amoenis ab aulis, o praeses Pallas urbis, canit sacrum tuum lucum fluviumque Oanum et paludem domesticam, et rivos augustos, queis Hipparis populum irrigat, pangitque firmarum domuum celeriter proceram sylvam, e difficultate ducens in lucem hunc populum civium. Semper de laudibus labor sumtusque pugnat adversus opus periculo obvolutum: quibus vero bene est,

ii civibus etiam sapientes esse videntur. Servator qui in sublimi es Jupiter, Croniumque qui habitas tumulum et Alpheum honoras late fluentem, Idaeumque augustum antrum, supplex tuus venio, Lydiis sonans tibiis, precaturus urbem hanc ut virtutibus gloriosis decores: tuque, victor Olympice, ut Neptuniis delectatus equis feras senectutem bono animo ad finem, filiis, Psaumi, adstantibus. Valentem si quis rigat fortunam, largas habens opes et bonam famam adjungens, ne quaerat fieri deus.

OLYMPIA VI.

AGESIAE SYRACUSIO.

Rheda.

Aureas supponentes parietibus decoro domus atrio columnas, ut si conspicuum tectum, pangemus: nascentis operis frontem oportet facere longe lucentem. Si victor erat Olympiae, araeque fatidicae minister Pisae, et conditarum gloriosarum Syracusarum socius: quo carmine careret ille vir nanciscens civium non invidorum cantus jucundos? Sciat enim in hoc calceo se divina sorte pedem habere Sostrati filius. Sine periculo laudes neque in hominibus neque in navibus cavis honoratae sunt: multi vero meminerunt, si qua laus cum labore quaesita est. Agesia, tibi praeconium paratum est, quod jure prompta lingua aliquando Adrastus in vatem Amphiaraum Oeclei filium dixit, postquam ipsum et splen-

didos equos terra occupavit. Nam septem deinceps rogorum consumtis mortuis Talaionides ad Thebas tale verbum edidit: desidero exercitus oculum mei, vatem bonum pariter et fortem hasta bellatorem. Quod etiam viro praesto est Syracusio festi cantus domino. Non contumax quum sim nec sane nimis litigiosus, etiam magno jurejurando jurato hoc ei aperte testabor: et dulcisonae Musae mandabunt. O Phintis, verum junge jam mihi robur mularum, qua cito, ut in via nitida in rhedam escendamus, et etiam ad illorum gentem veniamus: illae enim praeter alias eam viam monstrare perite possunt, quandoquidem coronas acceperunt Olympiae. Oportet ergo portas hymnorum aperire illis. Pitanen ad Eurotae fluentum hodie quidem pervenire decet in tempore: quae quidem postquam cum Neptuno Saturnio coiit, formosam dicitur filiam Evadnen peperisse. Occuluit dolorem virgineum sinu. Justo mense misit famulos, jussitque infantem dare heroi Ilatidae curandam: qui viris Arcadibus imperabat et habitationem Alphei sortitus erat. Ibi educata, sub Apolline primum dulcem Venerem tetigit. Nec latuit Aepytum perpetuo tempore celans dei prolem. At ille Pythonem, pectore premens iram infandam acri cura, abiit consulturus de ea non toleranda calamitate. Illa vero punicea zona deposita et urna argentea sub dumetis obscuris peperit mentis puerum divinae. Virgini adsteterunt Apollinis opera mitis Ilithyia Parcaeque. Exiit ex visceribus et ex amabili partu Jamus in lucem continuo. Hunc illa dolens reliquit humi: duo caerulei serpentes illum Deorum voluntate nutrivere cum cura inculpato succo apium. Rex vero postquam saxosa profectus Pythone rediit, omnes

domi interrogavit de filio, quem Evadne peperisset: nam Phoebi illum dicebat genitum esse patris: supraque mortales fore vatem eximium hominibus. Sic ergo significavit. Illi vero nec audivisse nec vidisse praedicabant, quum ante quinque dies ortus esset. Verum enim occultus erat in juncis inviisque rubetis, violarum candidis et purpureis radiis rigato tenero corpore: quapropter etiam nuncupavit illum appellandum per omne tempus mater illo immortali nomine. Dulcis postquam et decorae attigit fructum juventutis, in Alpheum medium descendit et Neptunum potentem vocavit suum avum et arcitenentem Deli divinae praesidem, petens aliquem utilem populo capiti suo honorem, nocte sub dio. Respondit distincta vox paterna, illumque quaesivit: Surge, mi fili, huc celebrem in locum sequere vocem. Venerunt alti ad arduum saxum Cronii: ibi illi dedit duplicem thesaurum vaticinii: tum quidem ut vocem audiret ignaram mendacii: postea vero quam ferox Hercules advenisset, augusta Alcidarum progenies, et patri condidisset celeberrimum festum summumque certaminum institutum, tum vero ut Jovis in altissima ara vaticinium ut conderet imperavit. Ex quo clarissima in Graecis est gens Jamidarum. Felicitas eos comitata est. Dum honorant virtutes, in viam apertam procedunt. Ostendit unumquemque suum opus. Reprehensio ab aliis invidis impendet iis, quibus aliquando primum duodecimum cursum circumagentibus veneranda adsperget gratia formam conspicuam. Si revera sub monte Cyllenes, Agesia, materni viri habitantes deorum praeconem Mercurium donavere precibus et sacrificiis multum sane multis pie, qui certamina regit sortemque praemiorum

et generosam colit Arcadiam: ille, o fili Sostrati, cum patre tonante efficit tuam felicitatem. Cogitationem aliquam habeo in lingua cotis sonorae, quae me volentem attrahit dulcifluis flatibus. Avia est mea materna florifera Metopa, fortem quae Thebam peperit, cujus amabilem aquam bibo, viris fortibus nectens carmen varium. Excita nunc sodales, Aenea, primum ut Junonem Partheniam canant: discant deinde, veterem calumniam an vero sermone fugiamus, Boeotiam suem. Es enim nuncius rectus, decentium scytala Musarum, dulcis crater clarisonorum cantuum. Et hortare ut meminerint Syracusarum et Ortygiae: quam Hiero nitido sceptro administrans, optima pectore versans, formosam colit Cererem et illustris filiae festum et Jovis Aetnaei potentiam. Dulciloquae illum lyrae cantusque cognorunt. Ne frangat felicitatem tempus adrepens. Cum blanda comitate Agesiae recipiat festum cantum, de domo in domum a Stymphaliis moenibus advenientem, matrem relinquentem herbosae Arcadiae. Bene est, si in nocte procellosa e nave celeri duae anchorae alligatae sunt. Deus horum et illorum claram sortem praestet amans. Rector maris, et tu prosperum cursum da absque aerumnis, praeclarae conjux Amphitritae: meorumque carminum evehe laetum florem.

OLYMPIA VII.

DIAGORAE RHODIO,

Pugili.

Pateram ut si quis sumsit et intus vitis rore spumantem donat propinans adolescenti genero e manu benigna, de domo in domum, totam auream, qua nihil possedit praestantius, tum in convivii gratiam, tum suam honorans affinitatem, inque eo amicis praesentibus eum invidendum reddit propter concors connubium: sic ego nectar fusum, donum Musarum, fructum mentis, viris mittens qui praemia reportarunt, qui Olympiae et Pythone victores fuerunt, eos oblecto. Ille beatus est, quem bona gloria complexa est. Alias alium alma adspicit Gratia, dulcibus identidem sonis citharae tibiarumque cum instrumentis canoris. Et nunc cum ambobus descendi cum Diagora, marinam canens filiam Veneris, Solisque conjugem Rhodum, forti ut ingentique viro ad Alpheum coronato et ad Castaliam laudem feram, pugilatus praemium, et patri ejus Demageto, quem amat Justitia, qui claram tribus urbibus insulam prope rostrum amplae Asiae incolunt cum Argivorum hasta. Quibus ego volam ab initio a Tlepolemo divulgare et communem erigere famam, Herculis genti strenuae. Nam paterna origine ex Jove esse gloriantur, materna Amyntoridae ex Astydamia. At circum mentes mortalium innumeri errores suspensi sunt. Verum illud reperiri non potest, quod nunc et in fine homini optimum sit

nancisci. Namque Alcmenae fratrem spurium baculo feriens durae olivae interfecit Tirynthe Licymnium, venientem e thalamis Mideae, hujus terrae conditor aliquando iratus. Mentis perturbationes in errorem abduxerunt etiam sapientem. Abiit ad Deum eumque consuluit. Illi Auricomus e fragrantibus penetralibus navium nunciavit directum cursum a litore Lernaeo ad sedes mari cinctas, ubi aliquando Deorum magnus rex nivibus aureis urbem irrigavit, quum arte Vulcani securi ferrea patris e vertice summo prosiliens Minerva clamavit ingenti voce: Coelum illam horruit et Terra mater. Tum etiam Deus Hyperionides, qui lucem fert mortalibus, caros filios debitum jussit observare futurum, ut Deae primi conderent aram conspicuam, et sacro constituto decoro Patrique mentem mulcerent bellicosaeque Virgini. Virtutem injicit et gaudia mortalibus Prudentiae reverentia. Verum etiam aliqua inconsiderate nubes oblivionis accedit, et rectam rerum viam abstrahit extra mentem. Namque illi escenderunt non habentes semen flammae candentis: feceruntque sacris igne carentibus fanum in arce. Illis quidem adducens nubem candidam multum aurum demisit: ipsa vero dedit iis Minerva omni arte superare mortales manibus artificiosissimis. Opera vivis gradientibusque similia viae ferebant. Erat profunda gloria. Perito etiam major sapientia sine fraude est. Dicunt hominum vetusti sermones, quum terram inter se dividerent Jupiter et immortales, nondum conspicuam in pelago marino fuisse Rhodum, verum in salso profundo insulam latuisse. Absentis nemo ostendit partem Solis: et vero illum sine loci sorte reliquerunt sanctum Deum. Memoranti Jupiter novam sortitionem facere voluit. Ve-

rum id illum facere uon sivit: quandoquidem intra canum mare dixit semet ipsum vidisse e fundo crescentem fertilem terram hominibus et benignam pecoribus. Jussit continuo vinctam crines auro Lachesin tollere manus, Deorumque magnum non fallere jusjurandum, sed cum Saturni filio annuere, illam in clarum aëra emissam suo postea capiti fore honoremque munusque. Eventum habuere sermonum culmina in veritatem cadentia. Effloruit ex mari humido insula: habetque illam acrium radiorum pater procreator, ignem spirantium dux equorum. Ibi cum Rhodo aliquando coiit et septem peperit filios, qui priscorum virorum aetate sapientissimas sententias acceperunt: quorum unus Camirum et natu maximum Jalysum peperit et Lindum. Seorsum habuere, tripartito terra divisa, paternam urbium partem: et ab illorum nominibus sedes nominatae sunt. Ibi compensatio dulcis miserandae calamitatis Tlepolemo statuitur Tirynthiorum duci sicut deo, ovium pompa nidorque et judicium in certaminibus. Quorum floribus Diagoras coronatus est bis: et in Isthmo glorioso quater fortunam nactus fautricem, Nemeaeque aliam post aliam victoriam habuit, et saxosis Athenis. Et aes Argivum novit illum, et opera in Arcadia et Thebis, et certamina legitima Boeotia: Aegina, et Pellene victorem sexies: nec famam diversam Megaris lapidea decreta habent. Verum o Jupiter pater, qui regnas in jugis Atabyrii, honora carminis ritum de victoria Olympica, virumque qui pugilatu laudem invenit: da illi reverendam gratiam, et a civibus et a peregrinis: quandoquidem per inimicam superbiae viam recta incedit, luculenter intelligens, quae illi patrum mentes rectae bonorum vaticinatae sunt.

Noli obscurare communem Callianactis progeniem: cum Eratidarum gaudiis etiam laetitiam habet civitas. In parva parte temporis alias aliae moventur aurae.

OLYMPIA VIII.

ALCIMEDONTI AEGINETAE,

puero luctatori.

O mater certaminum, quae coronas habent aureas, Olympia, domina veritatis: ubi aruspices homines, ex immolatis victimis conjicientes, sollicitant Jovem candentem fulmine, an aliquam curam gerat hominum animo cupientium magnam capere laudem laborumque respirationem, et satisfaciat virorum precibus in gratiam eorum pietatis: verum, o Pisae pulcrum et umbrosum apud Alpheum nemus, hunc cantum et coronae gestationem recipe. Magna semper gloria est, si cui tuum contingit clarum praemium: alia bonorum veniunt ad alium, multaeque viae cum Diis sunt felicitatis. Timosthenes, vos tribuit sors proprios Jovi natalium praesidi: qui te quidem Nemeae clarum, Alcimedontem vero ad Croni collem fecit Olympionicen. Erat adspectu pulcer, neque opere fallens speciem victor luctâ pronunciavit marinam Aeginam patriam: ubi servatrix Themis, adsidens Jovi hospitali, colitur praecipue inter homines. — Quum difficile sit, recta mente non importune dirimere illud, quod multum et multifariam vergit, lex quaedam

immortalium hanc quoque mari vallatam terram omnigenis subjecit hospitibus columnam fatalem: — tempus, quod porro oritur, id facere ne cesset: — Dorico regnatam populo inde ab Aeaco: quem filius Latonae et late potens Neptunus, quum Ilio coronam adstructuri essent, vocarunt moenium faciendorum socium, quia fatale erat, haec, quum bella orirentur, in proeliis oppida vastantibus vehementem exspirare fumum. Flavi vero serpentes tres ad turrim adsilientes, quum esset condita recens, duo quidem deciderunt et statim stupefacti animas miserunt: unus vero ingressus est clamans. Explicuit obviam procedens continuo monstrum Apollo: Pergamus in tua, heros, manus opera capitur: sic mihi dicit, quod mihi mittitur, monstrum Cronidae graviter tonantis Jovis: non sine liberis tuis, sed simul cum primis illa eversio incipiet, et a quartis capietur. Sic Deus clare locutus ad Xanthum properavit cursu et Amazonas equestres et ad Istrum. Motor tridentis ad Isthmum marinum tetendit currum celerem, demittens Aeacum huc curru aureo, et ad Corinthi collum, visurus epulas celebres. Dulcis res nulla aequalis erit in hominibus. Quodsi ego Melesiae ex imberbibus gloriam persecutus sum carmine, ne feriat me saxo aspero invidia: nam etiam Nemeae dicturus sum idem decus, et postea certamen virorum, e pancratio. Enimvero discere scienti facilius est: inconsultum est non antea fecisse periculum: levior enim inexpertorum mens est. Et ea opera ille efficacius dicere possit quam alii, qui modus virum provecturus sit, e sanctis certaminibus laturum optatissimam gloriam. Nunc quidem ei decus est Alcimedon, victoriam capiens tricesimam: qui felici sorte Dei, nec

sine virtute, in quaternis puerorum membris avertit a se reditum ignominiosum et linguam contemtam magis et incessum ignobilem. Et patri patris inspiravit animum, parem senectuti adversarium: Hadis enim obliviscitur homo, cui laeta contingunt. Verum me decet memoriam excitare et dicere manuum florem victoriarum, qui Blepsiadis est, sexta quos jam corona circumdat e ferentibus folia certaminibus. Est etiam aliqua mortuis pars secundum legem facta: neque obruit pulvis cognatorum carum amorem. Ex Hermae filia Angelia audiens Iphion dicturus est Callimacho splendidum decus Olympicum, quod ipsorum dedit Jupiter generi. Prosperas res post prosperas dare velit, et acres morbos arceat. Precor, ne in sorte pulcrarum rerum Nemesin ponat diversi consilii, sed cladis expertem ducens eorum vitam et ipsos augeat et civitatem.

OLYMPIA IX.

EPHARMOSTO OPUNTIO,

luctatori.

Archilochi carmen sonans Olympiae, callinicus triplex fervens, satis fuit ut ad Cronium tumulum duceret Epharmostum celebrantem cantum cum dilectis sodalibus: sed nunc ex arcu longinqua feriente Musarum feri Jovemque rubente insignem fulmine venerandumque culmen Elidis talibus telis, quod aliquando Lydus heros Pelops

cepit pulcerrimam dotem Hippodamiae: alatumque mitte dulce telum Pythonem: haud irrita verba capies, pulsans citharam de luctis viri e clara Opunte, laudes ipsam et filium: quam Themis ejusque filia servatrix magnopere gloriosa Eunomia sortitae sunt, et quae laudibus floret Castaliae pariter et ad fluentum Alphei: unde coronarum flores celebrem Locrorum evehunt matrem pulcram arboribus. Equidem dilectam urbem candentibus implens cantibus, et generoso equo citius et alata nave in omnes partes nuncium mittam eum, si cum aliqua ope divina selectum Gratiarum hortum colo: illae enim dulcia donant: fortes et sapientes divinitus sunt homines. Quomodo enim adversus tridentem Hercules clavam quatere potuerat manibus, quum circa Pylum stans feriret eum Neptunus, feriretque eum argenteo arcu pugnans Apollo, nec Pluto immotam teneret virgam, qua humana corpora mortuorum in cavam deducit viam? Abjice mihi, os, istum sermonem: quandoquidem maledicere Diis odiosa sapientia est, et importune gloriari insaniae convenit. Ne igitur loquaris talia; linque bellum pugnamque omnem procul ab immortalibus: sed fer linguam urbi Protogeniae, ubi fato fulminantis Jovis Pyrrha ac Deucalion, quum de Parnasso descendissent, primam posuerunt domum, et sine toro popularem sibi nacti sunt lapideam prolem: et ea proles Lai vocati sunt. Excita iis carminis melodiam sonoram, lauda vetus quidem vinum, sed flores hymnorum recentiorum. Ajunt nigram terram inundasse aquae vim, sed Jovis arte repente se recollegisse. Ex illis erant bellicosi vestri majores, ab initio filii puellarum gentis Japetionidis et potentissimorum Cronidarum, indigenae

semper reges. Olim dux Olympius filiam Opuntis quum rapuisset e terra Epeorum, placidus coiit cum ea in collibus Maenaliis tulitque eam Locro, ne occuparet eum aevum, mortem infligens, orbem prole. Habuit semen maximum uxor, laetatusque est heros videns infantem pro filio datum, et vocavit eum cognominem avo materno, excellentem virum forma et factis: urbemque ei et populum regendum tradidit. Adveniebant ad eum hospites Argis Thebisque, Arcades et Pisatae: filium vero Actoris et Aeginae Menoetium supra reliquos honoravit colonos: cujus filius cum Atridis in Teuthrantis terram venit, stetitque cum Achille solus, quum fortes Danaos fugaret Telephus et in marinas puppes conjiceret, ut sapienti cognoscendum praeberet Patrocli fortem animum. E quo tempore eum Thedidis filius admonuit, ne in saevo Marte unquam seorsim a sua hasta victrice consisteret. Possem invenire carmen, ut procederem aptus in curru Musarum: et audacia et ampla potestas sequeretur. Sed propter hospitale praesidium laudemque Lampromachi veni adjutor Isthmiis ejus vittis, quum uno die ambo vincerent certamine. Aliaeque duae in Corinthi portis postea fuere contentiones, et aliae Epharmosto in sinu Nemeae: Argisque habuit gloriam virorum, puerque Athenis. Quale Marathone, ereptus ex imberbibus, sustinuit certamen provectiorum de pateris argenteis, virosque quum celeri dolo firmo vicisset, percucurrit coronam spectantium quanto eorum clamore, maturus et pulcer pulcerrimisque facinoribus factis! Etiam Parrhasio populo mirandus apparuit in festo coetu Jovis Lycaei, et quum frigidorum ventorum mite remedium reportaret Pellenae: testisque ei laudum est Jolai tumulus

et marina Eleusis. Quidquid naturâ est, optimum est: multi hominum virtutibus, quas didicerunt, gloriam capere studuerunt; sed sine Deo quaevis res non deterior est, si siletur. Sunt quippe aliae viae aliis longius producentes, neque una nos omnes ars nutritura est. Sapientia quidem ardua est: hoc vero adferens praemium alte clama fidens, hunc virum divinitus factum esse manu fortem, membris habilem, prodentem robur oculis, quique Ajaceam Iliadae aram victor in festo coronavit.

OLYMPIA X.

AGESIDAMO LOCRO EPIZEPHYRIO,

Puero pugili.

Olympiae victorem recitate mihi Archestrati filium, ubi meae mentis inscriptus sit: dulce enim ei carmen debens oblitus sum. Verum tu, o Musa, et filia Jovis veritas, erecta .manu arcete mendacii vituperium quod laedebat hospitem. Nam e longinquo advenit tempus futurum, meumque cum ignominia prodidit profundum debitum. Verumtamen usura solvere potest acrem vituperationem hominum nunc, lapidem jactum quomodo aequor fluens submerget: utque communem rationem solvemus in jucundam gratiam. Etenim colit Justitia civitatem Locrorum Zephyriorum, cordique iis est Calliope et Mars aeneus: fugavit Cycnea pugna etiam ingentem Herculem. Ac pugil Olympiae victor Ilae ferat

gratiam Agesidamus ut Achilli Patroclus. Acuens eum, qui ad virtutem natus sit, ad ingentem aliquis impellat gloriam cum Dei ope: sine labore pauci quidam gaudium nacti sunt. Lucem vitae supra opera omnia eximiumque certamen ut canam me jura compulerunt Jovis, quod ad vetustum tumulum Pelopis vis Herculis instituit, postquam Neptunium occidit Cteatum fortem, occiditque Eurytum, ut ab Augea mercedem meritam ingentem invito volens exigeret. In convallibus insidiatus prope Cleonas occidit etiam hos Hercules in itinere, quia antea aliquando Tirynthium ei deleverant exercitum insidentem in angulis Elidis Moliones superbi. Et vero Epeorum rex deceptor hospitis non multo post vidit suam urbem patriam opulentam sub forti igne plagisque ferri in alto gurgite calamitatis considentem. Non datur arcere litem potentiorum. Etiam ille imprudentia postremus captus est nec mortem acerbam effugit. Ille vero Pisae, coacto toto exercitu omnique praeda, Jovis fortis filius dimensus est fanum patri maximo: terminisque circa positis Altin in loco nudo divisit, circumjacentem vero campum fecit coenae deversorium, honorans fluvium Alphei in duodecim Diis. Et collem Croni appellavit: antea enim sine nomine, donec Oenomaus regnabat, tegebatur multa nive. Atque in illo primogenito sacro adstiterunt ei prope Parcae, et, qui unus testatur veritatem incorruptam, Tempus. Veritatem progrediens nunciavit, quomodo belli dona, divisis primordiis, sacrificaverit, et quinquennale quemadmodum instituerit festum cum Olympiade prima victoriaeque reportationibus. Quis ergo recentem nactus coronam est manibus pedibusque et curru, decusque certaminis in laude posuit et cepit

labore? Stadio quidem recto victor fuit pedibus currens filius Licymnii Oeonus: veniebat Midea ducens exercitum: lucta autem gloriam Echemus addidit Tegeae: at Doryclus tulit pugilatus victoriam, Tiryntha incolens urbem: quadrigis marinâ Mantineâ Samus: telo Phrastor scopum tetigit; longinquitatem assecutus est saxo Eniceus manu voluta supra omnes, sociique clamorem juxta moverunt magnum. Illustravit vesperum formosae lunae lux amabilis et in cantu erat totum fanum hilaritate jucunda modo festo. Initia priora secuti nunc quoque cognominem laudem praeclarae victoriae cantabimus, tonitru et igneum telum sonos moventis Jovis, in omni victoria fulvum fulmen aptum. Et ad tibiam fervens cantus occurret carminum, quae apud gloriosam Dircen sero quidem apparuerunt: sed quemadmodum puer ex uxore patri desideratus est venienti jam ad aetatem juventuti contrariam, et valde fovet amore mentem: quandoquidem divitiae nacturae dominum adductitium alienum morienti sunt tristissimae: sic etiam quum pulcris facinoribus factis sine carmine, Agesidame, ad Hadis limen vir venit, inania spiravit et dedit labori brevem aliquam laetitiam. Tibi vero dulce sonans lyra et dulcis tibia adspergit laudem. Nutriunt latam gloriam filiae Jovis Pierides. Ego vero rem aggressus studio, claram gentem Locrorum amplexus sum, melle celebrem urbem rigans, filiumque amabilem Archestrati laudavi, quem vidi vincentem manus fortitudine ad aram Olympicam, eo tempore forma pulcrum et aetate temperatum, quae aliquando impudentem Ganymedi mortem arcuit cum Cypride.

OLYMPIA XI.

AGESIDAMO LOCRO EPIZEPHYRIO,

Puero pugili.

Alias hominibus ventis maxime opus est, alias coelestibus aquis imbrium, prole nubis. Quodsi vero quis cum labore felicem successum habuit, huic dulcisoni hymni posteriorum sunt sermonum principia, et fidum jusjurandum magnis virtutibus. Sine invidia haec laus victoribus Olympiae parata est. Ea quidem nostra lingua gubernare cupit: e Deo enim floret homo perpetuo sapiente ingenio. Scito nunc, Archestrati fili, Agesidame, ornamentum accinam dulcisonum coronae olivae aureae, curans gentem Locrorum Epizephyriorum. Eo ad festum convenitote, spondebo, Musae, vos non nacturas esse eum populum inhospitalem nec pulcri imperitum sed summe sapientem fortemque. Insitum enim ingenium nec vulpis ardens nec grande frementes leones mutaverint.

OLYMPIA XII.

ERGOTELI HIMERENSI,

Cursori.

Supplico Tibi, nata Jove libertatis praeside, de civitate forti Himera, Fortuna Sospita. A Te quippe mari

reguntur naves celeres, terraque bella rapida et consi-
liorum parentes conciones: spes hominum saepe sursum,
alias vero deorsum errores irritos secans volvitur. Sig- 10
num nemo unquam mortalium fidum de eventu futuro
invenit divinitus: futurorum indicia sunt caeca. Multa
hominibus praeter sententiam evenerunt, contraria gaudio:
alii, quum in acerbas incidere procellas, bonum profun-
dum calamitate mutarunt brevi tempore. Fili Philanoris, 19
profecto etiam tua, intus pugnantis instar galli, in
cognata sede ingloria laus pedum decidisset, nisi seditio
bellicosa te Cnosia privasset patria. Nunc vero Olym-
piae coronatus et bis ex Pythone et in Isthmo, Ergo-
teles, calida Nympharum lavacra tollis, cum quibus
vivis juxta agros domesticos. 28

OLYMPIA XIII.

XENOPHONTI CORINTHIO,

Cursori et quinquertioni.

Tribus claram laudans domum victoriis Olympiis,
mitem civibus et hospitibus servientem, cognoscam bea-
tam Corinthum, Isthmii atrium Neptuni, juventa super-
bientem. Ibi enim Eunomia habitat ejusque sorores,
fundamentum civitatum, tuta Justitia et concors Pax,
ministrae mortalibus divitiarum, aureae filiae sapientis 10
Themidis, voluntque arcere Superbiam, Fastus matrem
sermone tumentem. Habeo dicere pulcra, et audacia

irretorta meam linguam excitat ad loquendum, et inexpugnabile opus est morem occulere insitum. Vobis, filii Alatae, multa victoriarum decora dederunt, quum summa fortidudine superaretis sacris in certaminibus, multa virorum pectoribus injecerunt Horae floridae veteris inventa sapientiae. Quodvis opus inventoris est. Bacchi unde apparuerunt cum clarisono dithyrambo Gratiae? Quis enim in curulibus instrumentis mensuras, vel Deorum templis avium regem duplicem posuit? In illis Musa dulce spirans, in illis Mars floret letiferis juvenum hastis. Summe, qui late regis Olympiam, sis benignus verbis meis per omne tempus, Jupiter pater, et hunc populum sine clade regens Xenophontis prospera sortis flatum: et accipe ejus coronarum festum modum, quem Pisae ex campis ducit, cum quinquertio stadii cursu victor, quae nulli adhuc viro mortali prius obtigerunt. Et duo illum coronarunt nexus apii in Isthmiis quum apparuit. Nec Nemea repugnat. Patris Thessali ad Alphei fluenta decus pedum exstat honoratum. Et Pythone habet stadii laudem cursusque duplicis uno die. Eodemque mense saxosis Athenis tria opera gloriosus pedum robore dies praestantissima comis imposuit: et Hellotia septies. In circumfluis Neptuni ludis Ptoeodoro cum patre longiores sequentur Terpsiaeque et Eritimo cantus. Quoties Delphis vicistis inque septis leonis? Contendo cum multis de copia laudum: sed certe dicere nequeam marinorum numerum calculorum. Sequitur in omni re modus: illum cognoscere maxime opportunum est. Ego pro mea parte in re communi adveniens et sapientiam laudans veterum bellumque fortissimarum virtutum non mentiar de Corintho: Sisyphum quidem prudentis-

simum artibus instar Dei. Et Medeam, quae adversata patri sibi connubium fecit, navis Argus servatricem et ministrorum. Atque etiam aliquando manuum robore pro Dardani muris visi sunt pugnarum utrimque resecuisse finem: alii quidem cum cara gente Atrei Helenam reducentes: alii vero prorsus arcentes. Ex Lycia venientem Glaucum tremuere Danai: illis vero praedicavit, in urbe Pirenae patris sui imperium esse et fundum profundum domumque: qui vipereae filium Gorgonis Pegasum aliquando ad fontes frenare cupiens multa sane perpessus est, priusquam illi aureis frena lupatis virgo Pallas tulit: e somnio continuo experrectus est: illa dixit: dormisne, rex Aeolide? age, equestre hoc incantamentum accipe, et Damaeo patri taurum candidum immolans illud ostende. Conspicua aegide virgo haec illi stertenti dicere visa est. Prosiluit erecto pede: et, postquam juxta positum sumsit portentum, indigenam vatem laetus invenit, ostenditque Coeranidae omnem exitum rei, ut ad aram deae nocte cubuerit secundum illius augurium: et quomodo sibi ipsa Jovis fulgidi nata dederit compescens aurum. Somnio illum quam celerrime obedire jussit, postquam vero potenti taurum immolasset Neptuno, equestri aram Minervae statuere continuo. Perficit deorum potentia eventum etiam praeter jusjurandum praeterque levem spem. Profecto etiam fortis Bellerophontes cepit equum alatum, miti circum maxillas obtenso medicamine. Adscendit in eum statim indutus aere armisque lusit. Cum illo etiam aliquando e sinibus aëris frigidi vacui sagittiferum feriens mulierum exercitum et Chimaeram ignivomam et Solymos interfecit. Silebo ejus mortem ego. Illum in Olympo praesepia

Jovis vetusta recipiunt. Me vero rectum sagittarum jacientem turbinem non decet praeter propositum multa tela dirigere manibus. Musis enim divinis et Oligaethidis veni volens adjutor Isthmi et Nemeae. Paucis verbis plana faciam cuncta, verumque mihi jusjurandum aderit: nam sexagies ex ambobus dulcisona vox praeconis boni (audita est). Olympia illorum opera videntur jam prius dicta esse: futura tum dixero lucide: nunc spero quidem: in deo sane est exitus. Quodsi fatum genti procedat propitium, Jovi illud et Marti perficiendum trademus. Quae vero ad verticem Parnassium (fecerunt) et Argi, et quot Thebis et quot in Arcadibus, dominans testabitur Lycaei ara domina, et Pellana, et Sicyon, et Megara, Aeacidarumque nemus amoenum et clara Marathon, urbesque sub Aetna celsa opulentae, et Euboea: et per cunctam Graeciam invenies majora quam quae cernere possis. Verum ut levi pede enatemus, Jupiter perfector, pudoremque dona et dulcem sortem suavitatum.

OLYMPIA XIV.

ASOPICHO ORCHOMENIO,

Puero cursori.

Caphisiarum aquarum quae sortitae estis et habitatis sedem equis egregiam, o carminibus celebrandae Gratiae, reginae splendentis Orchomeni, quae Minyas, queis vetus

origo est, curae habetis, audite, precor enim. Nam per vos quidquid jucundum et dulce est exsistit mortalibus: si quis homo sapiens, si formosus, si clarus est. Neque enim Dii absque venerandis Gratiis choros regunt nec epulas: verum omnium rerum moderatrices in Olympo juxta Pythium aureo arcu insignem Apollinem sellis positis aeternam honorant patris Olympii gloriam.

O veneranda Aglaja, et quae carmina amas Euphrosyne, Deorum potentissimi filiae, audite nunc, et carminum studiosa Thalia, quum vides hunc festum chorum propter felicem sortem levi incedentem gradu: nam veni Lydio modo et studio canens Asopichum: quia Olympiae victoriam habet Minyeia propter te. Nigram nunc Proserpinae pete domum, Echo, patri clarum ferens nuncium, ut videns Cleodamum dicas, filium ipsius ad sinus Pisae gloriosae juvenilem coronasse comam clarorum alis certaminum.

COMMENTARIUS.

COMMENTARIUS.

OLYMPIA I.

Memoria de hoc carmine et de reliquis Hieronis victoriis Olympicis apud veterem Scholiastam est haec: *ἐπιγέγραπται ὁ ἐπινίκιος Ἱέρωνι τῷ Γέλωνος ἀδελφῷ, νικήσαντι ἵππῳ κέλητι τὴν ογ΄ Ὀλυμπιάδα, ἢ ὥς ἔνιοι ἅρματι. ὁ δὲ αὐτὸς καὶ τὴν οζ΄ νικᾷ κέλητι, τὴν δὲ οη΄ τεθρίππῳ. συνέβη δὲ αὐτὸν νικήσαντα τεθρίππῳ τὴν οη΄ Ὀλυμπιάδα ἐν ταύτῃ τελευτῆσαι.* Et testimonium quidem nonnullorum, victoriam primam fuisse curulem, recte rejicitur. Habemus enim testem Pausaniam, diserte tres ejus victorias Olympicas memorantem, duas equestres, unam curulem. Nam quum secundo Olympiadis LXXVIII anno [1]) Hiero obiisset, filius ejus Dinomenes dona, quae pater voverat, Jovi statuit Olympiae: quae fuerunt, ut tradit Pausanias L. VI c. XII, currus inque eo vir consistens, et ab utroque latere equus unicus, in quorum utroque puer

1) Diod. Sic. XI 66.

insideat. Quorum donorum inscriptio ab eodem memoratur L. VIII c. XLII:

Σόν ποτε νικήσας, Ζεῦ Ὀλύμπιε, σεμνὸν ἀγῶνα,
τεθρίππῳ μὲν ἅπαξ, μουνοκέλητι δὲ δίς,
δῶρ' Ἱέρων τάδε σοι ἐχαρίσσατο· παῖς δ' ἀνέθηκε
Δεινομένης, πατρὸς μνῆμα Συρακοσίου.

De ipsis ergo Hieronis victoriis quum nulla sit dubitatio, fieri tamen non potest, ut hujus carminis tempus recte a Scholiasta sit traditum. Hiero accepit regnum Syracusarum Ol. LXXV anno tertio, succedens fratri Geloni, qui praefuerat Syracusis per septem annos, id est ab Ol. LXXIII anno quarto.[1] Antea Gelo imperium habuerat Gelae, inde ab Ol. LXXII. a. 2. Igitur Olympiade LXXIII, ad quam Scholiasta hoc carmen refert, nec Hiero, nec vero frater ejus Gelo Syracusarum habebat imperium. Dignitas autem regia hujus urbis manifesto hoc carmine victori tribuitur.

Verum videor mihi errorem Scholiastae posse demonstrare. Quippe memorat Pausanias L. VI c. IX currum Olympiae positum cum inscriptione hac: Gelonem Dinomenis filium Geloum hoc donum Deo posuisse: tempus autem hujus victoriae Geloni fuisse Olympiadem septuagesimam tertiam. Quae vero porro de hujus doni auctore dubitans disputat et aberrans a vero, confirmant potius quam dubitare sinunt, hunc fuisse Gelonem Hieronis fratrem, tum Gelae tyrannum. Certe ergo Scholiasta victoriam Hieroni tribuit, quae fuerat Geloni tribuenda. Nec sine causa, quum confunderet vera cum falsis, addidit, quosdam existimasse, illam victoriam fuisse

1) Diod. Sic. XI. 38.

curulem. [1]) Hoc quidem carmen victoriae equestris fuisse manifesto apparet vss. 32 et 176.

Prima ergo Hieronis victoria ad aliud tempus referenda est: ut mihi quidem videtur, ad Ol. LXXVI, quum recens haberet imperium. Quod an ita sit, et ad eam hoc carmen referendum sit, jam deinceps argumento proposito videamus.

Nam in altero ad inscriptionem scholio de Hierone dicitur: *νικήσας δὲ τὰ Ὀλύμπια ἀνεκήρυξεν ἑαυτὸν Συρακούσιον καὶ Αἰτναῖον, κτίσας τὴν παρακειμένην τῷ ὄρει πόλιν ἐν τῇ Σικελίᾳ Αἴτνην ὁμώνυμον τῷ ὄρει.* Atque in illo scholio, quod in notis criticis ad vs 35 attulimus, dicitur Hiero, quum vinceret, non Syracusius fuisse sed Aetnaeus.

Expulit autem incolas Catana, novosque induxit et urbem appellavit Aetnam Ol. LXXVI anno primo. [2])

Quid autem? Diserte, ut est in illo scholio, Didymus eam sententiam contemsit: *εὐήθεις φησὶ Δίδυμος τούτους· τότε γὰρ ὁ Ἱέρων ἦν Συρακούσιος καὶ οὐδὲ ἦν Αἰτναῖος, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος.* Nec sane Didymi auctoritas et

1) Pausanias, Gelonem Ol. LXXII anno 2 Syracusarum imperium cepisse dicens, ergo Ol. LXXIII fuisse Syracusium, non Geloum, alium quendam Gelonem Geloum, Dinomenis alterius cujusdam filium, fuisse tum credit, qui donum illud, quod commemorat, consecraverit: ipsa absurda explicatione ostendens errorem suum in notando tempore imperii Syracusarum pro imperio Gelae. Dionysius Halicarnassensis, L. VII initio, legationem Roma in Siciliam venisse dicit Ol. LXXII a. 2: tum nobilissimum Siciliae tyrannum fuisse Gelonem, accepto recens, *νεωστί*, Hippocratis fratris imperio. Et fratrem illum vocando certe erravit: verum illud *νεωστί* ad ipsum annum referendum esse, ex ipso Pausaniae errore satis apparet. At certe Hippocrates Gelae tyrannus fuerat. Vid. Herod. VII 154. Cf. Brunet de Presle, Les Etablissements des Grecs en Sicile, p. 121.

2) Brunet de Presle, pag. 141. Diod. Sic. XI 49.

sententia parvi aestimanda est. Quodsi autem ad victoriam secundam hoc carmen referendum erat, quae fuit Ol. LXXVII, haud sane tum Hiero dici poterat non esse Aetnaeus: et Pythia carmina tria Hieroni Aetnaeo inscripta sunt: hujus vero carminis inscriptio ipsa certe est Syracusio. Igitur et primam victoriam fuisse Ol. LXXVI, et ad eam hoc carmen referendum esse, satis probabiliter mihi statuere videor. Neque enim, si scriptum est postquam Hiero Syracusarum imperium adeptus est, id quod certum est, et ante Aetnam conditam, id quod perquam verisimile est, ad aliam Olympiadem referri potest.

Ipsae etiam laudes, quae hoc carmine Hieroni tribuuntur, convenire maxime videntur recentis decori imperii.

Pars prima carminis posita est in laudanda certaminis Olympii gloria et in victore laudando, 1—37. Tum injicit Poeta vetustam Pelopis cum Olympia maxime conjunctam memoriam: eum a Neptuno amatum fuisse memorat: avertit vero a Diis ignominiam comesi Pelopis humeri, et veram causam, cur Tantalus poenam invenerit, explicat, in ejus superbia positam. Ideo etiam Pelopem, quondam a Neptuno abductum, in terram remissum esse. Hunc adultum curuli certamine vicisse Oenomaum vetustum Pisae regem, adjuvante Neptuno, ejusque filiam sibi parasse uxorem, et conditorem clarissimae gentis exstitisse. Adhuc ejus honorem splendere Olympiae, ibique prope tumulum ejus et celebratam Jovis aram clarissima fieri certamina: e quibus victori perpetua parentur gaudia: 38—162. Inde Poeta redit ad praesentes Hieronis laudes, eique etiam majores fore optat, et suam manere poesis gloriam.

Memorat Thomas Magister, Aristophanem grammaticum disposuisse Pindari carmina, et primo loco hoc carmen posuisse, quia contineret certaminis ipsius laudationem et res Pelopis, qui primus in Elide certaverit. Etiam alibi cum Olympico certamine Pelopis gloriam Poeta conjungit, velut Ol. V 21 et Ol. IX 15.

1. *ἄριστον μὲν ὕδωρ.* Eadem est aquae et auri comparatio cum summa rerum praestantia Ol. III 75. Laudata autem est aqua propter utilitatem, ut est apud Aristotelem, Rhet. I 7: *ἄλλον δὲ τρόπον τὸ ἄφθονον (μεῖζον) τοῦ σπανίου, ὅτι ἡ χρῆσις ὑπερέχει· τὸ γὰρ πολλάκις τοῦ ὀλιγάκις ὑπερέχει· ὅθεν λέγεται ἄριστον μὲν ὕδωρ.*

ὁ δὲ χρυσὸς κ. τ. λ. Construe: *ὁ δὲ χρυσὸς ἄριστός ἐστι*, vel potius *διαπρέπει μεγάνορος ἔξοχα πλούτου, ἅτε αἰθόμενον πῦρ διαπρέπει νυκτί.*

2. *αἰθόμενον πῦρ.* Crebro sic poetae antiqui: velut Hom. Il. XVI 81

μὴ δὴ πυρὸς αἰθομένοιο
νῆας ἐνιπρήσωσι.

ibídem 293

κατὰ δ' ἔσβεσεν αἰθόμενον πῦρ.

Hesiod. Scut. Herc. 60

τεύχεσι λαμπομένους σέλας ὣς πυρὸς αἰθομένοιο.

Et 275

τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας εἱλύφαζε.

Atque his Homeri locis vis flammae et incendii videtur posse significari, et tamen proprie non calorem hoc epitheto exprimi credo, sed eum ignis fulgorem, qui cernitur oculis: quae significatio aperta est iis Hesiodi locis, quae attuli, et hoc Pindari loco: intelligitur etiam ex

epitheto, quod aeri tribuitur, velut Hom. Il. XVII 592 κεκορυθμένος αἴθοπι χαλκῷ.

4. Πλοῦτος significatur supellex pretiosa, κτέανα: cf Ol. III 75, Ol. VII 7. Adjectivum μεγάνωρ non alio cujusquam scriptoris loco me legere memini. Praeclare omnino de divitiis sensit Pindarus, quae multarum magnarumque rerum facultatem praebeant et ad eximium usum incitent: cf Ol. II 96. Hoc tamen loco tantummodo ipsum magnificum splendorem significari credo.

5. Praeposuit Poeta aquae aurique praestantiam, cum ea comparaturus certamen Olympicum: verum jam ad majorem comparationem fertur solis ipsius, qui solus lucet interdiu, fugatis e conspectu sideribus reliquis: id enim est ἐρήμη αἰθήρ, vacuum sideribus coelum.

13. Certamen Olympicum, Jovi consecratum, Jovem canere jubet: Ol. II 4 ἤτοι Πίσα μὲν Διός. Carmen circumjicitur cordibus sapientium, i. e. poetarum, ut eorum corda id quasi audiant, i. e. ut ipsi ejus meminerint. Ὕμνος autem h. l. proprie significat id quod canendum est, carminis materiem: sic etiam apud Aeschylum, Choeph. 475. Est is hymnus ipsum κελαδεῖν Κρόνου παῖδα. Μῆτις de corde poetae etiam dicitur Nem. III 15. Cum tota autem hujus loci dictione et sententia conferatur Nem. VII 16.

16. ἱκομένους. Transit oratio perinde ac si praecessisset σοφοῖς, quod latet in σοφῶν μητίεσσι. Accusativus autem in hujusmodi oratione, antecedente alio casu, persaepe poni solet: sic Py. II 41 βροτοῖς λέγειν — ἐποιχομένους τίνεσθαι. Xenoph. Anab. L. III C. II 2 ἔδοξεν αὐτοῖς — καταστήσαντας συγκαλεῖν. Copulat autem Poeta, postquam Jovis meminit, cum Deo victorem,

et eum quoque canendum esse significat: etenim ad Hieronem venire non aliud est nisi Hieronem amplecti carmine, poetica oratione, vel potius poetica expressum rei imagine, plena caritatis: addit ei imagini magnificentiam et copiam, opulentam beatamque aram vocando: sic enim inseritur Hieronis divitiarum et liberalitatis laus, quemadmodum vs 18 dignitatis ejus et regii imperii.

18. *θεμιστεῖον.* Non ejus virtutis, quae justitia est, significatio est, sed significatur regia imperandi potestas, quomodo apud Homerum *θέμιστες* et *σκῆπτρον* conjunguntur Il. Π 206.

εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ.

Et similiter Il. IX 99. Haud dissimile Py. IV 270 *σκᾶπτον μόναρχον.*

20. *δρέπων.* Sic Py. I 95 *τιμὰν,*

οἵαν οὔτις Ἑλλάνων δρέπει

Nem. II 13

Ἰσθμιάδων δρέπεσθαι
κάλλιστον ἄωτον.

Ἀρεταί saepenumero apud Pindarum sunt laudes victoriarum: sed hoc loco cujusvis laudes generis, quae regem ornabant, significari arbitror, propterea quod Hiero, quamvis jam quidem Olympiae clarus, vix tamen poterat dici cepisse culmina de laudibus victoriarum omnibus, praesertim quum nondum reportasset Olympiae curulem victoriam, quae erat equestri major: cf vs 175. Similiter Nem. I 51 *ἐν κορυφαῖς ἀρετᾶν μεγάλαις.*

22. Sententia per conjunctionem *δέ* respondet proximis *δρέπων μέν*, per verbum finitum *ἀγλαΐζεται* superioribus *ὅς ἀμφέπει.* Verbo *ἀγλαΐζειν* significatio illustrandi

et ornandi tribuitur. Tamen apud Homerum Il. X 331 significationem gaudii habere videtur

ἀλλά σέ φημι διαμπερὲς ἀγλαϊεῖσθαι.

Et Suidas habet utramque significationem, ἠγλαϊσμένη, χαίρουσα, λαμπρυνομένη. Quodsi hoc loco ornandi significatio est, verbum est passivum. Verum verbum medium esse arbitror et habere gaudii significationem. Ipsa musices gaudia vocabulo ἀγλαΐας significantur apud Hesiodum Scut. Herc. 272

τοὶ δ' ἄνδρες ἐν ἀγλαΐαις τε χοροῖς τε
τέρψιν ἔχον.

284.

πᾶσαν δὲ πόλιν θαλίαι τε χοροί τε
ἀγλαΐαι τ' εἶχον.

Nec defuere illi laetitiae cantus et citharae tibiaeque. Similiter in Hymno Homerico in Mercurium 476 μέλπεο καὶ κιθάριζε καὶ ἀγλαΐας ἀλέγυνε. Apud nostrum Py. I 4 saltatio, ἀγλαΐας ἀρχά, auream dicitur audire citharam. Et ipsum verbum in musica ponitur a Semo Delio apud Athenaeum L. XIV c. XVI p. 622 c

Σοὶ Βάκχε τάνδε μοῦσαν ἀγλαΐζομεν.

Haud multum sane distat significatio ornandi et illustrandi a significatione gaudii afferendi, praesertim ejus gaudii, quod apud Graecos cum musica conjunctum fuit. Παίζομεν θαμά, cf Nem. IV 24 κιθαρίζων θαμά. Φίλα τράπεζα non est ipsius mensa Hieronis, sed omnino significantur conviviorum gaudia, Graecis, si unquam mortalibus, praeclare cognita: conf Py. VI 52: nec παίζειν studia ipsorum poetarum significat, sed omnino lusus hominum in cantibus et sonis positos. Themistocles quum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior:

ut est apud Ciceronem, Tusc. I 2. Significatur ergo Hieronis eximium studium ejus musicae, quae conviviis adhiberi solebat.

26. ἀλλὰ Δωρίαν. Jam Poeta proposuit, quomodo praestet Olympia et veniat inde Jovem et Hieronem canendi causa: nunc vero reportatam ab hoc victoriam et ipsam Olympiam laudaturus fusius, quasi de integro carmen instituit, citharam sumendam esse dicens. De phorminge Doria monebimus ad vs. 164.

29. Pherenicus, Hieronis equus, laudatur etiam Py. III 132: et Bacchylidis de eo versus memoratur a scholiasta: ξανθότριχα μὲν Φερένικον Ἀλφεὸν παρ' εὐρυδίναν πῶλον ἀελλοδρόμον νικήσαντα. Χάρις autem aliter Pisae dicitur, aliter Pherenici: illa nobilitas et gloria, haec vero laus in cursus certamine parta.

32. σύτο. Significatur ea celeritas, qua carceribus equus evolavit: Sic Homerus Il. XXI 167 de sanguine, qui repente e vulnere exsiliebat,

σύτο δ' αἷμα κελαινεφές.

33. ἀκέντητον. Magna sane laus, si quidem etiam Olympiae in certamine usus flagri et stimuli esse solebat, quemadmodum tempore Achillis: nam Diomedi sunt obortae lacrymae, quum certanti de praemio flagrum manibus excussit Phoebus Apollo, et ejus equi

ἐβλάφθησαν, ἄνευ κέντροιο θέοντες.

Il. XXIII 387.

34. προσέμιξε. Sic 126 κράτει δὲ πέλασον. Soph. Ant. 1311 συγκέκραμαι δύᾳ.

35. Συρακόσιον. Conjungendum est cum δεσπόταν, non cum βασιλῆα. Similiter Ol. VI 80 δεσπότᾳ Συρακοσίῳ. Kayseri sententiam in notis criticis attulimus, vocabula

regiae dignitatis nunquam a Pindaro poni cum adjectivo possessivo, verum semper cum genitivo plurali. Tamen poterat id fieri. Sed βασιλῆα suum adjectivum ἱπποχάρμαν habet, gentile cum δεσπόταν conjungendum est.

35. ἱπποχάρμαν. Χάρμη est pugna, velut Hom. Il. XVII 602, χάρμα gaudium, velut ibidem 636. Ἱπποχάρμης utrumque, ut arbitror, significare potest, qui pugnat ex equo et qui delectatur equis: prior significatio ad bellicam gloriam pertinet, posterior ad praesentem pertineret Olympicam Hieronis gloriam. Haud sane Hiero bellica carebat gloria, et proelio ad Himeram adversus Carthaginienses facto interfuerat. Atque ita hoc loco scriptum esse credo, ut regi tribuatur rege dignum epitheton militaris gloriae. Sunt multa similia, proximum similitudine ἱππιοχάρμης, apud Homerum Il. XXIV 257 Τρωΐλον ἱππιοχάρμην, apud Aeschylum Pers. 29 Ἀρτεμβάρης θ' ἱππιοχάρμης. Tum ἱππόδαμος, apud nostrum Nem. IV 48 ἥρωας ἱπποδάμους, apud Homerum Il. III 237 Κάστορά θ' ἱππόδαμον. Porro ἱππότης Py. IV 272, Il. II 336, ἱπποκορυστής Il. II 1: ἱππηλάτης Il. IV 387: ἱππεύς Il. XVI. 20.

38. ἐποικίᾳ. Poterat etiam aliquo modo dici ἀποικία, si Pelops habebatur pro altero Pisae conditore: sed proprie fuit ἔποικος ejus urbis, migravit in eam urbem et eam tenuit.

38. τοῦ μεγασθενὴς. Fabulam secundum vetustam traditionem narrare instituit, mox tamen abrupturus, caedemque Pelopis rejecturus. Nunc vero λέβης ille est, in quo Clotho Pelopem, a Tantalo caesum, recoxerat et vitae restituerat, eburneum vero humerum pro humero a Cerere comeso addiderat. Epitheto καθαροῦ non, id

quod nonnulli arbitrantur, aliqua ethica sententia significatur, sed ille nitor, qui cernitur oculis: cf. *αἰθόμενον πῦρ* vs. 2. Si praeterea hujus epitheti causa quaerenda est, additum videtur, quia illo lebete Dea utebatur. Ceterum similiter prorsus Poeta Ol. IX 46 fabulam de Diis proponit secundum traditionem priorum, et paulo post, vs. 54, semet ipsum revocat et eam traditionem rejicit.

41. *ἐλέφαντι.* Participium *κεκαδμένον* referendum est ad *νιν*: adjungitur ei participio accusativus *ὦμον*, partem significans, eidemque participio additur dativus *ἐλέφαντι*: *φαίδιμον* referendum est ad *ὦμον*. Similiter Homerus *κνημῖδας ἐπισφυρίοις ἀραρυίας*, Il. XVI 132: Aesch. Choeph. 11 *ὁμήγυρις φάρεσιν μελαγχίμοις πρέπουσα*: et ibidem vs. 17. Splendor autem humeri albi pulcerrimus saepissime ab antiquis celebratur, quemadmodum frequens apud Homerum est *λευκώλενος Ἥρη*, et ab Horatio laudantur humeri candentes Apollinis, L. I Od. II 31. Pindarus autem, quum vs. 58 seqq. fabulam de caede Pelopis, qua fabula ille eburneus humerus contineri videatur, rejiciat, potuit tamen candoris decus retinere: quamquam haud affirmare opus est illud, quod ipse Poeta praetermisit: nam hoc certum est, eum non de Pelopis forma et pulcritudine detrahere voluisse.

43. Poetarum *ψεύδεα* ab odioso nomine et a falsi doli significatione separanda sunt. Sunt fictae a poetis fabulae. Apud Hesiodum, Theog. 27, ipsae Musae

ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα μυθήσασθαι.

Ipsius Homeri appellat *ψεύδεα* Pindarus Nem. VII 32. Et Aristoteles Homerum maxime etiam reliquos docuisse

dicit ψευδῆ λέγειν ὡς δεῖ. de Poet. c. XXIV. Plautus, Pseud. Act. I Sc. IV 8

Sed quasi poeta tabulas cum cepit sibi,
Quaerit quod nusquam est gentium, reperit tamen,
Facit illud verisimile, quod mendacium est.

Horatius, Ep. ad Pis. 338

Ficta voluptatis causa sint proxima veris.

Non docet hoc loco Pindarus, ipsa poetarum mendacia vituperanda esse; nam quum addat ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον, esse ostendit etiam ψεύδεα κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον. Verum, secundum Aristotelem, τὸ θαυμαστὸν ἡδύ: et Pindarus multa mira narrari dicit, sed fieri etiam aliquando, ut poetae fabulas variis ornando mendaciis veritatis modum non retineant, et mortalium mentes decipiant: utque illa suavitas, qua cuncti quasi esca capiuntur, addita miris, id etiam credibile faciat, quod incredibile esse debebat. Neque enim ea credibilia esse debuisse, quae quis prava de Diis narraverit.

48. Χάρις. Vix hoc loco Dea esse videtur, verum ea suavitas gratiosa, qua ita nihil eorum, quod in pretio foret, carere poterat, ut etiam rebus iis, quae fide carere debebant, fidem saepe faceret. Sed quandoque difficilis est distinctio. Tres quidem Gratias ponens Pindarus, ut apparet ex Ol. XIV, certe, si haec ipsa divina Gratiarum numina significat, plurali numero utitur. Velut Ol. IX 40, κεῖναι (Χάριτες) ὤπασαν τὰ τερπνά. Ceterum similis sententia est Nem. VII 33 σοφία δὲ κλέπτει παράγοισα μύθοις.

53. ἐπίλοιποι. Proprie est reliqui: hoc loco posteri: facile autem intelligitur utriusque significationis confinium. Sic apud Sophoclem, Philoct. 24, τἀπίλοιπα τῶν λόγων, quum proprie sit reliquus sermo, dici etiam potest posterior.

54. *μάρτυρες*. Scilicet *τοῦ πιστοῦ* sive *τῆς ἀλαθείας*. Sic Ol. X 65 *ὁ ἐξελέγχων μόνος ἀλάθειαν ἐτήτυμον χρόνος*.

57. *μείων γὰρ αἰτία*. Comparativum ponens significat Poeta, culpam inveniri posse vel bona de Diis dicere cupienti. Cf dissertatio nostra de Pindari sapientia, C. I § 1 pag. 7.

58. *σέ*. Pendet hic accusativus ab *ἁρπάσαι* vs. 64.

59. *ἀντία προτέρων*. Qui fuerint potissimum veteris de Pelope traditionis auctores, non apparet: apud Homerum et Hesiodum mentio quidem nulla de ea fabula est.

60. *ἐκάλεσε*. Scilicet *θεούς*, e vs. 63.

62. *ἔρανον* dici epulas ex ipsis convivarum donis collatas satis notum est: quae significatio huic loco non convenit, sed significantur epulae amore et voluntate oblatae. Latiore sensu *ἔρανος* omnino est donum gratuitum, velut Eurip. Sup. 363 dicitur de labore quem liberi propter parentes sustineant, praemium a liberis aliquando habituri:

κάλλιστον ἔρανον δοὺς γὰρ ἀντιλάζυται
παίδων παρ' αὐτοῦ τοιάδ', ἂν τοκεῦσι δῷ.

Et apud Platonem de legg. XI 915 e universe *ἔρανοι* sunt dona, quae quis ab amicis colligat, et 927 dicitur tutor id, quod orbis benefecerit, *ἔρανον εἰσφέρειν ἑαυτῷ τε καὶ τοῖς ἑαυτοῦ*. — In his ipsis epulis, sed Pelopis sanguine cruentatis, hoc nomen ponitur Eurip. Hel. 388: *ἡνίκ' ἔρανον ἐς θεοὺς πρισθεὶς ἐποίεις*. — Adjectivum *εὐνομώτατον* a Poeta positum arbitrantur nonnulli ad avertendam a Tantali epulis caesi Pelopis ignominiam: significari potius credo debitum Diis honorem, quem illis Tantalus praestiterit.

62. *φίλαν*. Diis dilectam.

66. Similiter Ol. VIII 67 ἀν' ἵπποις χρυσέαις, Eurip. El. 466 ἵπποις ἅμ πτεροέσσαις. Interdum ea significatione ponitur praepositio ἐν, velut Ol. IX 120 ἀναγεῖσθαι ἐν Μοισᾶν δίφρῳ.

69. δευτέρῳ. Fuit Ganymedes Pelope antiquior secundum plerosque. Sed δευτέρῳ χρόνῳ nihil aliud significat nisi tempore posteriore: ergo Pindarus Pelopem facit antiquiorem: et fuit ita, si Ganymedes non Trois, sed Laomedontis filius habetur, quemadmodum apud Eurip. Troad. 821 Λαομεδόντιε παῖ, Ζηνὸς ἔχεις κυλίκων πλήρωμα, et apud Cic. Tusc. I 26.

73. ματρί. Graecorum mores spectantibus non praetermittenda sunt hujusmodi loca: nam quum apud eos aliqua videatur deminutio fuisse dignitatis feminarum, caritatem maternam omnino recte cognoverunt. cf. Py. VIII 122, Herod. I 31.

76. φθονερῶν. Invidentium Tantali felicitati, quod ad ejus epulas ipsi Dii venissent. Ergo hace invidia, secundum Pindarum, peperit vulgatam de cruentis dapibus fabulam.

78. ζέοισαν ἀμφ' ἀκμάν. 'Ακμή est summum ejus rei, quae genitivo casu adjungitur: quum ergo vim maximam contineat, facile ei tribuitur id adjectivum vel participium, quod genitivo adjungendum videbatur. Sunt quidem etiam aliae hujusmodi positiones apud Pindarum, sed huic loco simillimus est hujus carminis vs 156

ἀκμαί τ' ἰσχύος θρασύπονοι.

79. τάμον κατὰ μέλη. Objectum σε facile e tota loci sententia intelligitur, vel, si velis, e vs 81 σέθεν. cf. Herod. I 119 de Astyage, Harpagi filium, ut patri edendum daret, occidente, σφάξας αὐτὸν καὶ κατὰ μέλεα διελών.

80. δεύτατα. Varie hoc interpretantur. Sunt, qui ultimas partes significari ita credant, ut Pelopis corpus ne ultima quidem aut minima parte relicta comesum esse sermo fuerit. Quod mihi non satis placet, neque ea significatione articulus saltem videtur omitti. Athenaeus de secundis mensis dictum putat: L XIV C 48 p. 641 c ὅτι γὰρ ἦσαν καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις αἱ δεύτεραι τράπεζαι πολυτελῶς μεμεριμνημέναι, παρίστησι Πίνδαρος ἐν Ὀλυμπιονίκαις, περὶ τῆς Πέλοπος κρεουργίας διηγούμενος,

Τραπέζαισι δ' ἀμφὶ κ. τ. λ.

In forma adjectivi δεύτατα mihi non videtur esse offensio, quum eae mensae, quae essent secundae, etiam essent postremae. Δεύτατα κρεῶν σέθεν sunt ergo secundae epulae, quae e carnibus tuis constabant.

81. σέθεν. Ol. VIII 59 παίδων σέθεν.

81. διεδάσαντο. Hesiod. Theog. 544 de dolosis Promethei epulis

ὦ πέπον, ὡς ἑτεροζήλως διεδάσσαο μοίρας.

82. ἄπορον. Similis dictio etiam plurale admittit, velut Py. I 67 ἐοικότα, Py. II 148 ἀδύνατα.

82. γαστρίμαργον. Crimen enim epularum cruentarum non ad Tantalum, ignorantibus Diis, sed ad ipsos quoque Deos pertinebat: hi enim τάμον, διεδάσαντο, φάγον. Expressit Pindari sententiam etiam Euripides, Iphig. T. 386.

ἐγὼ μὲν οὖν
τὰ Ταντάλου θεοῖσιν ἑστιάματα
ἄπιστα κρίνω, παιδὸς ἡσθῆναι βορᾷ.

84. λέλογχεν. Utroque modo hoc verbum ponitur, ut vel aliquis dicatur sortem λαγχάνειν, vel sors eum. Prioris generis est Ol. VI 56 λάχε τ' Ἀλφεὸν οἰκεῖν,

Theocrit. VII 103 πέδον ὅστε λέλογχας. Posterioris generis est hic locus, tum Py. II 50 τὰν (Ἥραν) Διὸς εὐναὶ λάχον, et Theocr. IV 40 τῶ σκληρῶ δαίμονος, ὅς με λελόγχη.

85. θαμινά. Vel ad λέλογχεν, vel ad κακαγόρως referri potest hoc adverbium. Si posterius verum est, videtur quamvis brevis oratio cum poena pariter etiam pravitatem vitii declarare, quum nullum vitium fere facilius abeat in consuetudinem quam maledicentia, atque is, qui sit κακάγορος, quasi necessario etiam sit θαμινὰ κακάγορος. Verum ea explicatio mihi videtur argutior. Si ad λέλογχεν refertur, etiam duplex esse potest explicatio: aut ut significetur, eum, qui maledicat, saepe clades invenire: aut, saepe hoc fieri, ut is, qui maledicat, in cladem incurrat. Verum verbi significatio priorem interpretationem non videtur admittere, quum λαγχάνειν non dicatur de brevi quadam et facile repetenda, sed de semel occupante et perpetua sorte. Restat igitur id, quod diximus, saepe fieri ut maledico poena obveniat. Et vs 103 Poeta dicit, nullum maleficium latere Deos. Nec vero illud θαμινά de gravitate sententiae detrahit, quasi si significaretur, aliquando poenam evitari: verum in hujusmodi sententiis magnis oratione humana saepenumero dicitur id solere fieri, quod necessario fieri debeat. Velut φιλέειν, solere, apud Herodotum, eo modo ponitur, VII 10 φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν, et ἐπειχθῆναι μέν νυν πᾶν πρῆγμα τίκτει σφάλματα, ἐκ τῶν ζημίαι μεγάλαι φιλέουσι γίνεσθαι.

85. εἰ δὲ δή τιν'. Sic Py. III 151 τύραννον δέρκεται, εἴ τιν' ἀνθρώπων. Ovidius Metam. VI 173 Tantalus

Cui licuit soli Superorum tangere mensas.

87. *καταπέψας.* In hoc verbo pariter atque in substantivo *κόρῳ* aperta est similitudo cibi gravantis. Vehementer poetis odiosus visus est *κόρος*, conjungitur saepe cum eo *ὕβρις*. Velut apud Theognidem 153

Ὕβριν, Κύρνε, θεὸς πρῶτον κακὸν ὤπασεν ἀνδρί·
τίκτει τοι κόρος ὕβριν.

701

Πολλούς τοι κόρος ἄνδρας ἀπώλεσεν ἀφρονέοντας·
γνῶναι γὰρ χαλεπὸν μέτρον, ὅτ' ἐσθλὰ παρῇ.

1127

γνώμη — ἢ πολὺ κρείσσων
ὕβριος οὐλομένης λευγαλέου τε κόρου.

Verbum *καταπέψαι* de ira dicitur apud Homerum Il. I 81 *εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ.*

91. *οἱ — αὐτῷ.* Utrumque pronomen aptum est verbo *ὑπερκρέμασε*, perinde ac si scriptum esset: *τάν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε καρτερὸν ὑπερκρεμάσας αὐτῷ λίθον.*

93. *μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν.* Explicatur hodie fere ita, ut Tantalus studuerit illum lapidem a capite amovere. Verum in ejusmodi significatione non reperi genitivum sine praepositione additum verbo *βάλλειν*, neque etiam fortasse id significationi foret congruens, propterea quod non inest in hoc verbo ipsa amovendi, sed tantum jaciendi sive mittendi significatio. Praeterea vero significat ferire. Feriendi autem et tangendi quae verba significationem habent, saepe ponuntur cum genitivo, velut *αὐτοῖο τιτύσκετο* Hom. Il. XXI 582, *ποδὸς τεταγὼν* I 591, *εἰ τοῦ παιδὸς βαλὼν τύχοιμι τῆς καρδίης* Herod. III 35, ubi *παιδὸς* cum *καρδίης* junctum videtur, *βαλὼν* vero cum *τύχοιμι*. Apud Homerum vero est, Il III 347.

καὶ βάλεν Ἀτρείδαο κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην·

V. 305

βάλεν Αἰνείαο κατ' ἰσχίον·

et similia III 356, V 281, VII 250, XVII 517, XX 274. Quibus locis genitivus pendere potest ab insequente substantivo adjuncto praepositioni, quomodo V 16

Τυδείδεω δ' ὑπὲρ ὦμον ἀριστερὸν ἤλυθ' ἀκωκή.

Verumtamen apud eundem est V. 145

τὸν μὲν ὑπὲρ μαζοῖο βαλὼν χαλκήρεϊ δουρί·

537

τόν ῥα κατ' ἀσπίδα δουρὶ βάλε κρείων 'Αγαμέμνων·

et similia IV 459, 480, 492, 501, 527, VI 9, VII 11, 14—17.

Quae quidem exempla quum habeant accusativum verbo βάλλειν additum sequente substantivo, quo significetur pars ea, qua aliquis tactus sit: haud absurde mihi persuadere videor, prioribus locis genitivum eodem modo pendere a verbo βάλλειν, quo modo his ab eo pendeat accusativus: et Homerum promiscue accusativum et genitivum ei verbo adjunxisse. Utrumque vero casum adjunxit V 73

τὸν μὲν Φυλείδης δουρικλυτὸς ἐγγύθεν ἐλθὼν
βεβλήκει κεφαλῆς κατὰ ἰνίον ὀξέϊ δουρί·

nam difficile sane est credere, genitivum κεφαλῆς pendere ab ἰνίον. Et mea sententia eo etiam videtur confirmari, quod in aliis verbis, quibus in vulneribus narrandis utitur, si quidem ea accusativum regunt, saepe eum accusativum eodem modo praeponit, non vero genitivum praeponere solet, qui pariter cum substantivo insequente posset conjungi: hujusmodi sunt V 45

τὸν μὲν ἄρ' Ἰδομενεὺς δουρικλυτὸς ἔγχεϊ μακρῷ
νύξ', ἵππων ἐπιβησόμενον, κατὰ δεξιὸν ὦμον·

79

τὸν μὲν ἄρ' Εὐρύπυλος Εὐαίμονος ἀγλαὸς υἱὸς
πρόσθεν ἕθεν φεύγοντα μεταδρομάδην ἔλασ' ὦμον·

146

τὸν δ' ἕτερον ξίφεϊ μεγάλῳ κληῖδα παρ' ὦμον
πλῆξ'·

VI 63

τὸν δὲ κρείων Ἀγαμέμνων
οὖτα κατὰ λαπάρην.

In Stephani Thesauro Linguae Graecae, editione Didotiana, afferuntur pro exemplis genitivi verbo *βάλλειν* adjuncti duo loca Arati, quorum alter est 574

ἥμισυ μέν κεν ἴδοιο μετήορον, ἥμισυ δ' ἤδη
ἐσχατιαὶ βάλλουσι κατερχομένου Στεφάνοιο·

quo loco tamen eum genitivum absolutum esse existimo, et sic interpretor: dimidiam partem Piscis videre licet sublimem, dimidiam vero jam extrema jaciunt, occidente Corona: *ἐσχατιαὶ* sunt *δύσεις*, secundum Scholiastam. Alter est 609

μέγα σῆμα Βοώτης
ἀθρόος ἀντέλλει βεβολημένος Ἀρκτούροιο·

quod ita explicatur, ut Bootes Arcturum consequatur: non recte: Arcturus non est extra Booten, sed est ipsius Bootae astrum maxime conspicuum, ut docet Aratus idem 95. Verum recte Scholiasta id verbum explicat *καταλαμπόμενος τῷ Ἀρκτούρῳ*, radiatus Arcturo. Semel ergo hoc verbum, at forma et significatione passiva, cum genitivo ab Arato ponitur: semel cum dativo 330

ἡ δέ οἱ ἄκρη
ἀστέρι βέβληται δεινῇ γένυς.

Saepius sine casu, 174, 311, 358, 371, 492. Verum

ea cuncta loca comparanti mihi significatio visa est esse eadem, quam modo dixi, τοῦ καταλάμπεσθαι, radiatum esse, lucere. Igitur ab hoc Pindari loco haec aliena sunt.

Restat ut de verbo μενοινᾶν videamus: quod certe saepissime de agendi studio ponitur: sed tamen aliae significationes non excluduntur, quum omnino significet animi curam et majorem cogitationem, quae tam in metu periculi quam in actionis impetu esse potest: velut Hom. Il. XIV 264

"Υπνε, τίη δὲ σὺ ταῦτα μετὰ φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς;

significatur cogitatio difficultatis ejus, qua Somnus se deterreri dixerat, quominus Junoni obtemperaret: ergo reapse timor aliquis ibi eo verbo exprimitur.

Quae quum ita sint, hoc Pindari loco significari arbitror perpetuam sollicitudinem Tantali ac metum, ne saxum illud in suum caput ruat.

Etiam in scholio vetere haec interpretatio agnoscitur, quod est hujusmodi: τοῦτο μενοινῶν καὶ κατὰ τὴν ψυχὴν ἔχων, ὡς ἐπιπεσὼν ὁ λίθος διαφθερεῖ αὐτὸν, τῆς εὐφροσύνης ἀλᾶται, προσδοκῶν ἀεὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ βληθήσεσθαι. Et tamen in altero altera interpretatio est: ὄντινα ἐπηρτημένον λίθον ἐπιθυμῶν ἀπὸ τῆς αὐτοῦ κεφαλῆς ἀπώσασθαι.

Homerus de Tantali poena aliter commemorat, Od. XI 582

ἑσταότ' ἐν λίμνῃ· ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ,
στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι,

et praeterea de pomis arborum, manus ejus effugientibus. Quamquam eos versus ab Aristarcho spurios habitos fuisse Scholiasta ad hunc Pindari locum dicit. Et tamen Tantali sitis, Ταντάλου δίψα, pro proverbio fuit. Alcman, Alcaeus et Archilochus etiam lapidem Tantalo superim-

minentem memoraverunt, ut testatur idem Scholiasta. Et Euripides, Orest. 4

ὁ γὰρ μακάριος, κοὐκ ὀνειδίζω τύχας,
Διὸς πεφυκὼς, ὡς λέγουσι, Τάνταλος,
κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον
ἀέρι ποτᾶται καὶ τίνει ταύτην δίκην,
ὡς μὲν λέγουσιν, ὅτι θεοῖς ἄνθρωπος ὢν
κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον
ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.

Et Plato Cratyl. 395 D τελευτήσαντι ἐν ᾅδου ἡ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τοῦ λίθου ταντάλεια.

94. εὐφροσύνας ἀλᾶται. Quae post hunc verbum sequuntur, ea sane infortunii magnum dolorem satis acriter exprimunt: haec vero verba ipsa videri possint non satis tanti doloris significationi convenire. Qui tamen mos a Graecorum sermone non abhorret: cf Aesch. Choë. 30 ἀγελάστοις ξυμφοραῖς, et 448 ἑτοιμότερα γέλωτος. Eurip. Tro. 635

ὁ δ' εὐτυχήσας ἐς τὸ δυστυχὲς πεσὼν
ψυχὴν ἀλᾶται τῆς πάροιθ' εὐπραξίας.

95. ἀπάλαμον. Cf. Ol. II. 105.

97. μετὰ τριῶν τέταρτον πόνον. Multa de his verbis in scholiis disputatio est, quam quidem persequi non hic videtur necessarium. Verum Fredericus Heimsoeth in opusculo diligenter ac docte scripto: Addenda et corrigenda in commentariis Pindari: p. 8, ostendens πόνον esse appositionem vocis βίον, in τριῶν pariter vitarum significationem esse existimat: quumque Pindarus Ol. II 123 triplicem vitam commemoret, quarto vitae labore extremas aerumnas Tantalo inflictas significari: jam hunc esse finem totius vitae laborumque Tantalo.

Sed tantummodo quasi proverbio ingentem molestiae magnitudinem significari arbitror: quemadmodum apud Homerum Il. I 128 *τριπλῇ τετραπλῇ τ' ἀποτίσομεν.* Atque hujus generis etiam sunt ipsa vocabula *τρισάθλιος*, *τρισάσμενος*, *τρικυμία*, alia.

99. *ἀλίκεσσι.* Diligenter hoc epitheton addit Poeta, ut hi convivae opponantur immortalibus, qui etiam ipsi ad Tantali epulas venerant. Similis autem dictionis color est apud Aeschylum Prom. 8

τὸ σὸν γὰρ ἄνθος παντέχνου πυρὸς σέλας
θνητοῖσι κλέψας ὤπασεν.

Cf. ibidem 83.

101. *οἷσιν ἄφθιτον.* Ambrosiae usus ad immortalitatem impertiendam memoratur etiam a Theocrito, Id. XV 108.

Κύπρι Διωναία, τὺ μὲν ἀθανάταν ἀπὸ θνατᾶς,
ἀνθρώπων ὡς μῦθος, ἐποίησας Βερενίκαν,
ἀμβροσίαν ἐς στῆθος ἀποστάξασα γυναικός.

Et ad dandam divinitatem ab Ovidio, Metam. XIV 607, ubi Venus Aeneae

ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os fecitque Deum.

103. *λαθέμεν.* Non est aoristus infinitivi, sed praesens. Hom. Il. X 279 *οὐδέ σε λήθω.* Soph. Ant. 532 *λήθουσά μ' ἐξέπινες.*

105. *προῆκαν.* Similiter de demittendo e coelo in terram hoc verbum est apud Homerum, Il. 195, ubi Juno Minervam *πρὸ γὰρ ἧκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη*, et 208.

106. *οἱ.* Ita hic dativus cum reliqua sententia conjunctus esse putari potest, non ut significet, ad Tantalum rursus filium demissum esse, sed tamen ad illius

poenam hoc pertinuisse. Verumtamen vix a genitivo differre videtur et cum *υἱὸν* conjungendus esse.

108. *πάλιν αὖθις.* Persaepe Homerus *πάλιν αὖτις*, velut Il. XXIII 229.

109. *πρὸς.* Potest haec praepositio tempus significare videri, sed tamen ea significatio non est propria: significat ejusmodi causam, quae quidem aliquid non efficiat, sed quam id consequatur: quum ejus mentum obtegeret lanugo, quemadmodum fieri par erat florente aetate. Sic Aesch. Prom. 1008

πρὸς τὰς παρούσας πημονὰς ὀρθῶς φρονεῖν,

Sapere ita ut in praesentibus decet calamitatibus.

110. *νιν μέλαν γένειον ἔρεφον.* Accusativus *γένειον* partem significat: adjectivo *μέλαν* effectus exprimitur. Cf vs 41.

111. *ἑτοῖμον ἀνεφρόντισεν.* Ἑτοῖμον non simpliciter cum *γάμον* conjunctum est, sed cum *ἀνεφρόντισεν σχεθέμεν*. Non erat illud connubium cupienti paratum, sed contra difficillimum: verum Pelops cupiebat illud sibi habere paratum vincendo Oenomao. Exprimitur ergo non tantum ejus conjugii cupido sed etiam fortitudinis studium. Ἀνεφρόντισεν de cura prinum suscepta dictum puto. Alio quodam modo apud Lucianum, Hermot. 1 *σκέμμα σοφιστικὸν ἀναφροντίζων*, meditari.

113. *γάμον — Ἱπποδάμειαν.* Proprie non est appositio, sed haec nomina casu conveniunt, propterea quod ambo pendent a verbo *σχεθέμεν*, hoc modo: cogitavit habere connubium, nempe habere Hippodamiam.

115. *πολιᾶς ἁλός.* Similiter apud Homerum, Il. I 350, Achilles Thetidem precaturus consedit

θῖν' ἔφ' ἁλὸς πολιῆς ὁρόων ἐπὶ οἴνοπα πόντον.

Et apud Pindarum Ol. VI 97 Jamus Neptunum appellaturus in medium descendit Alpheum.

117. ὁ δ' αὐτῷ. Hujusmodi est veterum poetarum jucunda de Diis narratio, superantibus longe celeritatem hominum, ut suam celeritatem in apparendo opemque ferendo ostendant. Sic apud Homerum eo loco, quem modo memoravi, Thetis in profundo mari sedens audivit filium, et, 359

καρπαλίμως δ' ἀνέδυ πολιῆς ἁλὸς ἠΰτ' ὀμίχλη.

119. Φίλια δῶρα. Pulcherrime memorat Pelops eum, qui inter ipsum et Deum fuerat, amorem, cujus gratia nunc quoque manere debebat: ipsa tantum dona Veneris praedicat, non addit, a se illa Deum accepisse: provocans sic ad ipsam amoris dulcedinem nec mercedem quasi ipse sibi flagitans.

122. ἔγχος χάλκεον. Crebro sic etiam Homerus, exprimens hastae saevitiam eamque ad oculos referens. Conf. vs 2 αἰθόμενον πῦρ, 40 καθαροῦ λέβητος.

127. κράτει δὲ πέλασον. Cf. vs. 34. Eurip. Iphig. Taur. 886 θανάτῳ πελάσεις βάρβαρα φῦλα.

127. ἐπεὶ. Difficultas certaminis et magnitudo periculi ita commemorantur in precibus, ut auxilium Dei flagitetur impensius. Procorum interfectorum nomina enarrant scholiastae et Pausanias L. VI C. XXI 7.

129. ὁ μέγας. His se ipse ad fortitudinem incitat. Magnum periculum, inquit, non capit, i. e. non admittit virum imbellem, excludit eum: tu ergo, si hoc periculum adire cogitas, forti animo esto! mori enim cunctis est propositum, tam ignavis quam fortibus: quid ergo malis senectutem quaerere ingloriam quam cum periculo gloriam sequi?

131. *θανεῖν.* Eadem saepius sententia pro fortitudinis incitamento fuit: velut apud Homerum Il. VI 488

μοῖραν δ' οὔτινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.

et apud Callinum 12

οὐ γάρ κως θάνατόν γε φυγεῖν εἱμαρμένον ἐστὶν
ἄνδρ', οὐδ' ἣν προγόνων ᾖ γένος ἀθανάτων.

133. *ἕψοι.* Coquat, foveat. Significatur maxima in conservando cura posita, ut aetatem nulli periculo proponere et vix in lucem proferre audeas, eamque conservatione ipsa consumas. Similiter Py. IV 330

τὰν ἀκίνδυνον παρὰ ματρὶ μένειν
αἰῶνα πέσσοντ'.

135. *ὑποκείσεται. ὑποκεῖσθαι* propositum esse. Thucyd. III 84 *ἅπασιν ἐλπὶς ὑπόκειται.* Est quaedam similitudo hujus dictionis cum verbo *ὑποστῆναι*, suscipere, velut Thucyd. II 61 *ὑποστῆναι τὸν κίνδυνον.*

136. *πρᾶξιν.* Effectum, eventum actionis significat. Hom. Il. XXIV 524

οὐ γάρ τις πρᾶξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο,

nihil lamentatione efficitur. Eodem pertinet dictio *εὖ πράττειν.*

138. *ἐφάψατ'* Py. VIII 86 *ἐφάψατο τέχναις*, Nem. VIII 60 *κελεύθοις ἐφαπτοίμαν.* Saepius tamen cum genitivo, velut Ol. IX 19 *οὔτοι χαμαιπετέων λόγων ἐφάψῃ.*

142. *ἕλεν.* Zeugmate hoc verbum ad Oenomai robur et ad puellam refertur: cepit Oenomaum, i. e. vicit et interfecit, cepit vero virginem conjugem, i. e. sibi propriam vindicavit. Tamen ne in hac constructione Pindaro absurdam aliquam orationis confusionem obtrudamus, quod eodem verbo maxime contraria, caedem et

amorem, expresserit: sed erat Hippodamia certaminis praemium: in iis autem verbis, quae ad certamina et victorias pertinent, haec tria possunt esse objecta, adversarius, ipsum certamen, praemium. Hoc igitur loco, quum verbum ἑλεῖν vincendi notionem habeat, duo adduntur objecta, adversarius et praemium. Ipsum certamen pro objecto ejus verbi ponitur apud Sophoclem Oed. Col. 1148

χὤπως μὲν ἀγὼν ᾑρέθη, τί δεῖ μάτην
κομπεῖν.

Similiter Ol. IX 127 κράτησαν ἔργον, et Nem. X 46 ἐκράτησε στρατόν. Aliquam habemus in nostro sermone similitudinem, adversarium quidem alio modo, sed certamen et praemium eodem modo verbo adjungentes, quum dicamus eenen strijd winnen et eenen prijs winnen. Latini vero dicunt profligare bellum et profligare hostes.

144. τέκε. De patre hoc loco dicitur, quemadmodum apud Homerum Il. VI 154

ὁ δ' ἄρα Γλαῦκον τέκεθ' υἱόν,
αὐτὰρ Γλαῦκος ἔτικτεν ἀμύμονα Βελλεροφόντην.

Conf. 206, XXI 188, XXIV 255, 540, Hesiod. Theog. 287, Sophocl. Oed. Col. 1108, Eurip. Iphig. Taur. 273, Eurip. Suppl. 1133.

145. ἀρεταῖσι μεμαλότας. Quos ipsae virtutes dilexerunt carosque habuerunt. Similiter Hesiod. Op. et D. 231

θαλίης δὲ μεμηλότα ἔργα νέμονται.

Ipsum μέμηλε de eo, quod curae sit vel quo oblecteris, frequens est, velut ibidem 238, 531, Hom. Il. II 25.

145. υἱούς. Fuerunt in iis Atreus, Thyestes, Plis-

thenes, ut testantur Scholiastae, sed in reliquorum nominibus iidem non consentiunt.

146. *κἱμακκουρίαις*. Gregorius Corinthius de dial. Dor. 27 explicat *τὰ τῶν νεκρῶν ἐναγίσματα* et vocabulum Doricae dialecto vindicat: Boeoticum fuisse affirmant Scholiastae, et derivant *ἀπὸ τοῦ κορέννυσθαι τὰς ψυχὰς αἵματος*. Fiebant etiam aetate Pausaniae sacra annua Pelopi, immolatione nigri arietis: Paus. L. V C. XIII 2.

147. *ἀγλααῖσι*. Nem. IV 33 *ἀγλαὸν τύμβον*.

147. *μέμικται*. Similiter Isth. II 43 *ἀθανάτοις ἐν τιμαῖς ἔμιχθεν*. Affirmat Pausanias, L. V C. XIII 1 Pelopem Olympiae ita supra heroas reliquos cultum fuisse ut Jovem supra reliquos Deos.

148. *κλιθείς*. Accubans ad Alphei fluvium, juxta Alpheum positus. Hom. Il. V 709 *λίμνῃ κεκλιμένος Κηφισσίδι*, habitans prope lacum Cephissum: XV 740 *πόντῳ κεκλιμένοι*, mari proximi, ut nihil intersit.

149. *τύμβον*. In scholiis veteribus *ἀμφίπολον* explicatur in urbe media, ibi enim fuisse sepulcra conditorum urbium: vel quod a certantibus ambiretur, in stadio enim fuisse: vel orbe ab omni parte ad illud frequentes accessisse: et hanc quidem explicationem etiam Eustathius commendat, ad Od. I 136. *Ἀρχαῖον σᾶμα Πέλοπος* memoratur etiam Ol. X 30. A Pausania L. V C. XIII memoratur lucus in Alti vel fanum, *τέμενος* Pelopis, *Πελόπιον*, lapideo vallo, habens arbores et statuas, quod Hercules dicebatur consecrasse: idemque sacra fecisse dicebatur in scrobem Pelopi, *ἐς τὸν βόθρον*: et sacra ea etiam sua aetate permansisse. De ossibus etiam Pelopis ibidem mentio est. Aram vero Jovis Olympii fuisse dicit ante Pelopium. Verum tumuli quidem non mentio est..

Credo fuisse in illo Pelopio et tumulum et juxta eum scrobem. Ἀμφίπολον significare mihi videtur frequentiam adeuntium, idque simpliciter, ut orbis significatio praetermittatur: hoc uno quidem loco, quantum scio, id adjectivum passiva notione ponitur: ceterum significat ministrum: proprie vero eum, qui sit circa dominum.

151. βωμῷ. Significatur Jovis Olympii ara, non in ipso ejus Dei templo, verum seposita, ea, quae erat ante Pelopium, ut a Pausania memoratur eo loco, quem modo significavimus.

151. τὸ δὲ κλέος. Δρόμοι fere sunt cursus, ut Soph. El. 684, 691: verum hoc loco sunt ipsa stadia, ipsa loca ubi certabatur, ut ibidem 713

πᾶς ἐμεστώθη δρόμος.

Dativus cum praepositione ἐν δρόμοις non cum δέδορκε conjunctus est, sed cum κλέος: gloria Pelopis, quae est in stadiis Olympiadum: ibi quippe erat domestica. Similiter Ol. III 27 τῶν Ὀλυμπίᾳ ἄθλων, Ol. V 3 στεφάνων τῶν Ὀλυμπίᾳ, Ol. VIII 109 κόσμον Ὀλυμπίᾳ. Δέδορκε lucendi significationem habet: quemadmodum Nem. III 148 δέδορκεν φάος, Nem. IX 100 δέδορκε φέγγος. Propria hujus verbi significatio est videre: verum quum oculis etiam quam maxime prodamus ea, quae in nobis insunt, facile nata est significatio vultu oculisque prodendi: quae quidem est Ol. IX 165 ὁρῶντ' ἀλκάν. Quum autem id, quod sic proditur, maxime eluceat et in aliorum oculos incurrat, omnino verbum videtur nactum esse significationem lucendi. Nos in sermone nostro similem quandam verbi rationem habemus, quum dicamus de moed ziet de oogen uit, et de moed blinkt de oogen uit. Pro τηλόθεν δέδορκε fere exspectaveris τηλόσε: verum significat,

Pelopis gloriam, quamvis Olympiae domesticam, non ita lucere, ut Olympiam veniendum sit eam adspecturo, sed quovis esse dispersam facis instar, quae e longinquo conspiciatur.

155. *ἐρίζεται.* Quemadmodum est apud Homerum *Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζειν* Il. IX 389, de forma, i. e. de principatu formae certare cum Venere, et *ἀθανάτῃσι δέμας καὶ εἶδος ἐρίζειν* Od. V 213, sic existimare possis, hoc loco *ἐρίζεται* poni passive: de celeritate, i. e. de principatu celeritatis certatur. Nec tamen aliud hujus generis exemplum novi. Verum eodem modo explicandus erit versus sequens, *ἀκμαί τ' ἰσχύος θρασύπονοι*: quumque in adjectivo *θρασύπονοι* insit significatio ejusmodi, quae cum actione certaminis et contentionis, non cum eo, de quo contendatur, conveniat, rejicienda videtur ea explicatio, et habendum est *ἐρίζεται* verbum medium activae significationis. Similiter Isth. V 4 *ἐριζόμεναι νᾶες*, Hesiod. Theog. 534 *ἐρίζετο βουλάς*.

156. *ἀκμαὶ ἰσχύος.* Non est summa fortitudo, quae praestet aliis, sed quae se superet ipsa: quae tanta sit, ut major esse non possit.

157. Transiit Poeta, postquam Pelopis vivi gloriam et fortunam laudavit, ad ejusdem mortui honores: qui quum essent Olympiae domestici, ad ipsam Olympiae laudem, quam initio carminis praedicavit, rediit vs 154: jam cujusvis ibi partae victoriae praestantiam praedicat, rediturus mox, vs 162, ad ipsum Hieronem. *Ἀμφὶ* saepe de tempore rei gestae ponitur, velut Aesch. Ag. 835 *ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν*, rarius, ut hoc loco, de perpetuo temporis spatio: tamen etiam Ol. II 55, *τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον.* *Βίοτος* est i. q. *βίος*, ut saepe, velut Ol. II 54, Hom. Il. VII 104, Aesch. Pers. 360.

158. εὐδίαν. Proprie significat mitem coeli serenitatem: Ist. VII 52 Γαιάοχος εὐδίαν ὄπασσεν ἐκ χειμῶνος.

159. τὸ δ' ἀεὶ. Ἀεὶ cum παράμερον conjunctum est: bonum id, quod semper quoque die comitatur neque unquam deserit, supremum venit, i. e. supremum est quum venit, quum contingit, omni homini. Respicitur ad victoriam Olympicam, quae, ut modo Poeta praedicavit, non ad ipsum tempus victoriae, sed per omnem vitam reliquam perpetua tribuit gaudia.

162. στεφανῶσαι. Vult Poeta suum carmen quasi alterius coronae instar haberi, quae pariter atque corona Olympica victorem ornet.

163. ἱππείῳ νόμῳ. Significari videtur certus quidam cantilenae modus, usitatus in celebratione equestris victoriae. Sic memoratur τὸ καστόρειον μέλος Py. II 127. Apud Herodotum Arion narratur cecinisse νόμον τὸν ὄρθιον, L. I 24. Νόμους etiam memorant Pollux L. IV C. IX 65, 66, C. X 78, 79: et Athenaeus L. XIII C. XXVI p. 570 b.

164. Αἰοληΐδι μολπᾷ. Memoravit Poeta vs 26 Δωρίαν φόρμιγγα. Boeckhius, de metr. Pind. pp 256 et 276, copiose disputat, ut evincat, fieri non potuisse, ut modus Aeolius appellaretur Dorius. Ostendere sibi videtur, Doriam citharae harmoniam, ab Aeolia diversam, junctam fuisse cantionis harmoniae Aeoliae, a Doria diversae: ut inde mixta quaedam symphonia exstiterit. Disputat ea, fretus hoc Pindari loco: tum versu eo, quem Scholiasta affert ad Py. II 127

Αἰολεὺς ἔβαινε Δωρίαν κέλευθον ὕμνων.

E quo quidem versu, sic nude posito, non video quid possit effici. Tandem loco Athenaei L. XIV C. VIII

p. 617 f, ubi Pratinae hyporchema affertur, cujus est hic ultimus versus

ἄκουε τὰν ἐμὰν Δώριον χορείαν.

Ejus autem carminis rythmum prorsus Aeolium videri: χορείας autem nomine canticum, non saltationem significari, quae magis oculis cernatur quam audiatur. Tribuat tamen hoc Aristophani, ut saltationem etiam audiri existimet, Ran. 330 ἐγκατακρούων ποδὶ χορείαν: et Euripidi, Iphig. Aul. 1043 Πιερίδες χρυσεοσάνδαλον ἴχνος ἐν γᾷ κρούουσαι. Tribuat Platoni, saltationem etiam χορείας nomine contineri, de Legg. II 654 B χορεία γε μὴν ὄρχησίς τε καὶ ᾠδὴ τὸ ξύνολόν ἐστιν. Tribuat ipsi Pratinae, ut in hoc ipso carmine scribens

ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν
ἐμὲ δεῖ παταγεῖν

altero verbo ad cantationem, altero ad saltationem significandam utatur: ut etiam memoret ποδὸς διαρριφάν, quae ad saltationem magis quam ad cantum pertinere videtur. Verum ego non tantum tribuo Boeckhio, ut carmen Pratinae rythmum Aeolium habere mihi persuadeam propter hanc causam, quod ita videri dicit Boeckhius: nec tantum tribuo mihi, ut dijudicem, utrum ille rythmus Aeolius sit an Dorius. Hoc equidem scio, harmoniarum Graecis fuisse plura genera: attigit mentionem earum Plato, De Rep. L. III p. 398: memorat genera Julius Pollux L. IV C. IX 65, Doriam, Joniam, Aeoliam, tum Phrygiam et Lydiam, praeterea Locrensem. Similiter Athenaeus, L. XIV C. XIX 624, seqq: verum praetermittit Locrensem: Aeoliam vero etiam nomine Hypodoriam dicit appellatam fuisse. Contendit Boeckhius, Aeoliam non appellari potuisse Doriam, propterea

quod appellata sit Hypodoria: neque enim id esse Dorium quod sit Hypodorium. Et id quidem recte contendit. Verum alio modo Aeolia harmonia potuit contineri nomine Doriae. Quippe Aristoteles, De Rep. L. IV C. III multa quidem dicit esse rerumpublicarum genera, praecipua vero duo, quibus reliqua subjici possint: eodem modo, quum plures venti sint, praecipuos esse duos, boream et notum, et zephyrum in borea, eurum in noto poni: etiam quum plures sint harmoniae, praecipua earum genera esse duo, Dorium et Phrygium, in eorum alterutro reliquas harmonias poni: sunt haec ipsius verba: ὁμοίως δ' ἔχει καὶ περὶ τὰς ἁρμονίας, ὥς φασί τινες· καὶ γὰρ ἐκεῖ τίθενται εἴδη δύο, τὴν Δωριστὶ καὶ τὴν Φρυγιστὶ, τὰ δ' ἄλλα συντάγματα τὰ μὲν Δώρια τὰ δὲ Φρύγια καλοῦσι. Quum ergo Pindarus φόρμιγγα Δωρίαν appellet et Αἰοληΐδα μολπάν, Dorio nomine videtur usus esse universo, quo Aeolium contineretur, ut et cantio et cithara fuerint Aeoliae.

168. καλῶν. Καλὰ sunt laudabilia, quemadmodum Hiero certando ea se cognovisse prodidit. Similiter 134.

ἴδριν. Adjectivi hujus comparativus vel superlativus non invenitur quantum scio. Hoc loco intelligitur μᾶλλον e sequente κυριώτερον. Sic Tacitus Ann. I 57: „Barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus rebusque motis potior habetur." Τε sequente ἢ est etiam apud Xenophontem, Oecon. XX 12 ἡ γῆ ὑγροτέρα τε οὖσα πρὸς τὸν σπόρον ἢ ἀλμωδεστέρα πρὸς φυτείαν.

170. πτυχαῖς. Πτυχὴ est id quod plicatum est, nec differre videtur a πτύξ. Hesychius: πτύξ, ἡ πτύχη aut πτυχὴ, ἡ πλέξις. Certe et πτύξ et πτυχὴ dicitur de convallibus montium, velut Hom. Il. XX 22 μενέω πτυχὶ

Οὐλύμποιο ἥμενος, et Eurip. Suppl. 757 πρὸς Κιθαιρῶνος πτυχαῖς. Πτύξ autem de veste dicitur, velut Hom. Hymm. in Cererem 176 ἑανῶν πτύχας ἱμεροέντων, et Eurip. Suppl. 979 πέπλων πρὸς στέρνῳ πτύχα. Quodsi in illa altera significatione haec duo vocabula inter se permutantur, idem fieri facile videtur in significatione vestis. Similis significationis varietas est in Latino sinus. Atque hoc loco quasi de vestibus Poeta dicere videtur, cum quibus comparat carmina, quibus ornat Hieronem, quemadmodum vs 162 ea cum corona comparaverat. Aptum etiam huic significationi est verbum δαιδαλωσέμεν.

171. Θεὸς ἐπίτροπος. Dativus objecti in verbo μήδομαι sine exemplo est, quantum novi. Verum, ut arbitror, τεαῖσι μερίμναισιν conjunctum est cum ἐπίτροπος ἐών: similiter Nem. III 62 Ἰόλᾳ παραστάτας ἐών. In μήδεται intelligitur αὐτῶν, scilicet μεριμνῶν. Μερίμναι Hieronis significantur curae certaminum: laudatur hic Dei auxilium in data praesente victoria, quemadmodum mox, εἰ δὲ μὴ ταχὺ λίποι, rogatur in danda futura.

175. ἔτι γλυκυτέραν. Via sermonum sive carminum est canendi copia vel opportunitas, quae quasi aperitur ad ingrediendum. Sic ὁδὸς λόγων, Nem. VII 75, est copia laudandi Aeginae prolem: Nem. VI 57 παρέχειν πολὺν ὕμνον, multam praebere carminum materiem. Cf. hujus carminis vs 14. Ergo invenire viam carminum cum curru celeri est nancisci copiam canendi Hieronem victorem curuli certamine: appellat eam viam ἐπίκουρον, quia delectatur Hieronem canendo, ut optet sibi illud eventurum esse hujus studii adjumentum: appellat eandem ἔτι γλυκυτέραν, quia praestat curulis equestri victoriae.

178. ἐλθών. Sunt qui polliceri Poetam existiment, se ipsum spectatum venturum Olympiam: verum hujusmodi sententia omnino mihi videtur argutior quam verior. Victoriam optat Poeta, carmen suum ei pollicetur victoriae: igitur sibi representat et laudat ipsum locum, ubi carminis via invenienda sit. Similia multa in Pindaro: velut hujus carminis vs 16, Ol. VI 37. Cronium prope Altin fuit, ut memorat Pausanias L. VI C. XIX 1, C. XX 1. Conf. Ol. V 40, VI 110, IX 4, et X 59, ubi Hercules narratur montem Croni appellasse, prius quum nomine caruisset nive obrutus.

179. βέλος. Saepissime hoc vocabulo Pindarus utitur in significanda poesi, velut Ol. II 150, 160, 163. Ἀλκᾷ cum verbo τρέφει, non cum adjectivo καρτερώτατον junctum videtur.

182. μηκέτι. Minime quidem apparet, Pindarum Hieronem voluisse ob aliquam superbiam reprehendere et ab ea revocare: id quod nonnulli putant. Contra laudando effert fortunam humanam, sed ita, ut tamen aliquid dicat esse extremum: hoc autem quum regum sit, contigisse id Hieroni, nec quidquam jam supra esse quo spectare possit.

184. τοῦτον χρόνον. Hoc tempus significat, quod foret reliquum vitae, cui victoria jam perpetuam laudem addiderat.

186. τοσσάδε. Non ita respici videtur ad τοῦτον χρόνον, ut Poeta sibi aeque diuturnam gloriam optet, sed ad ὑψοῦ πατεῖν: pariter atque Hieroni summam regiam, sibi poeticam gloriam mansuram optat, oriundam maxime e dilectissimo sibi carminum genere, quod ad victores ornandos pertineat. Σοφία fere de poesi a Pindaro

dicitur: conf. vs 15: de ipsa musica a Xenophonte, Anab. L. I C. II 8 λέγεται Ἀπόλλων ἐκδεῖραι Μαρσύαν, νικήσας ἐρίζοντά οἱ περὶ σοφίας.

OLYMPIA II.

In scholio ad inscriptionem victoriae ejus, quae hoc carmine laudatur, tempus ponitur Olympiade LXXVII: in scholio recentiore ad vs 166 refertur ea ad Ol. LXX, computatione prorsus rejicienda: in scholio vetere ad vs 166 est ὁ δὲ Θήρων ος' ἢ οζ' ἐνίκησε, et tamen ibidem in computatione ponitur Ol. LXXVI. Idem numerus manifesto reponendus est in scholio Urat A ad vs 168, ubi est ἐνίκα οὖν ις', recte correctum ος'.

Difficile est haec testimonia ita ponderare, ut certo tempus definias. Tamen, quum Olympiadis LXXVII ratio non reddatur, Olympiadis vero LXXVI ratio reddatur, non quidem quae ad carminis intelligentiam magnopere pertineat, ut suo loco ad vs 168 monebimus, sed tamen quae scholiastarum diligentiam ostendat, quumque alia causa non sit, cur de ejus computationis veritate dubitetur, satis probabile esse mihi videtur, victoriam hanc Theronis ponendam esse Olympiade LXXVI.

Fuit Thero filius Aenesidemi, ut apparet ex hujus carminis vs 84 et Ol. III 15: conf. Ist. II 42: conspirat Herodotus L. VII 165, idemque 154 Aenesidemum appellat filium Pataici. Refertur ea gens, vs 76 et 82, ad Thersandrum, Polynicis filium. Appellatur autem gens Emmenidarum Ol. III 68, conf. Py. VI 5.

Fratrem Thero habuit Xenocratem, qui memoratur hujus carminis vs 89, et in ejus honorem scripta sunt Pythium VI et Isthmium II. Gravi errore in scholiis veteribus ad vs 82 et ad Ol. III 67 frater Theronis dicitur fuisse Hiero.

In scholio vetere ad vs 16 genus Theronis refertur ad Eteoclem, manifesto errore. Tota quaedam in scholiis historia cum hoc errore copulata est, et dicuntur Theronis majores ex Rhodo in Siciliam venisse et Gelam condidisse, postea vero Agrigentum. Verum ea omnia rejicienda sunt. Neque enim Pindarus vs 77 e Polynicis posteris Theronem dixerit, si ex Eteoclis posteris fuit: nec Thersander filius Polynicis idem fuisse putandus est qui Polydorus filius Eteoclis: nec, si quid de Haemone, filio Polydori, et de ejus posteris traditur, id omne continuo Thersandri posteris accidisse putandum est. Tradit praeterea Herodotus, Gelonis majores interfuisse iis, qui ex Rhodo profecti Gelam condiderunt: VII 153: neque ulla probabilis suspicio est, Gelonis majores eosdem fuisse ac majores Theronis.

De Thersandri quidem majoribus constat, quorum est haec series: Cadmus, Polydorus, Labdacus, Lajus, Oedipus, Polynices. Atque hujus filius Thersander fuit.

Thersandri propago secundum scholiastas, quanquam non diserte inter se convenientes, tamen probabiliter hoc modo perscribenda videtur: Tisamenus, Autesion, Theras, Samus, Telemachus, qui primus in Siciliam venisse dicitur ex Thera, ubi frater ejus Clytius remanserit: tum Chalciopeus, Emmenides, Aenesidemus, Thero. Vide scholia ad Ol. II 82, III 67, 68, Py VI 4, ubi

nomen Emmenidarum secundum Aristarchum derivatur ab ipsius Emmenidae nomine proprio.

Nomen Pataici, qui secundum Herodotum pater Aenesidemi fuit, in illa serie non reperitur: atque in vetere scholio ad Ol. II 82 omittitur nomen Emmenidae, ad Ol. III 68 omittitur nomen Chalciopei. Ergo in eo propaginis ordine definiendo difficultas remanet, quam investigando nec tollere nec minuere potui.

Aenesidemus cum Gelone, qui post Hippocratem Gelae imperium habuit, Hippocrati satelles fuit. Herod. VII 154.

Ipse Thero cum Gelone Carthaginienses clarissimo proelio Himerensi vicit: Herod. VII 166, Diod. Sic. XI 20: quod proelium Diodorus die pugnae Thermopylaeae factum esse dicit, melius certe Herodotus, die victoriae Salaminiae. Ibique haud parvam Theronis operam fuisse, ex ipsis Herodoti verbis apparet, illum una cum Gelone commemorantis: Γέλωνα καὶ Θήρωνα νικᾷν.

Dederat aliquo modo ipse Thero illi bello Carthaginiensium causam. Nam quum ipse Agrigentinis imperaret, expulit Himera tyrannum ejus urbis Terillum: qua re hic iratus Carthaginienses invocavit. Herod. VII 165.

Brunet de Presle, p. 125, Terillum a Therone Himera expulsum propterea fuisse dicit, quod ille Hippocratem et Capyn exceperit, cognatos Theronis et maximis ab eo beneficiis ornatos, sed ei inimicos. Quod unde ille scriptor hauserit, nescio. In scholio vetere et recentiore ad vs 173 mentio quidem est de beneficiis in illos collatis et de illorum erga eum inimicitia: sed in vetere dicuntur ei bellum intulisse et ab eo victi esse ad Himeram; in recentiore ad Hieronem transiisse

bellumque adversus Theronem movisse, sed frustra conati esse ejus evertere imperium.

Postea Himerae praefuit Theronis filius Thrasydaeus. Fortasse huic illud imperium Thero dedit continuo post expulsum Terillum. Idque etiam verisimile puto. Pro certo id habet Brunet de Presle, ignoro quo testimonio.

Ipsum Agrigentum post proelium Himerense egregie et templis et cloacarum operibus auctum est, ingente captivorum numero ad ea facienda adhibito.

Hiero autem, accepto post Gelonis mortem Syracusarum imperio, quum fratrem Polyzelum florentem gratia videret, invidia ac timore ductus illum de medio tollere studuit. Quo consilio eum Sybaritis misit auxilio adversus Crotoniatas. At ille, dolum intelligens, non ad bellum profectus est, verum fugit ad Theronem. Cui quum Hiero bellum inferre pararet, accidit, ut ad eum venirent Himerensium legati, Thrasydaeum non ferentium, et ab Hierone auxilium petentium. Verum hic cum Therone pacem facere maluit et ei aperuit Himerensium consilia. Quo facto Thero cum Hierone et ipse in gratiam rediit, et inter eum et Polyzelum amicitiam conciliavit. Facta sunt haec Ol. LXXVI anno primo, secundum Diodorum Siculum, L. XI 48. Didymus in scholio vetere ad vs 29 eadem fere memorans, Demaratam, filiam Theronis, Geloni nuptam fuisse narrat, et post mortem illius Polyzelo. In concilianda autem Theronis et Hieronis gratia famam fuisse operae Simonidis.

Scriptum esse hoc carmen a Pindaro non continuo post victoriam sed aliquo intervallo interposito, demonstrabimus in enarratione carminis Olympii tertii: quod

quum ordine postponi soleat, debebat anteponi secundo, quum tempore praecesserit.

Ipse Thero, postquam per sedecim annos Agrigentinis praefuit summa aequitate, obiit Ol. LXXVII anno primo: et per vitam carissimus civibus, et post mortem heroicos nactus honores. Filius vero ejus Thrasydaeus jam dum pater vivebat crudelis et sanguinolentus, post mortem ejus nactus imperium civium odio et illud amisit et funesto fato poenas luit. Diod. Sic. XI 53.

Initium carminis imitando expressit Horatius, L. I od. XII

> Quem virum aut heroa lyra vel acri
> Tibia sumis celebrare Clio,
> Quem deum?

4. De Pisae consecratione Jovi et conditis ab Hercule ludis Olympiis totum fere est carmen Olympium X.

7. *ἀκρόθινα*. Vel hoc, vel *ἀκροθίνια*, derivatur a *θὶς*, acervus. Zenodotus aliique dicunt significari primitias ex acervo frugum decerptas, inde vero cujusvis rei primitias: *θῖνας* enim proprie significare acervos frugum. Nec pugno. Fortasse tamen *θὶς* proprie nihil aliud significat nisi acervum: nec longe ab ea significatione abest significatio usitatissima litoris: ut *ἀκροθίνια* significaverint acervum arenae vel foliorum vel cujusvis rei ejusmodi, positum in memoriam victoriae. Ut inde in sacrarum manubiarum significationem vocabulum transierit. Haec enim significatio maxime usitata est: velut Herod. VIII 121 *τοῖσι θεοῖσι ἐξεῖλον ἀκροθίνια ἄλλα τε καὶ τριήρεας τρεῖς Φοινίσσας*. Apud Sophoclem, Trach. 751 Hercules dicitur

νίκης ἄγων τροπαῖα κἀκροθίνια.

Tropaea novimus proprie fuisse posita eo loco spolia, quo hostes victi fuissent, hoc tamen loco significantur spolia, quae victor secum ducebat. Similis ergo in eo vocabulo est significationis translatio atque in ἀκροθινίοις.

Ceterum scribi solet ἀκροθίνια, nec quantum scio, ἀκρόθινα nisi hoc Pindari loco et Ol. X 69. Sunt qui adjective positum putent a nominativo ἀκρόθις, ut hoc loco conjungatur cum Ὀλυμπιάδα, illo altero cum δόσιν. Credo tamen esse substantivum genere neutro.

10. γεγωνητέον ὀπί. Nem. III 116 ὀπὶ κελαδέων. Hom. Il. I 604

Μουσάων θ', αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

11. δίκαιον ξένον. Justitiae nomine omnis erga hospites benevolentia et liberalitas continetur, pietatis etiam titulo celebranda. Velut apud Homerum, Od. IX 175

ἤ ῥ' οἵγ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι οὐδὲ δίκαιοι,
ἠὲ φιλόξεινοι καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής.

De Theronis liberalitate conferatur hujus carminis vs 170 et 179.

12. ἔρεισμ' Ἀκράγαντος. Et ad justitiam imperii et ad fortitudinem, quam proelio Himerensi praestiterat, haec laudatio pertinet.

14. ἄωτον. Recte monet Karstenius, non significari hoc loco posse praestantissimam partem: significari potius decus: quomodo Pyth. IX 5 Telesicrates dicitur στεφάνωμα Κυράνας. Decus additum et ornamentum eo vocabulo significatur Ol. III 5, ὕμνον, ἀκαμαντοπόδων ἵππων ἄωτον, et eodem modo Ol. V 2 ἀρετᾶν καὶ στεφάνων ἄωτον. Tafelius significari credit prolem. Certe ea significatio est hujus carminis vs 81 vocabuli θάλος,

Ist. IV 77 ἔρνος, Hom. Il. XXIV 474 ὄζος. Similis metaphora est hujus carminis vs 82 σπέρματος ῥίζαν et Py. IV 26 ἀστέων ῥίζαν. Tamen stirpis significationem, quae in iis vocabulis est, ab ἄστου nomine abesse credo. Ergo retineo decoris significationem.

14. ὀρθόπολιν. In scholio vetere τὸν ὀρθοῦντα καὶ σώζοντα τὰς πόλεις, ὡς ἐρυσίπτολιν καὶ σωζόπολιν. Et in altero ἢ ὀρθὸν ἐν τῇ πόλει, ἢ ὀρθὴν πόλιν ἔχοντα. Postremam significationem vocis etymologia postulat: cui sit ὀρθὴ ἡ πόλις. Similiter ὀρθόβουλος, qui est recti consilii, ὀρθοέθειρος, ὀρθόθριξ, alia. Karstenius, activam significationem commendans, ut sit stator urbis, affert Aesch. Eumen. 962, quo loco Eumenides appellantur δαίμονες ὀρθονόμοι, idque esse dicit legum tutrices, et tamen ibi non in ὀρθός, sed in νόμος activam significationem esse credo, ut sit recte moderantes. Κοσμόπολις vero, quod nomen fuisse memorat principis in Locrorum Epizephyriorum civitate magistratus, aliam habet compositionis rationem, idque, si cum ὀρθόπολις conveniret, debebat esse κοσμιόπολις. Et κόσμοι apud Cretenses iidem fuere, qui ἔφοροι apud Spartanos. Cum ea interpretatione, quam suadeo, etiam convenit Py. VIII 31 ἁ δικαιόπολις νᾶσος, Aegina, habens civitatem florentem justitia. Tamen etymologiae non omnis interpretatio subjicienda est. Velut Py. VIII 2 Ἁσυχία dicitur μεγιστόπολις, quod sane est activae significationis, quae civitatibus magnitudinem efficiat. Non igitur pugno, si quis hoc loco ὀρθόπολιν active interpretetur. Tamen retineo eam significationem, quam posui. Nam dixit jam Poeta Theronem ἔρεισμ' Ἀκράγαντος, addidit deinceps laudes majorum ejus, adjicit nunc praeterea laudem et felicitatem civitatis.

15. *καμόντες*. De majoribus Theronis post Thersandrum pauca cunt cognita: hi autem labores non primorum atavorum ante Thersandrum significantur, sed ad ea tempora pertinent, quae gentis ejus in Siciliam adventum proxime praecesserunt, aut ad ipsum eum adventum. Nec quidquam de illo adventu cognovimus, nisi Telemachum in Siciliam abiisse, quum frater ejus Clytius in Thera maneret. Verum credendum sane est Pindaro, fuisse illorum magnos labores.

15. *θυμῷ*. Non significatur, eos magno animo tulisse labores, sed labores illos ad animum pertinuisse: velut Homerus Od. I 4

πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν.

16. *ἱερὸν οἴκημα ποταμοῦ*. Agrigentum, ad flumen Acraganta positum. Py. XII 4 *ἅτ' ὄχθαις ἔπι μαλοβότου ναίεις Ἀκράγαντος*. Ibidem Agrigentum dicitur *Φερσεφόνας ἕδος*: utrum hoc loco *ἱερὸν* ea significatione an usu epico illustrandi causa positum sit, ut apud Homerum Od. I 2 *Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον*, et sexcenties, ad Py. XII disputabimus.

18. *ὀφθαλμός*. Decus maxime conspicuum hoc loco significatur. Paulum differt significatio Ol. VI 27, quod suo loco annotabimus.

21. *γνησίαις*. Scholiasta vetus explicat proprias, labore partas, non adscitas: alius, ab origine insitas. Et Boeckhius insitas natura, quum contra gratia et divitiae sint acquisitae. Potius significantur incorruptae, verae. Sic apud Pollucem L. III C. X segm. 86 *ἀργύριον γνήσιον, καθαρὸν, ἀμιγὲς, ἄκρατον*. Philemon, fragm. II vs 7 ed. Brunckii

ἀλλ' ὅστις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
εἶναι δίκαιος κοὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.

In ἔφεπε intelligitur αὐτούς. Praepositio ἐπὶ ita cum ἄγων conjuncta est, ut significetur, divitias et gratiam adductas esse, quae illis virtutibus tamquam comites adjungerentur. Similis grammatica constructio est Thucyd. II 101 ὑποσχόμενος ἀδελφὴν ἑαυτοῦ δώσειν καὶ χρήματα ἐπ' αὐτῇ.

22. Κρόνιε παῖ Ῥέας. Id est Κρόνου παῖ καὶ Ῥέας.

23. νέμων. Habitandi significatio optime refertur ad ἕδος Ὀλύμπου, non recte ad reliqua objecta: neque enim ἀέθλων κορυφὰ pro ipso Jovi sacro loco Pisae dici potest. Sed retinenda est significatio possidendi: quae ita cum distribuendi significatione cohaeret, ut dicatur aliquis suam partem habere distributione facta. Ea significatio possidendi facile in primo objecto transit in significationem habitandi, in secundo ac tertio in dominationem et moderamen. Ol. X 15 νέμει Ἀτρέκεια πόλιν. Aesch. Eum. 919 πόλιν, τὰν Ζεὺς Ἄρης τε νέμει. Recte Karstenius confert Ol. V 39

Σωτὴρ ὑψινεφὲς Ζεῦ,
Κρόνιόν τε ναίων λόφον
Τιμῶν τ' Ἀλφεὸν
Εὐρὺ ῥέοντα Ἰδαῖ-
όν τε σεμνὸν ἄντρον.

28. σφίσιν. Habetur dativus pro genitivo: σφίσιν γένει pro αὐτῶν γένει. Isque dativi usus ipse saepe ejusmodi est, ut aut parum aut nihil a genitivo differat. Tamen utrumque dativum hoc loco pendere existimo a verbo κόμισον: precatur, ut curet Jupiter atque conservet paternos agros Theroni, verum ad majores quoque ejus pertinere conservationis illius gaudium existimat.

29. λοιπῷ γένει. Theroni maxime et Xenocrati ejus

fratri, qui memoratur vs 89. Quodsi jam tum, quum Pindarus hoc carmen scriberet, eae turbae Theroni ab Hierone motae fuerunt, quas memoravi, et Thrasydaei crudelitas in apertum Himerensium odium erupit, fortasse tacite his precibus inclusit Poeta illorum malorum averruncationem. Xenocratis quidem filium Thrasybulum impense laudavit, Py. VI, Isth. II. Facta quidem ea sunt carmina prius. Quodsi fortasse ab ineunte aetate Thrasydaeus jam praesagia praebuit ejus malitiae, quae postea apparuit, fieri potest, ut Thrasybuli exemplo et laudatione Thrasydaeum movere et ad virtutem revocare voluerit.

29. *τῶν δὲ πεπραγμένων κ. τ. λ.* Refert haec Karstenius ad sequentia, ut posita sint ad praeparandam narrationem de prisca victoris gente. Neque id nego. Sed ad praecedentia quoque pertinere mihi videntur. Nam Theronis majores, multa perpessos, sedem et felicitatem invenisse dixit, ejusque jam felicitatis perpetuitatem a Jove precatus est: quibus precibus sententiam hanc subjungit, praesente felicitate, si eam Jupiter stabilem efficiat, priorum malorum oblivionem fieri significans. Tum magis universam et graviorem etiam sententiam profert, deleri mala sublimi fortuna: atque inde transit ad Cadmi filias, ex quarum gente ipsi Theronis majores essent progeniti. Has igitur interserens, duplici munere fungitur: altero, ut ipsam priscae Theronis gentis vetustatem illustret: altero, ut ejus vetustatis exemplis sententiam eam, quam proposuit, confirmet.

36. *παλίγκοτον.* Aesch. Agam. 571 *ἀλγεῖν τύχης παλιγκότου.* Ibid. 863 *κληδόνας παλιγκότους.*

37. *θεοῦ μοῖρα.* Postea, 65, *μοῖρα* simpliciter dicitur. Conf. de Pindari Sapientia, Caput I § 5. pag. 27.

38. ἀνεκάς. Dubitat Heynius, utrum tempus significetur, velut Ol. IX 9 ἕκαθεν, post longum intervallum, an locus, οὐρανόθεν. Verum non satis attendit ad discrimen adverbii ἑκὰς ab iis, quae in θεν desinunt, quorum propria significatio est motus de loco, quae si ad tempus transfertur, ἕκαθεν significat ex longo tempore: quam significationem recte tribuit ei vocabulo Ol. IX 9. Plutarchus in Theseo XXXIII τὸ γὰρ ἄνω τοὺς Ἀττικοὺς ἀνέκας ὀνομάζειν, καὶ ἀνέκαθεν τὸ ἄνωθεν. Ubi accentus quidem aliter ponitur ac nostro loco; et rursus Apollonius Alexandrinus scribendum quidem esse dicit ἀνεκάς, Atticos vero minus recte scribere ἄνεκας: de adverbiis, anecdota Graeca Imm. Bekkeri, T. II p. 570. Cf. Lobeck ad Phrynichum p. 270. Aeschylus Choe. 427 ἄνωθεν ἀνέκαθεν. Herodotus in tempore significando II 43 Ἀμφιτρύων καὶ Ἀλκμήνη, γεγονότες τὸ ἀνέκαθεν ἀπ' Αἰγύπτου. Verum certe aliud est ἀνεκὰς πέμπειν, aliud ἀνέκαθεν πέμπειν. Pollux quidem L. IX 107 scribit σφαῖραν πέμπειν. Et σφαῖραν ἄνω πέμπειν quid aliud significet nisi pilam in sublime mittere? Aesch. Pers. 645 in evocando Dario: πέμπετε δ' ἄνω. Soph. Phil. 1162 ὅσα πέμπει βιόδωρος αἶα. Noster, Ol. VII 23 Rhodum ex mari ἐς αἰθέρα πεμφθεῖσαν. Hoc igitur Pindari loco ἀνεκὰς πέμπειν videtur mihi significationem habere in altum evehendi, efferendi: copiose additur adjectivum ὑψηλόν: sursum evehere felicitatem eamque altam efficere. Jam versu 34 dixerat Poeta, oblivionem malorum fieri meliore fortuna: nunc vero, ipsa mala prorsus deleri, felicitate in altum evecta. Recte scholiasta vetus: ὅταν ἡ τοῦ θεοῦ μοῖρα τὸν ὄλβον ἄνω αὐξήσῃ.

39. εὐθρόνοις. Epitheton regiae dignitatis. Scholiasta

vetus id refert ad felicitatem eam, quae post secuta est: minus recte. De quatuor Cadmi filiabus, quarum nunc duas porro Poeta memorat, fabulae antiquae satis notae sunt.

41. *πένθος κ. τ. λ.* Per sententiae universae formam haec efferuntur, referenda tamen ad Cadmi filias.

45. *βρόμῳ κεραυνοῦ.* Accurate dictum: neque enim fulmine icta fuit, sed apparente Jove cum fulmine mortua.

48. *Παλλάς.* Recte scholiastae memorant, praecipuum cultum Thebis fuisse Palladis Oncae. In precibus chori apud Aeschylum Sept. c. Th. prima appellatur, 130: *ῥυσίπολις γενοῦ Παλλάς*: 170 *σύ τε μάκαιρ' ἄνασσ' Ὄγκα*: cf 487 et 501.

49. *Ζεὺς πατήρ.* Significari potest Pater Palladis: verum significari credo supremi dei dignitatem. Similiter Ol. VII 159.

50. *παῖς.* Non aetas significatur, sed filius Semeles.

53. *ἄφθιτον.* Cf. Ol. I 101.

55. *ἀμφί.* Cf. Ol. I 157.

55. *Ἤτοι βροτῶν κ. τ. λ.* Praeclare, ut multa hujus carminis, haec praesertim Karstenius explicat: ostendens significationem verbi *κέκριται*, quae est, exploratum, cognitum, apertum est: *Πεῖρας* autem non de tempore dici hoc loco, sed de modo. Porro in *ὅποτε* non repetenda esse superiora, quasi non cognitum esset, quando diem cum felicitate peracturi simus: verum in *ὅποτε* causam significari superiorum. Sententia haec est. Certe non apertum est, qualis terminus mortis hominum futurus sit, utrum ille felicitatem an infelicitatem habiturus sit, quandoquidem ne unum quidem diem tranquillum cum infracta felicitate peracturi

simus. Hesychius habet κεκριμένη, σαφής, εὔδηλος. Theognis, 373

> οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν,
> οὐδ' ὁδὸς, ἥν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι.

Etiam apud Latinos participium exploratus eandem significationem habet quam adjectivum certus. Ὅποτε significatione causali, ut etiam quando apud Latinos, ponitur ab eodem 727

> τίς δή καὶ βροτὸς ἄλλος ὁρῶν πρὸς τοῦτον, ἔπειτα
> ἅζοιτ' ἀθανάτους, καὶ τίνα θυμὸν ἔχοι,
> ὅπποτ' ἀνὴρ ἄδικος καὶ ἀτάσθαλος —
> ὑβρίζει, πλούτῳ κεκορημένος.

60. ἀτειρεῖ. Proprie de ferro et similibus dicitur, quae frangi nequeant, velut apud Homerum, Od. XIII 368 ἀτειρέα χαλκόν. Exquisite hoc loco ponitur. Est enim Pindaro Herodotus paulo tristior fere in rerum humanarum fragilitate deploranda: attamen longe Pindarus separat a Diis sortem humanam; illorum est ahenei coeli sedes stabilis: nos ignoramus, quo nos unius diei sors ductura sit: Nem. VI initio.

65. οὕτω — χρόνῳ. Pronomine τῶνδε significatur gens Cadmi: existimat Karstenius, hoc pronomen quasi cum praesente demonstratione positum esse, propterea quod carmen coram Therone, ex illa gente oriundo, cantatum sit: id quod mihi non videtur probabile. — Interpungi solebat post πότμον, non post ὄλβῳ: quod mutavi. Quodsi prior interpunctio retinetur, praepositio σὺν haud sane significare potest, una cum felicitate malum adduci alio tempore, idque παλιντράπελον, versum in contrarium. Tum igitur significari debebit ea praepositione, esse eandem Μοῖραν, quae laeta dedit et dat tristia. Et tamen

locus eam interpunctionem, quam posui, requirere videtur, et illa altera explicatio durior esse. Adjectivum παλιντράπελος forma, non significatione diversum esse credo ab adjectivo παλίντροπος. Velut in Sophoclis fragm. 14 edit. Dind.

ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς εὐτυχοῦς τὸ πρὶν
πλάστιγγ' ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον.

Ubi πλάστιγγ' emendatum est, quum antea legeretur μάστιγ'. Quod quidem exquirere nunc non attinet.

70. ἐξ οὗ περ. Non ad praecedentia haec refert Karstenius, verum in protasi posita esse existimat, apodosin vero institui versu 73: cui explicationi probat non obstare conjunctionem δὲ post ἰδοῖσα positam. Tamen cum superioribus haec cohaerere credo, et tempus significari, ex quo πῆμα παλιντράπελον adductum sit: subjunxit Pindarus universam de rerum inconstantia sententiam laudationi felicitatis ejus, quae Cadmi filiarum fuerat: tum illam inconstantiam etiam in Cadmidis apparuisse dixit diserte ἄλλῳ χρόνῳ: jam his praepositis mali insecuti commemoratio apte instituitur significatione temporis.

70. μόριμος. Cui in fatis erat hoc facere. Exquisita quadam tristitia ipse Oedipus μόριμος appellatur, quum id adjectivum ceteroquin poni soleat de rebus, quae in fatis sint.

73. ὀξεῖ'. Aut cum Ἐριννὺς connjunctum est, epitheti instar, quomodo ὀξὺς Ἄρης apud Homerum, Il. VII 330. Aut cum ἔπεφνε, ut significetur mutuae caedis Eteoclis et Polynicis tristis acerbitas. Aut cum ἰδοῖσα. Et ipsa quidem ὀξύτης in visu saepissime significatur, velut a Platone, Phaedr. 250 d, ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ

τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων. Quae quidem interpretatio mihi vera videtur. Erinnys, adspecta acutis oculis caede Laji, Oedipi filiis interitum intulit. Sic brevissima narratione haec cum versu 70 cohaerent, et malorum copulata series significatur. Karstenius eodem modo explicat, sed ὀξεῖα adverbialiter positum putat, ut Hesiod. Scut. Herc. 348 ὀξεῖα χρέμισαν. Quod nec absurdum est, nec tamen necessarium. Sit licet adjectivum, tamen id acumen quod significatur, ad ἰδεῖν referri potest.

74. οἱ. Cf. Ol. I 106.

75. γένος ἀρήϊον. Quamquam Harmonia, uxor Cadmi, filia Martis fuit, tamen non ea propago, sed bellica proles significatur.

78 νέοις ἐν ἀέθλοις. Significantur ludicra juvenum certamina, separata a bellis vs 79. Quo quidem versu ad bellum Epigonorum respicitur.

80. Ἀδραστιδᾶν. Polynices ex Argia, Adrasti filia, peperit Thersandrum. Est Ἀδραστιδᾶν patronymici masculini Ἀδραστίδης. Nimis argute nonnulli haerent in disputando, significari aut certe significandum fuisse genus maternum. Patronymico masculino significatur tota gens. Fuit Thersander proles ejus gentis, et eidem genti praesidium. Id enim est θάλος ἀρωγὸν δόμοις. Plurale δόμοι significatione singulari est etiam Nem. III 76. Ἀγαμεμνόνιον θάλος, Eurip. Iphig. Taur. 171.

83. ἔχοντι ῥίζαν πρέπει τὸν. Quantum e scholio Urat. A apparere videtur, Didymus ἔχοντι scriptum putavit pro ἔχουσι, et post ῥίζαν sententiam novam instituit: Aristarchus vero ἔχοντι cum τὸν Αἰνησιδάμου copulat per casus metallagen. Et hic quidem recte. Similis struc-

turae mutatio est Ol. I 16 σοφῶν μητίεσσι — ἱκομένους. Audacius etiam Aeschylus, Choë. 410

πέπαλται δ' αὖτέ μοι φίλον κέαρ
τόνδε κλύουσαν οἶκτον.

89. ὁμόκλαρον. Argutior est in scholiis hujus vocabuli et κοινῶν χαρίτων explicatio, quam nonnulli posteriores interpretes secuti sunt, Xenocratis certamina ejus pariter et Theronis communibus sumtibus parata fuisse. Melius Karstenius vel ejusdem sortis, nempe victoriae, participem, vel ejusdem patrimonii consortem, i. e fratrem germanum, significari existimat. Ex exemplis non potest multum profici, quum semel, quantum scio, praeter hunc locum, vocabulum ipsum legatur Nem. IX 12, ubi Apollo et Artemis appellantur ὁμόκλαροι. Scholiastarum explicationi ipsa hujus loci verba repugnant, quum, expresso etiam pronomine αὐτὸς versu 87, ipsius et fratris victoriae tanta, quanta fieri potest, perspicuitate inter se distinguantur: nec carmine Pythio VI nec Isthmio II, quibus carminibus Xenocratis victoriae celebrantur, quidquam legitur, quod ejusmodi explicationi sit congruum: neque in scholiis eorum carminum, ut suo loco videbimus. Si sortis ea communio significatur, quae in utriusque constiterit victoria, est quidem quaedam cum hoc loco similitudo in usu verbi κληρόω, Ol. VIII 19, ubi in memorandis duorum fratrum victoriis Poeta scribit:

ὔμμε δ' ἐκλάρωσεν πότμος
Ζηνὶ γενεθλίῳ.

Hoc tamen loco, pariter ut Nem. IX 12, non aliud significari credo nisi fratrum germanorum cognationem. Et κοιναὶ χάριτες dicuntur, quae pariter amborum laudibus decoribusque faverunt.

93. *τυχεῖν*, propositum prospere consequi, velut Nem. VII 16.

εἰ δὲ τύχῃ τις ἔρδων.

'Αγωνία i. q. *ἀγὼν*, ut Nem. VII 15 et saepius. *Παραλύειν* semovendi et liberandi significatione est saepe obvium, velut Thucyd. II 65 *τῆς ὀργῆς παραλύειν*, Herod. VII 38 *τῆς στρατηΐης*. Hom. Od. V 397 *κακότητος ἔλυσαν*. *Δύσφρων* in rebus tristibus dicitur, velut Soph. Oed. Col. 202

ὤμοι δύσφρονος ἄτας.

Et Eurip. Androm. 1043 *δύσφρονες λῦπαι*. Ipsi autem huic Pindari loco maxime convenit Hesiod. Theog. 528

καὶ παρελύσατο δυσφροσυνάων.

96. Exsurgit Poeta a cogitatione Theronis ad cogitationem exempli. Exponit splendorem divitiarum, illustri laudum ludicrarum decore conspicuum: ut jam nihil praeclarius homini esse possit. Neque in tanta praestantia celebranda subsistitur, verum cogitando proceditur ad vitam futuram et aeterna bonorum praemia.

'Αρεταῖς. De quavis virtute et laude dici potest: velut Ol. I 21. Hoc tamen loco laudes victoriarum ludicrarum significantur. Similiter Ol. IV 17, IX 27.

98. *τῶν τε καὶ τῶν*. Significari Karstenius existimat res bonas et adversas: in scholiis tum eadem explicatio est, tum referuntur ad ea, quae e divitiis, et ad ea, quae e virtutibus proveniant. Verum non res ita dividi existimo, ut diversae vel contrariae inter se significentur. Py. V 74 *ὄλβος τὰ καὶ τὰ νέμων* aperte de compluribus rebus felicibus dicitur. Nem. I 43 *τῶν τε καὶ τῶν χρήσιες*, de multis bonis artibus. Aristot. Rhet. L. III C. XVII *τὰ καὶ τὰ ποιεῖ*, de rebus dicitur, quae

inter se cognatae esse et ad eandem dicendi materiem pertinere videantur. Diversa Pindarus alio modo significavit Nem. VII 81 ὁ μὲν τὰ, τὰ δ' ἄλλοι, alius aliud. Apud Theognidem vero, 390, τολμᾷν τά τε καὶ τὰ φέρειν, diserte distinguuntur bona et mala, quae quidem versu praecedente expressa sunt et eo referuntur. Verum in ipsis non necessario distinctionem inesse ostendi, et hoc quidem Pindari loco multa bona significantur. Καιρὸν φέρει non dicitur h. l. de ferendo sive bene subeundo tempore, verum de afferenda sive praebenda opportunitate et copia. Similiter Nem. VII 84 Μοῖρα καιρὸν ὄλβου δίδωσι.

99. βαθεῖαν ὑπέχων κ. τ. λ. Cyrene appellatur παρθένος ἀγροτέρα, Py. IX 10 virgo venatrix, et Ἄρτεμις ἀγροτέρα apud Homerum, Il. XXI 471, si is versus retinendus est: et in venationis vocabulis apud Pollucem L. V C. I 13 Ἄρτεμις ἀγροτέρα. In scholiis veteribus hoc Pindari loco venandi significatio ita retinetur, ut rerum laudabilium vel utilium studium et venatio dici putetur. Nem. III 80, λεόντεσσιν ἀγροτέροις, feritatis et ferociae significatio est. Quapropter h. l. fortitudinem et acre studium, non ira bellicosa, sed fortis animi impetu et praeclaras res perficiendi ardore conspicuum significari existimo. Ὑπέχειν est praebere. Hesychius: ὕπεχε, πάρεχε. ὑπέχει, δίδωσιν. ὑφέξω, δώσω.

102. εἰ δέ μιν ἔχων τις. Recte Karstenius affert Hom. Il. XXIV 41

λέων δ' ὥς, ἄγρια οἶδεν,
ὅστ' ἐπεὶ ἂρ μεγάλῃ τε βίῃ καὶ ἀγήνορι θυμῷ
εἴξας, εἶσ' ἐπὶ μῆλα βροτῶν.

Magis etiam constructio convenit apud Aeschylum, Choe. 603

ἴστω δ' ὅστις οὐχ ὑποπτέροις
φροντίσιν δαείς.

Et apud Sophoclem, Antig. 209

ἀλλ' ὅστις εὔνους τῇδε τῇ πόλει, θανὼν
καὶ ζῶν ὁμοίως ἐξ ἐμοῦ τιμήσεται.

Nam parum sane et saepe nihil fere differunt inter se ὅστις et εἴ τις.

104. Loci sententia fere ejusmodi esse existimatur, ut, qui divitiis et gloria reliquos superet, facile ad superbiam et contumaciam perducatur: debere autem eum retineri cogitatione judicii, quod in inferis futurum sit. Non est ita. Poenarum quidem, quae malos manent, prior commemoratio est, verum et brevis, et quasi necessario postulata, quum vitae post mortem futurae narratio instituatur. Copiosior multo et magis illustris praemiorum, quae bonis justisque sunt proposita, laudatio est. Summam, quae mortali contingere possit, felicitatem praedicavit, in divitiis et praestantissima gloria positam: ab eo vitae cursu evectus Poeta ampliorem aeternae vitae cursum ponit ob oculos, majoraque praemia, quam ea, quae victori Olympiae tribuantur. Ita ei, cui in hac vita lucidum sidus et splendor sincerus contigit, proponitur solis noctu et interdiu lucentis fulgor: et post flores et coronas quadrigis Olympiae datas, postea, via ad Croni turrim peracta, sertis et floribus aureis in beatorum insulis justus ornabitur, non in Hellanodicae quamvis aequo judicio, sed in recto judicio Rhadamanthi assidentis ipsi supremo Crono. Quodsi divitiae ornatae laudibus acre et profundum praeclarorum facinorum studium injiciunt, ut vs 99 expressum est, haec certe, quae deinceps memoratur, futurae post

mortem laudis et felicitatis cogitatio summum ipsa decus decebit.

105. ἐνθάδ' conjungitur cum θανόντων, αὐτίκ' cum ἔτισαν.

ἀπάλαμνοι. Debilitatis et inertiae significationem habet ejusmodi, quae cum miseria conjuncta sit: si quidem consilii et defensionis inopia miseranda est. Mortui Tantali vita dicitur ἀπάλαμος βίος, Ol. I 95. Quodammodo convenit Homericum νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα.

106. τὰ δ' ἐν. Eadem sententia continuatur. Τὰ ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ ἀλιτρά sunt scelera per vitam in hac terra commissa. Conf. Plato de Rep. L. I 330 D οἱ λεγόμενοι μῦθοι περὶ τῶν ἐν Ἅιδου, ὡς τὸν ἐνθάδε ἀδικήσαντα δεῖ ἐκεῖ διδόναι δίκην.

108. τις. Humane et humana modestia a loquacitate de tantis rebus et ultra vitae terminum positis ita retinetur, ut quasi ignorans ipsum judicis nomen sileat. Conf. 117 et 149.

ἐχθρᾷ ἀνάγκᾳ.. Aut ad judicem haec pertinent, ut malit absolvere, si possit, sed quasi cogatur ad damnandum: aut ad reos, quibus sententia judicis odiosam poenae necessitatem imponat. Posterius verum esse credo. Cf. vs. 122.

111. ἀπονέστερον. Cf. quae annotavimus ad Ol. I 99. Explicationem autem id adjectivum habet ex comparatione laborum, quibus mortales agro colendo et navigando victui ,vix sufficienti prospicere coguntur. Cum dictione cf. Herod. II. 14.

118. τιμίοις θεῶν. Karstenius intelligit eos, qui Diis honorati sint, i. e. beatos. Acute genitivum defendit loco Homeri πότνια θηρῶν, Il. XXI 470. Boeckhius

eos significari existimat, qui quum nondum in beatorum insulas pervenissent, tamen jam propter vitam juste peractam apud inferos Diis dilecti sint. Verum genitivum partitive positum esse existimo, et significari Deos Inferos: nomina autem sileri propter eandem causam, qua vs 108 nomen judicis silentio praetermissum est.

122. ὀκχέοντι πόνον. Cf Hom. Od. VII 211 ὀχέοντας ὀϊζύν, et XI 617 κακὸν μόρον, ὅνπερ ἐγὼν ὀχέεσκον.

123. ἐς τρὶς. Comparanda magnopere cum hoc loco Platonis sententia est, in Phaedro 249. Nam ibi reliquis decem vitarum spatia ita peragenda sunt, ut post primam vitam judicium fiat, et vel in inferis vel in aliquo coeli loco reliquum tempus transigant, at millesimo quoque anno novae vitae fiat initium: philosophi vero postquam tres periodos millenorum annorum compleverunt, alis receptis ad Deos abeunt. Annorum numeros hoc loco Pindarus non determinat: verum hoc maxime memorabile est, id justis a Pindaro tribui, quod a Platone tribuitur philosophis. Nec sane justitia secundum Pindarum et philosophia secundum Platonem inter se contrariae sunt. Conferatur Fragm. Thren. IV, quo vitae post nonum annum renovatio memoratur.

126. ἔτειλαν. Recte scholiasta vetus interpretatur ἐτελείωσαν, ἤνυσαν.

Διὸς ὁδὸν παρα Κρόνου τύρσιν. Manifestum est, ejus inimicitiae, quae Jovi adversus Cronum fuisse dicebatur, maxime alienam ab hoc loco esse memoriam. Via Jovis apud Homerum est ad Aethiopas, ut ibi fruatur epulis: Il. I 423. Apud Platonem contra, in Phaedro p. 247, ad loca supra coelum posita, ut ibi ipsam justitiam,

ipsam temperantiam, ipsam scientiam intueatur; ejusque viae dux Diis est, iisque animis, quae vel optime Deos sequantur. Euripides, Hesperidum insulae laudans insignem felicitatem, ibi quoque Jovis aedes esse dicit: Hippol. 749. Quae autem de antro Croni mentio est apud Plutarchum, De Vultu Lunae C. 26, et De defectu oraculorum C. 18, tribuenda est aetati posteriori. Nam ille locus esse dicitur quinque vel potius decem dierum spatio ultra Brittanniam: quae distantia non cadit in aetatem Pindari. Omnino postquam summa aetatis aureae felicitas abiit, quum tamen summae felicitatis et cujusdam cum Diis conjunctionis cogitatione carere non possent, in iis certe locis eam praestantiam Poetae esse dixerunt, quae essent a cognita mortalibus turba et colluvione maxime remotae. Hinc Aethiopum, qui erant hominum ultimi, eximia apud Homerum memoria est: ad illos Jupiter et reliqui Dii venire solent et apud eos commorari: Il. I 423, XXIII 206, Od. I 22. Hinc Pindarus laudat Hyperboreos, ministros Apollinis, sacram et laborum pugnarumque gentem expertem: ad quos nec navibus nec pedibus via inveniatur: Ol. III 28, Py. X 47. Hinc, quasi proverbio, Hyperborea felicitas ut summa laudatur apud Aeschylum, Choe. 373. Hinc Hesperidum litoris eximia felicitas ibi ponitur, quo maris Dominus jam nautis viam negat: Eurip. Hippol. 744. Herodotus ipse in extremis orbis partibus praestantissimas res esse existimat, L. III 106. Et certe quum Occidentem versus extra itinerum terminos insulas beatorum Poetae reponerent, non mirandum est, quum jam extra columnas Herculis plura essent postea cognita, mare Cronium ultra Brittanniam fuisse positum: atque

eodem fortasse, quamquam in alia regione, nomen pertinet ejus montis in occidentali Africae ora, qui hodie Sagres appellatur, quum antiquitus Θεῶν ὄχημα diceretur: Hannonis Peripl. C. 8: Cf J. H. Kroon in annotatione ad eum locum. Atque in transitu commemoro, Θεῶν ὀχήματα appellari in eo itinere, quo Jovem dii sequuntur praestantissima contemplaturi, apud Platonem in Phaedro, 247, b. At vero nobis jam terrarum orbis ita pervestigatus est et cognitus, ut felicitati aureae in eo nullus locus esse videatur: quam quum, terris exclusam, tamen cuidam loco adstrictam cogitare cupiamus, jam non oceani insulas, sed astra coeli respicimus.

129. νᾶσος. Exempla attulimus in notis criticis: conferatur etiam Hesiodus, Sc. H. 320 τοὶ δ' ὠκύποδας λαγὸς ᾕρευν.

134. ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει. Non flores marini significari videntur, verum in ipsis ripis florentes.

136. στεφάνοις. Fere illi, qui hanc scripturam tuentur, ad vocabulum στεφάνοις intelligendum putant τὰς κεφαλάς. Nec valde pugno. Et tamen credo, verbo ἀναπλέκειν hoc loco non significari ipsam ornandi, sed redimiendi operam. Fortasse, si στεφανοῦνται significaretur, ut vult scholiasta vetus, scriptum foret ἀναπλέκονται. Videtur igitur decerpendi flores et connectendi gaudium significari.

138. Non ea loca cernimus nomen tantummodo Croni habuisse, nec Cronum ibi dormivisse, ut apud Plutarchum traditur in ea mentione, quam ad vs 126 commemoravi: sed ipse Cronus praeest beatorum felicitati. Nec praetereundum est, quomodo apud Platonem in itinere coelesti ipsa justitiae et veritatis laudatur con-

templatio, ita hic apud Pindarum aliquid esse simile, quum justas Radamanthi sententias celebret. Nec sane ab eorum gaudiis, qui per tria vitarum spatia ab omni injustitia abstinuissent, justitiae fructus abesse debuit, neque illius judicis praesidium, qui talis fuisse tradebatur, ut et mortalibus inclytam perpetuamque justitiae memoriam relinqueret, et ipsum postea Cronum adjuvaret in beatorum beatitate tuenda.

142. Πηλεύς τε καὶ Κάδμος. Fortasse hi duo idcirco praecipue memorantur, quod alter fuerit patriae Pindari conditor, alterius vero memoria maxime conjuncta fuerit cum Aegina, quam Pindarus dilexit eximie. Certe in carmine Pythio III Cadmus et Peleus supremam dicuntur habuisse mortalium felicitatem, ipsique Dii ad eorum venisse convivia. 156.

143. Ἀχιλλέα. Sunt qui ideo putent Thetidis preces commemorari, quod sine iis Jupiter Achillem insulis beatorum exclusisset, propter Hectorem interfectum et crudelius tractatum: possis addere, non modo Hectorem fuisse carum Jovi, verum praeterea Cycnum fuisse filium Neptuni, et Memnonem Aethiopem fuisse filium Aurorae: ergo Achillem in ea loca esse receptum, quamquam propter caedes illas et Jovi, et Neptuno, et Aurorae, id est tribus Diis, displicuisset. Longe contra esse existimo. Hectore quidem mortuo vexando ipsis Diis illum displicuisse Homerus prodidit: et tamen illam crudelitatem non crudelitatem potius appellandam Dii putant, sed luctui quasi immoderato propter amicum suscepto tribuendam: Il. XXIV 33. Atque ipsius ejus vexationis apud Pindarum mentio nulla est. Hectoris et Cycni et Memnonis caedes in laudibus Achillis ponuntur a Pin-

daro. Nunquam non honorificentissime Pindarus de illo existimat: gloriam ejus et praeclara facinora bellica canit carmine Nemeaeo tertio: et Isthmio octavo vs 124: „hunc, inquit, ne mortuum quidem carmina deseruerunt, verum ad rogum ejus tumulumque Heliconiae stetere virgines, celebremque fletum carminum infuderunt: quippe hoc placuit Immortalibus, probum virum etiam post interitum dare Dearum cantibus." Atque hae tantae laudes in eo carmine quasi fundantur stragis ejus praeconio, qua Telephum et Memnonem et Hectorem et multos fortissimos dejecit in inferos. Tantum abest, ut ulla bellicis facinoribus Achillis subesse possit non praestantissima memoria. Quodsi forte quis ad sententiam Pindari declarandam parum valere putet ipsius testimonia Pindari: tamen, quomodo cum Pindaro tota antiquitas in laudando Achille consenserit, testes etiam affero gravissimos philosophos, Platonem et Aristotelem: quorum ille eum a Diis honoratum et in insulas beatorum missum esse dicit, quia sciens maluit ipse caede Hectoris perficienda et amico ulciscendo mortem invenire quam negligens ea ad senectutem pervenire: Symp. 179 E: alter vero quasi hunc ipsum Pindari locum expressisse videtur, Hectoris et Cycni caedem propriae illius gloriae vindicans: Rhetor. II 22. Verum idcirco Thetidis preces commemorantur, quia eam insigniter Jupiter amavit: ab eadem Homerus Jovis animum flecti prodidit ut adsit forti ejus filio, Il. I 500, XIII 350: atque ipso eo loco, quo iratus Jupiter Achilli est, propterea quod Hectorem non redderet, se in Hectoris corpore servando consulturum esse Achillis honori significat, memorem amoris Thetidis, Il. XXIV 111. At

Jovis erga Thetidem amorem impensius Pindarus laudavit: ipsos Deos ejus nuptias concelebrasse, Py. III 165, Nem. IV 107: et vero in Isthmio VIII, ex quo clarissima de Achille praeconia modo memoravi, Jovem narrat cum Neptuno de Thetidis nuptiis contendisse, verum illam contentionem missam fuisse, audito fato Themidis, filium Thetidis fulmine vel tridente majora arma habiturum, nuptae Jovi vel ejus fratribus: 60. Sic ergo existimo, dilectae preces Thetidis simul cum fortitudine laudibusque filii effecisse, ut Jovis voluntate talem illum virum in illa sede ipsa mater reponeret. Neque enim verbum ἔνεικε frustra est, sed eximie materna significatur caritas, quum non locum in beatis filio Thetis petiverit, verum ipsa eum illuc Jovis voluntate portaverit. Omnino tantum prolis honorem, quantum potuerunt, Thetidi dare Dii voluerunt et quasi compensare ejus mortalitatem. Non dissimili modo, sed paulo stupidius Homerus, pace summi poetae dixerim, Menelao illum honorem promitti narrat, simplici causa addita, quod Jovis gener esset: Od. IV 569: nec nimis abhorret ab eo Euripides, Hel. 1676. Ceterum, quae fama memoratur a Pindaro Nem. IV 79, Achillem habuisse insulam claram in Ponto Euxino: ea non significat, ibi post mortem illum habitasse, verum eam illi fuisse consecratam.

149. πολλά κ. τ. λ. Cohaerent haec cum versu 103: ubi Poeta a vitae summa felicitate et gloria transiit ad futura post mortem gaudia celebranda. Postquam paucis verbis poenas maleficorum memoravit, jam copiosius in beatorum sorte praedicanda versatus est: fortasse, quum Cadmum, Pelea, Achillem laudaret, praesagiit quasi

futuros Theroni post mortem honores heroicos. Verum in narrandis iis rebus modum adhibendum esse intelligit. Tali modo postea Plato: τὸν ὑπερουράνιον τόπον οὔτε τις ὕμνησέ πω τῶν τῇδε ποιητὴς οὔτε ποθ' ὑμνήσει κατ' ἀξίαν: „loca supra coelum posita nec cecinit unquam quisquam poeta mortalis nec canet ita ut decet:" Phaedr. 247 C. Et philosophis ea praemia, ut jam antea dixi, Plato proponit, quae Pindarus justis: Plato autem in Phaedone philosophos pulcherrimas domos habitaturos esse dicit: quae tamen quales futurae sint, non facile dictu sit: et omnino ea, quae de rebus post mortem futuris proposuit, non singula affirmanda esse contendit quadam, quae hominem non deceat, certa fiducia: et tamen constare, animum esse immortalem, et spem certaminis praeclari magnam ei esse propositam: 114. Similiter Pindarus habet, quae affirmet: verum longius in iis rebus procedere, et in ea canendi materie, qua nulla vel gravior esse possit, vel dignior homine et tamen homini difficilior, non servare modum: id quidem a poesis suae praestantia alienum existimat: et magnam sapientiae partem in temperantia constare. Sentit, esse eas res non tum, quum ab aliis eas acceperis, percipi, sed pectore comprehendi et intelligi: se jam tanta aperuisse et commonstrasse dicendo, ut periti intelligant, copiose plura et celeri impetu posse promi atque ostendi: quae tamen vulgus indoctum haud assequatur: sed non esse aeternitatem vitae et immortalitatis praemia in iis rebus ponenda, quarum singulas partes enarrari quasi a magistro oporteat, qui ipse eam eruditionem aliis debeat, nec quidquam eorum, quae se nosse putet, praetermittendum in docendo existimet. Sentit,

se divino spiritu inflari et comparans se ipsum cum Jovis aquila, non decere se quasi corvorum garrulitatem.

156. *μαθόντες*. Saepius naturae et ingenii praestantiam supra adscitam doctrinam Pindarus celebrat: velut Nem. III 69. Cf. quae scripsimus in Dissertatione de Pindari Sapientia, C. III § 1 pag. 74.

158. *γαρύετον*. Dualem numerum positum esse credit scholiasta vetus, ut indicentur Bacchylides et Simonides, quasi Pindari obtrectatores. Quodsi autem in Theronis et Hieronis gratia reconcilianda opera fuit Simonidis, ut a scholiasta commemorari monuimus pag. 292: minime sane credibile est, Pindarum, et Hieronis et Theronis laudatorem, in hoc carmine ostendere voluisse, quam vehementer Simonidem contemneret. Verum neque illos neque omnino certos quosdam aemulos aut obtrectatores significare voluit. Non suam quidem ingenii sui conscientiam occulit: verum proponit sententiam, quae non ad hunc vel illum contemnendum et quasi digito monstrandum, sed longe potius ad verae sapientiae laudem et praestantis ingenii vim declarandam pertineat, quam assequi non possit insipiens et immodica garrulitas. Dualis numerus pro plurali est. Gregorius Corinthius de dial. Dor. § 30, hunc ipsum locum proferens: *τὰ πληθυντικὰ πολλάκις ὁμοφώνως τοῖς δυϊκοῖς προφέρουσιν*. Ceterum mirabile est, in ipso corvorum et graculorum clamore significando etiam dualem poni apud Aratum 968

κόρακες —

ἤ ποτε καὶ κρώξαντε βαρείῃ δισσάκι φωνῇ·

et 1023

καὶ ὀψὲ βοῶντε κολοιοί.

159. *πρός*. Nulla in verbo *γαρύειν* obstrependi nec

conviciandi significatio est, sed tantum canendi vel loquendi, velut Ol. I 5. Neque praepositio πρός hoc loco videtur mihi inimicitiae habere significationem, sed comparationis: similiter Herod. III 34 κοῖός τις ἀνὴρ πρὸς τὸν πατέρα Κῦρον: qualis vir, si comparetur cum patre Cyro: Soph. Ant. 1170

τἄλλ' ἐγὼ καπνοῦ σκιᾶς
οὐκ ἂν πριαίμην ἀνδρὶ πρὸς τὴν ἡδονήν.

Aristoles, Phys. L. I C. 1 πέπονθε δὲ ταὐτὸ τοῦτο τὰ ὀνόματα πρὸς τὸν λόγον.

160. Jam postquam vs 102 ab eximia laude et felicitate Theronis initia cepit Poeta praedicandi futura post mortem virtutis praemia, seque cohibuit ab importuna in rebus tantis celebrandis loquacitate, redit ad propositum laudandi Theronis. Et partim in eadem dicendi figura manet, quam attigit vs 150, quum sagittas et pharetram commemoraret: partim redit ad figuram interrogationis, qua usus est in initio carminis.

166. αὐδάσομαι Pariter haec media forma atque activa ponitur. Velut Py. IV 412 αὐδάσαντος: Aesch. Eum. 380 ἀχλὺν αὐδᾶται φάτις.

Ἐνόρκιον. Cf. Ol. VI 34.

168. ἑκατόν. Scholiasta vetus Olympiade L Agrigentum conditum esse dicit, Theronem vicisse Ol. LXXVI vel LXXVII: ergo centum quatuor annos interfuisse a primordiis ejus urbis ad tempus praesens, sed Pindarum posuisse numerum rotundum centenarium. Quodsi autem victoria Theronis fuit Ol. LXXVII: numerus annorum invenitur centum et octo. Attigi hanc computationem in introitu enarrationis hujus carminis, pag. 289. Verum ad ipsam hujus loci intelligentiam haec parum

pertinent: neque enim ipsam urbem Agrigentinam Poeta significat per tantum annorum spatium nullum virum Therone liberaliorem protulisse: verum nullam urbem per centum annos quemquam virum protulisse, qui Theronem liberalitate superaret. Τινα non cum ἄνδρα sed cum πόλιν conjungendum est: nec genitivus ἑκατὸν ἐτέων cum πόλιν conjungendus. est, sed sinificat, intra illud tempus: quae significatio genitivi in tempore praeterito significando etiam est apud Platonem, Phaedon. 57 A οὔτε τις ξένος ἀφῖκται χρόνου συχνοῦ ἐκεῖθεν. Et Symp. 172 C πολλῶν ἐτῶν Ἀγάθων ἐνθάδε οὐκ ἐπιδεδήμηκεν. Xenophon, Anab. L. I C. IX 25 πολλοῦ χρόνου.

170. φίλοις. Karstenius hoc adjectivum cum πραπίσιν conjungendum censet, comparans Homericum φίλον ἦτορ et similia: verum ita eum humano quodam errore scripsisse existimo: neque enim, quantum scio, πραπίς alio nisi feminino genere ponitur. Ceterum liberalitatem Theronis jam vs 11 Poeta attigit. Pulchre hoc loco conjunguntur εὐεργέταν πραπίσιν et ἀφθονέστερον χέρα, ut et animi voluntas et actio beneficentiae significentur.

173. ἔβα. Cum accusativo ponitur invadendi significatione. Similiter apud Eurip. Hippol. 841 θανάσιμος τύχα σὰν ἔβα καρδίαν. Et 1371 μ' ὀδύνα βαίνει.

Κόρος. Fastidium, taedium, ortum ex satietate. Quod hic referendum est ad μάργους ἄνδρας, quos laudis Theronis taedebat. Ergo hoc loco fere idem est quod φθόνος.

174. δίκᾳ. Certe συνάντομαι etiam cum dativo saepe ponitur: verum hic sine casu est, quomodo vs 70 ἔκτεινε Λάϊον υἱὸς συναντόμενος. Similiter hic: αἶνον ἔβα κόρος συναντόμενος. Dativus δίκᾳ quasi pro adverbio δικαίως positus est.

175. ὑπ' ἀνδρῶν. Karstenius mallet scriptum esse ἀπ' ἀνδρῶν. Cujus rationis mihi non idonea causa esse videtur. Significatur invidia laudem invasisse, ejusque invidiae auctores fuisse significantur homines male sani. Ita verbum βαίνειν, si ea praepositio additur, quasi passivam significationem accipit. Similiter Homerus Il. VI 73

ἔνθα κεν αὖτε Τρῶες Ἀρηϊφίλων ὑπ' Ἀχαιῶν
Ἴλιον εἰσανέβησαν.

Potest autem hic totus locus ita explicari, monere voluisse Poetam, solere laudem esse obnoxiam invidiae: ergo Theronem quoque in vesanorum posse incurrere odia: et tamen ejus laudes audacter esse celebrandas, quum ejusdem benefacta numerum arenae superent. In tali sententia universa proponenda etiam aoristus ponitur, velut hujus ipsius verbi, vs 64. Et omnino totus locus colorem habet sententiae universae, quum etiam vs 177 dicatur invidia obtrectare laudibus bonorum, numero plurali. Neque hujusmodi recordatio fragilitatis ejus, quae felicitatem et gloriam labefactare possit, a Pindari more aliena est. Tamen, quamquam universa dicantur, et nominetur nemo, ad certam quandam invidiam, quae Theroni obstiterit, respici videtur: sive quorundam, qui eum Hieroni odiosum reddere voluerint: sive, quod veri similius existimo, Capyis et Hippocratis, qui summis ab eo beneficiis ornati fuissent. De quibus rebus, ita ut potui, in introitu explicui.

176. τὸ λαλαγῆσαι θέλων. Hanc constructionem Hermanno Graecam esse neganti Karstenius assentitur. Verumtamen ejusdem exempla sunt, Soph. Ant. 312

οὐκ ἐξ ἅπαντος δεῖ τὸ κερδαίνειν φιλεῖν.

Ibidem 664

ἢ τοὐπιτάσσειν τοῖς κρατοῦσιν ἐννοεῖ.

Et 1059 τἀδικεῖν φιλῶν. Maxime vero Oed. Col. 442

τὸ δρᾶν οὐκ ἠθέλησαν.

177. κρύφον. In scholio vetere dicitur Aristarchus hoc vocabulum interpretatus esse κρύψιν. Recte: et ibidem est interpetatio ἀφανισμόν.

178. ἐπεὶ. Haec conjunctio in protasi posita est, et copulat hanc sententiam cum ἐκεῖνος κ. τ. λ.

OLYMPIA III.

Tradunt scholiastae, Castorem et Pollucem, accepto ab Hercule certaminis Olympii moderamine, ipsos festum instituisse Θεοξένια dictum, quia tum Deos hospitio excipere viderentur: Theroni autem, illud festum celebranti, victoriam Olympiam nunciatam esse. Atque ex hac re totum hoc carmen ejusque causam et sentiam pendere volunt. Eodem pertinuit inscriptio, quae in libris scriptis est, εἰς Θεοξένια.

Boeckhius non omnino rejicienda haec arbitratur, verumtamen ita potius ad Dioscuros et Theoxenia hoc carmen pertinuisse, ut destinatum fuerit pompae festoque Agrigenti agendo in illis sacris ad celebrandam victoriam, et comissationi in templo Dioscurorum habendae, cui interfuerit Thero corona ornatus: fortasse illum ibi etiam coronam dedicasse. Et de pompa in templum illud deducenda aliquid nonnullos conjecisse monet scholiasta vetus ad vs 10.

Nobis harum rerum nihil ex carmine ipso apparuit: et scholiastarum testimonia parvi ducimus, propterea quod carent auctoritate, quum ipsi ab illis opinionibus dissentire dicant Aristarchum et Didymum: illum enim scripsisse, Dioscuros ideo a Poeta invocatos esse, quia his Hercules certaminis moderamen tradidisset: et fuisse Dioscuros Agrigenti in honore: consentire cum Aristarcho Didymum, et addidisse, quum Thero Argo duceret originem, ibique quum Dioscuri culti fuissent, servasse gentem Emmenidarum illum cultum. De illa gente Argis oriunda vide Ol. II. 82

Assentior Aristarcho et Didymo, fretus ipso carmine. Pertinet ad victoriam Olympiam celebrandam, neque alio pertinet. Sumsit ex ipsa Olympii certaminis antiquitate materiem Poeta, quomodo Ol. I de Pelope antiquissimo victore, Ol. X de ipsa Herculis institutione certaminis cecinit: sic hoc carmine olivae Olympiae originem ab Hercule datam exposuit, conjuncta laude Tyndaridarum, quos ille in coelum abiens sibi in certamine regendo succedere voluisset: quos et initio carminis invocat et victoriam Theroni dedisse affirmat, vs 70, quia a Theronis gente impense colerentur.

De comissatione suam Boeckhius sententiam repetit ex vocabulo *ἀγλαόκωμον* vs 10, et de coronae portatione e vs 23. Disputantur ea nimis argute. Quid enim simplicius ipsique rei et naturae magis conveniens, quam in Olympii certaminis victoria celebranda coronam olivae laudari? Et ille *τρόπος ἀγλαόκωμος* quid aliud significat nisi ipsum modum carminis, quod ad festam laetamque certaminis felici eventu peracti laudationem pertineret? Agite, et videte, quid ipse Pindarus in victoriis ornan-

dis se secutum esse ostenderit. Canit Ol. X 92 seqq., instituto ab Hercule festo quinquennali, primisque illis peractis certaminibus, totum lucum impletum fuisse laetitia et cantu ejusmodi, qui tali festo conveniret: haec, inquit, vetera initia nunc quoque sequemur et canemus laudem praeclarae victoriae cognominem. Ibique vix alio vocabulo modum carminis significat, τὸν ἐγκώμιον τρόπον appellans. An vero, quum, carmine Pythio VIII, vs 27, Xenarcis filium ab Apolline dicat receptum esse mente benevola

ἐστεφανωμένον
— ποίᾳ Παρνασίδι Δωριεῖ τε κώμῳ,

ille κῶμος vim suam et significationem aliunde desumit? An non laurus Parnasis festumque carmen Doricum ita inter se conjunguntur, ut utroque pariter caput victoris ornatum esse Poeta voluerit?

Sed nunc quidem ad praesens carmen redeamus. In quo quum vs 77 dicat Poeta, nunc quidem ad summa pervenisse Theronem, apparet, hanc primam ejus fuisse curulem victoriam Olympiam. Nec carmine Olympio secundo vs 87 quidquam de iterata victoria memoratur. Statuendum ergo est, utrumque carmen ad eandem victoriam pertinere. Atqui existimo, carmen tertium fuisse factum continuo post victoriam, secundum vero post tertium. Cujus sententiae causa mihi haec est, quod tertium et brevius est, et materiem habet ex ipsa sola Olympia antiquitate petitam, et simplicem victoriae Theronis laudationem: secundum vero majus est magisque elaboratum, in Theronis vero non Olympia tantum victoria sed reliquis etiam laudibus virtutibusque celebrandis versatur, in patria quoque ejus et gente et fratre

laudandis, et est decoris praeterea amplisque et gravissimis digressionibus conspicuum et copiosum. Ut post tertium carmen causa fuerit, cur Poeta secundum Theroni faceret, contraria causa non fuerit.

1. *Φιλοξείνοις.* Magna laus Tyndaridarum in mortalibus adjuvandis fuit. Nota est de servato ab illis Simonide narratio, nota de adjutis navigatoribus et pervulgata fama. Theocritus illos appellavit *θνατοῖσι βοηθόους*, Id. XXII. 23. Quae persequens Brouwerus ostendit diversam quandam Graecorum de ipsis Diis et de mortalibus divinitate donatis sententiam: illos enim et saeviendo et adjuvando potentiam ostendisse, hos unice auxiliando delectari: Hist. de la Civilisation Gr. T. V p. 436. Pindarus autem alibi Tyndaridis justos homines maxime curae esse dicit, Nem. X. 100: hoc vero loco cur eos potissimum ornet laude hospitalitatis, quae tamen cum universa illa adjuvandi laude coujunctissima est, causa esse videtur, quod ipse Thero, cultor illorum, hospitalitate maxime conspicuus fuit. Vide Ol. II 11: ubi ipsa illa virtus justitiae nomine celebratur. Et quomodo violatio hospitum ex vetere Graecorum sententia maximae immanitatis fuit, sic praecipua virtus et magna pars justitiae in illis tutandis ponebatur. Eximie Brouwerus, quum a Pindaro *Φιλόξεινοι*, a Theocrito *θνατοῖσι βοηθόοι* dicerentur, praestantissimum eos dicit titulum accepisse, qui in Graecia potuerit Diis tribui. Fortasse ad Pindarum respexit Libanius, Ep. 112, in Themistii laudibus ponens, quod illo nemo magis Tyndaridas colat studio hospitum.

2. *Ἑλένᾳ.* Socia illa sacrorum fraternorum fuit. Apud Euripidem Dioscuri eam appellant, Hel. 1666

ὅταν δὲ κάμψῃς καὶ τελευτήσῃς βίον,
θεὸς κεκλήσει, καὶ Διοσκόρων μέτα
σπονδῶν μεθέξεις· ξένιά τ' ἀνθρώπων πάρα
ἕξεις μεθ' ἡμῶν· Ζεὺς γὰρ ὧδε βούλεται.

Et Or. 1684 Apollo de eadem

ἐγὼ δ'
Ἑλένην Ζηνὸς μελάθροις πελάσω,
— θεὸς ἀνθρώποις
ἔσται, σπονδαῖς ἔντιμος ἀεὶ,
σὺν Τυνδαρίδαις, τοῖς Διὸς υἱοῖς.

5. *ὕμνον ὀρθώσαις*. Similiter Ol. VII 39 *διορθῶσαι λόγον*. *Ἄωτον* exquisite dicit, quasi *ἔπαινον*. Eodem modo Ol. V 1 *ὑψηλᾶν ἀρετᾶν καὶ στεφάνων ἄωτον γλυκύν*. Et VIII 99 *φράσαι χειρῶν ἄωτον ἐπίνικον*.

7. *οὕτω* ad conjungenda haec cum antecedentibus pertinet: ita quippe, ut Theronis victoriam canerem, adstitit mihi Musa. *Ἐναρμόξαι* est explicatio vocis *τρόπον*, similiter ac vs 16 infinitivus *συμμίξαι* ad explicandum substantivum *χρέος* pertinet. *Ἀγλαόκωμον* non ad *φωνάν*, sed ad *τρόπον* referendum est, Cf Ol. X 93 *τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον*.

11. *χαίταισι*. Victoris, non equorum. Similiter Ol. XIV 35.

12. *θεόδματον χρέος*. Non crediderim, Pindarum promisisse Theroni carmen, verum ita ei devinctum et victoria ejus delectatum fuisse, ut, quum Dii hanc illi tribuissent, sibi ab iisdem dulce canendi munus impositum existimaret.

18. *θεόμοροι ἀοιδαί*. Aut significantur carmina, eodem Deorum munere data victoribus, quo illi dedere victoriam: aut quae Dii cordibus poetarum impertiant. Pos-

terius verum esse credo. Similis sententia est Ol. I 13. Ceterum, id quod quasi in transitu moneo, ipsum vocabulum *θεόμοροι* ostendit, quam sit partiendi et dividendi significatio saepe eadem ac simpliciter dandi: ex quo apud Horatium L. I Od. XV 15 carmina dividere nihil aliud significare credo nisi carmina dare vel exhibere.

19. *ᾧ τινι.* Universe positum est, nec ad Theronem, sed ad *ἀνθρώπους* referendum.

21. *Ἑλλανοδίκας.* Fuere Hellenodicae praesides et judices certaminum: nomen eorum inde derivatur, quod eorum certaminum Graeci tantum erant participes. De numero eorum varia traduntur nec inter se convenientia: hoc tamen ab omnibus traditur, fuisse illum numerum non semper eundem.

21. *βλεφάρων.* Pauwius conjungit cum *ἀτρέκης*, significari existimans judicem, cujus oculi nihil nisi verum videant. Non recte. Jungendum est cum *ὑψόθεν*. Cum genitivo hoc etiam ponitur, locum significans, apud Apoll. Rh. II 806 *Ἀχερουσίδος ὑψόθεν ἄκρης εἴσομαι ἱερὸν αἰπύ*, et apud Aratum 26 *ὑψόθεν ὠκεανοῖο.* Similis apud Anacreontem sententia est, 62,

ἐπὶ δ' ὀφρύσιν σελίνων
στεφανίσκους θέμενοι.

22. *Αἰτωλός.* Pausanias L. V C. I 2 „Eleos novimus e Calydonia et reliqua Aetolia transiisse." Oxylum, natione Aetolum, dicit, quum Heraclidas viam docuisset, accepisse Elidem, ibique consedisse et cum veteribus Epeis Aetolos conjunxisse, ipsumque ludos fecisse: C. III 5, IV 1, VIII 2. Atque Oxyli filio usque ad Pausaniae aetatem mansere sacra Olympiae: C. IV 2. Etiam Iphitus, postea ludorum instaurator, ex Oxyli genere fuit. Haec

ergo Eleis cognatio Aetolorum fuit. Et antiquior etiam vicissim Aetolis cognatio Eleorum fuit, quum ad Acheloum pervenerit ibique consederit et nomen genti dederit Endymionis filius, nomine Aetolus, vetustissimi regis Eleorum: C. I 6. Utramque cognationem etiam narrat Strabo ex Ephoro, et invicem apud Aetolos Aetoli, apud Eleos Oxyli exstitisse monumenta: L. X C. 3 p. 463, 464.

24. γλαυκόχροα. Soph. Oed. Col. 701 γλαυκᾶς φύλλον ἐλαίας, Eurip. Iphig. T. 1101 γλαυκᾶς θαλλὸν ἐλαίας, et praeterea saepissime.

25. Ἴστρου ἀπὸ παγᾶν. Herodotus Istri fontes ab Occidente Europae repetit: L. IV 48, 49. Pindaro fama de occidente Europae obscurior fuisse videtur, aut neglecta ab ipso eum in modum, ut poetica potius commenta sequeretur. Certe Hyperborei ab eo non ad occidentem positi videntur. Py. X 70 Perseum ad eos venisse memorat, et Gorgonem interfecisse: nec tamen ita, ut Gorgonem apud Hyperboreos fuisse dicat, verum illum, quum ad Gorgonem tenderet, in eo itinere illos visitasse. Secundum antiquissiman quidem Deliorum memoriam Hyperborei supra Scythiam fuere ad Septemtrionem, fortasse Orientem versus potius quam Occidentem: Herod. L. IV C. 33. Et supra ventum Boream eos habitasse cecinit Olen Lycius: Paus. L. VII C. V 4: idque sane nomini eorum est conveniens, et Pindaro, terram illam ponenti πνοιᾶς ὄπιθεν Βορέα, vs 56. Ceterum narrationem de oliva ab Hercule ex Hyperboreis petita tribuit Eleis Pausanias, L. V C. VII 4.

28. πείσαις. Merito persuasione et sine vi petivit donum ab Hyperboreis Hercules, hominibus piis et ab

omni violentia alienissimis. Py. X 65: „sacra gens sine laboribus proeliisque vivit, fugiens Nemesin."

29. Ἀπόλλωνος θεράποντα. Etiam Py. X 53 Hyperboreos Apollinem sacris colere et illum Deum his sacris impense gaudere tradit. Et Ol. VIII 63 Apollo ad Istrum proficiscitur, certe ad Hyperboreorum sacra, quomodo ad Isthmum ad festum inclytum Neptunus. Et videtur Hyperboreorum regionem Sophocles significasse eam, quam appellavit vetustum hortum Apollinis, memorans raptum Orithyiae, eamque a Borea abductam esse

ὑπέρ τε πόντον πάντ' ἐπ' ἔσχατα χθονός,
Νυκτός τε πηγὰς οὐρανοῦ τ' ἀναπτυχάς,
Φοίβου τε παλαιὸν κῆπον.

Strabo L. VII C. III p. 295. Et vs 46 ipsa Artemis appellatur Istria et Herculem dicitur excepisse olim in terra Hyperboreorum. Conjunctus certe apud eos fuit cultus Apollinis et Dianae. Herodotus de Hyperboreis plurima narrasse Delios dicit, et de sacris, quae ab illis ipsi acceperint, quae apportaverint virgines Hyperboreae, tributum Ilithyiae. „Earum, inquit, tumulus est in fano Artemidis, ἐπιπέφυκε δέ οἱ ἐλαίη." Pariter narrare Delios, etiam prius venisse Argen et Opin: quas ἅμα αὐτοῖσι τοῖσι θεοῖσι ἀπικέσθαι λέγουσι. Qui quidem Dii non alii fuisse videntur atque Apollo et Artemis. Atque harum tumulus fuit pone templum Artemidis. Ut totum suum prolis Latoniae cultum ab Hyperboreis Delii repetivisse videantur, isque ipse cultus oliva non caruisse. Herod. L. IV C. 33—35. Conferatur P. J. Costerus, De oude wereld naar Herodotus, I p. 116. Ipsius vero Delphici oraculi originem ab Hyperboreis repetitam fuisse traditio

fuit, ut memorat Pausanias, L. X C. V 4. Atque adeo in scholio ad Apoll. Rh. L. II vs 675 traditur Mnaseas scripsisse, eos, qui olim Hyperborei fuissent, postea dictos fuisse Delphos.

30. *πιστὰ φρονέων.* Conf. Hom. Il. V 116 *φίλα φρονέουσα.*

πανδόκῳ. Ol. I 150 *πολυξενωτάτῳ παρὰ βωμῷ.*

31. *ἄλσει.* Conf. Ol. V 24, Ol. X 53. Ipsum vocabulum ab *ἄλδω, ἀλδαίνω,* i. e. *αὔξω,* repetitum, significat nemus arboribus consitum, praesertim sacrum. Hoc loco nonnulli dictum putant locum, qui lucus futurus erat, adhuc nudus, *προληπτικῶς.* Verum significatio facile transiit ad locum sacrum, arboribus licet carentem: itaque hoc loco ponitur. Strabo L. IX C. II p. 412: *οἱ δὲ ποιηταὶ κοσμοῦσιν, ἄλση καλοῦντες τὰ ἱερὰ πάντα, κἂν ᾖ ψιλά:* et exemplum aliud ex ipso Pindaro affert, de Apolline:

καὶ μυχοὺς δινάσσατο βαλλόμενος κρηπῖδας ἄλσεων.

Quod in fragmentis receptum est. Respexit Homerum, Iliad. II 506

Ὀγχηστόν θ' ἱερὸν, Ποσιδήϊον ἀγλαὸν ἄλσος·

et tamen, ut monet, *Ὀγχηστός ἐστι ψιλὸς, ἔχων Ποσειδῶνος ἱερὸν, καὶ αὐτὸ ψιλόν.* Idem ex Homero exemplum affertur hoc Pindari loco a scholiastis. Scholiasta vetus ad Ol. V 24 *τοὺς ἱεροὺς ποταμοὺς ἄλση εἰώθασι λέγειν:* quod tamen non ita admittendum est.

31. *σκιαρόν τε φύτευμα.* Vetustissima fuit Eleorum traditio, ab Hyperboreis Herculem petivisse olivam, ut jam secundum Pausaniam memoravimus ad vs 25. Istrum jam Poeta appellavit umbrosum vs 25: nec tantum oliva verum etiam lauro illa loca fuere conspicua: vide Py. X 61

δάφνᾳ τε χρυσέᾳ κόμας ἀνδήσαντες.

Et Deli olivam jam memoravimus. De qua etiam apud Euripidem est

— Ἄρτεμιν λοχίαν,
ἃ παρὰ Κύνθιον ὄχθον οἰκεῖ,
φοίνικά θ' ἁβροκόμαν
δάφναν τ' εὐερνέα καὶ
γλαυκᾶς θαλλὸν ἱρὸν ἐλαίας.

Iphig. T. 1097.

32. ξυνὸν ἀνθρώποις. Cujus umbra cuncti laeti forent.

33. ἤδη γάρ. De institutis aris festoque sacro et plenilunio praestantissima Pindari narratio est Ol. X 51. Instituit certamen Hercules, ut ibi traditur, devicto Augea: qui quum mercedem dare noluisset, patriam ejus igne ferroque Hercules perdidit ipsumque morte punivit. Labor vero, cujus mercedem ille non dederat, fuit Herculi septimus, ut est in Anthologia Planudea L. IV 92

ἕβδομον Αὐγείου πολλὴν κόπρον ἐξεκάθηρεν.

Quartus vero fuerat venatio cervae, ut est ibidem

χρυσόκερων ἔλαφον μετὰ ταῦτ' ἤγρευσε τέταρτον.

Existimat autem Heynius, Pindarum ordinem mutasse, et post Augeam devictum et festum institutum heroem ad cervam capiendam abiisse. Quod non ita est. Duo fuerunt secundum Pindarum Herculis ad Hyperboreos itinera. Institutis aris festoque vidit Hercules, locum esse nudum, eumque arboribus consitum esse voluit: idcirco eum, vs 45, δὴ τότ' animus impulit ut ad Hyperboreorum regionem proficisceretur et inde praestantissimas arbores peteret, quas ibi prius admiratus fuerat, quum in illa loca venisset venans cervam cornibus au-

reis. Quodsi non prius ibi fuerat, quomodo scire potuit, se ibi illas arbores inventurum esse, aptissimas Pisae? nam non eo consilio primum profectus est: admirans enim constitit, quum illas adspiceret, vs 57. Prius ergo ejus iter fuit ad cervam capiendam, posterius ad olivam petendam. Ipsa manifesto hujus carminis narratio et ordo hoc docet. Vs 24 τάν ποτε, rem Poeta significat universe, Herculem petitam ex Hyperboreis olivam Olympiae posuisse: tum vs 40 causam aperit, quum nuditas loci ei displiceret: vs 45 δὴ τότε, ipsam profectionem significat ad petendam olivam. Mox vero, 46, Ἰστρία νιν ἔνθα, narrationem interponit de priore itinere, in quo illum admiratio olivae ceperat. Praeterea differentiam itinerum Poeta eo ostendit, quod in cervae venatione Herculem a Diana exceptum esse dicat, venientem ex Arcadia: nunc vero veniebat ex Elide: tum eum impulerat necessitas et imperium Eurysthei: nunc impellebat animus.

36. ἑσπέρας. Genitivus temporis. Conf. Py. IV 70.

36. ὅλον ὀφθαλμόν. Plenum oculum, i. e. plenum splendorem, plenitudine lunae ad splendorem translata. Ὀφθαλμὸς et ὄμμα quandoque dicuntur de eo quod conspiciatur. Similiter Soph. Ant. 879 λαμπάδος ἱερὸν ὄμμα de solis splendore dicitur. Etiam δέδορκε Ol. I 152 de splendore dicitur.

36. ἀντέφλεξε. Fulgorem praebuit.

37. ἀγνὰν. Sanctam, incorruptam.

39. θῆκε. Non recte Heynius subjectum hujus verbi esse putat Lunam, tamquam tempus, quo illa facta sint. Est Hercules. Similiter Xen. Anab. L. I C. II 10: Ξενίας τὰ Λύκαια ἔθυσε καὶ ἀγῶνα ἔθηκε. Paus. L. V

C. I 3: ἔθηκε δὲ καὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ ἀγῶνα Ἐνδυμίων. C. VIII 1: τόν τε ἀγῶνα θεῖναι.

39. ζαθέοις. Saepenumero sane more epico Fluviis tribuuntur divinitatis epitheta. Verumtamen ea hic significatur loci sanctitas, quae festo Jovis instituto consecrata esset. Ol. X 53 ζάθεον ἄλσος dicitur, et ibidem 58 Hercules narratur fluvium Alphei honorasse cum duodecim Diis. Etiam Ist. I 45 Ἰσθμὸς ζαθέα.

40. ἔθαλλεν. Non aliud hujus verbi exemplum novi, quo manifesta sit transitiva significatio proferendi. Solet esse significatio intransitiva florendi. Tamen Hesychius habet θάλλουσα, αὐξάνουσα.

41. Κρονίου Πέλοπος. Potest significari locus in convalle Cronii tumuli: qui memoratur Ol. I 179: qui locus fuerit Pelopis: sed credo Κρονίου esse epitheton τοῦ Πέλοπος, qui fuit filius Tantali, cujus mater Pluto fuit, filia Saturni: ut docent scholia vetera ad hunc locum. Priorem tamen explicationem commendavit Aristarchus.

43. κᾶπος. Significari dicunt scholiastae locum ventis expositum. Quod mihi incertum videtur. Significari solet locus amoenus et consitus: hic tantum locus festo destinatus, fere ut vs 31 ἄλσος.

46. Ἰστρίᾳ. Cf. quae annotavimus ad vs 29.

47. Ἱπποσόα. Apud Homerum, Il. V 205, est χρυσήνιος Ἄρτεμις. Quum autem Amazones, quae Ol. VIII 62 cum Istri mentione copulantur in memorandis Apollinis caritatibus, Dianae cultrices fuerint, fortasse ab iis et ab Hyperboreis impensius illi Deae dignitas equestris tributa fuit. Apud Euripidem in Hippolyto, 228, Phaedra Dianam appellat δέσποιναν γυμνασίων τῶν ἱπποκρό-

των. Et moribundus ipse Hippolytus, filius Amazonis, jam Deae dilectae sibi non amplius, inquit, erit ἱππονώμας οὐδ' ἀγαλμάτων φύλαξ. Non pertinet huc Dianae cognomen εὐρίππα apud Pheneatas in Arcadia, Pausan. L. VIII C. XIV 5: quod non aliquod equestre Deae munus significavit, verum ei tributum fuit ab Ulysse in memoriam equorum, quos amissos ibi repererat.

48. δειρᾶν. Homerus: πολυδειράδος Οὐλύμποιο, Il. I 499.

50. ἀγγελίαις. Jussis per nuncium perlatis. Homerus Il. XV 638

Μυκηναῖον Περιφήτην,
Κοπρῆος φίλον υἱὸν, ὃς Εὐρυσθῆος ἄνακτος
ἀγγελίης οἴχνεσκε βίῃ Ἡρακληείῃ.

51. ἔντυ' ἀνάγκα. Theognid. 197: ἐπεὶ κρατερή μιν ἀνάγκη ἐντύει.

51. πατρόθεν. Jubente Jove.

52. Cervas carere cornibus, nec tamen hoc unicum esse apud Poetas cervae cornibus ornatae exemplum, disputant scholiastae et interpretes. Ceterum Taygetam, Atlantis filiam, quum a Jove amata fuisset, eumque amorem repudiaret, a Diana in cervam esse mutatam, postea vero, quum in suam formam restituta esset, sui loco illam cervam Deae consecrasse, in scholiis narratio est. In qua re nonnulli sibi vestigia deprehendere visi sunt immolationis hominum: quae etiam in Iphigeniae historia et in Dianae Tauricae sacris non absunt. Eodem pertinere existimant verberationem puerorum Spartae ad aram ejusdem Deae Orthosiae: vel Orthiae, ut appellat Pausanias, L. III C. XVI 6: quae nomina inter se differre non videntur. Apud Pindarum tamen hoc loco de ea re silentium est: neque enim ἀντιθεῖσα est ab

ἀντιτίθημι, nec convenit cum ἔλαφον ἀντιδοῦσα, Eurip. Iphig. T. 783: sed est pro ἀνατιθεῖσα. Nec cum illius poesi conveniens fuit, aliquam cogitare Deorum crudelitatem vel victimae humanae desiderium. Vide quae disputavimus in dissertatione de Pindari Sapientia, Cap. I § 1. Consecrationem ideo factam esse, ut cervam pro se virgo Deae donaret, fortasse propter explicationem ἀντὶ statuendum esse crediderunt, quam in ἀντιθεῖσα esse putavissent. Verum si praeterea illam fabulam alii fortasse Poetae ita tradiderunt, a Pindari mente, ut monebam, certe aliena fuit. Conferendus autem omnino est Euripides, Herc. fur. 375

> τάν τε χρυσοκάρανον
> δόρκαν ποικιλόνωτον
> συλήτειραν ἀγρωστᾶν
> κτείνας, θηροφόνον θεὰν
> Οἰνωᾶτιν ἀγάλλει.

54. Ὀρθωσίᾳ. Nomen ab Arcadiae monte derivatum videtur: alii ab ὀρθόω derivandum putant, vel quod salutem praestet, vel quod parientes juvet, vel quod partus servet. Sunt hae singulae explicationes in scholiis: ejusdem Deae cultum et in Elide et Athenis fuisse, in iisdem traditur. Etiam in Argolide fuisse testatur Pausanias, L. II C. XXIV 6, et Byzantii Herodotus, L. IV 87. Montis nomen a scholiastis traditur vel Orthium fuisse vel Orthosium: neque ejus mentionem alibi reperi. In ejusdem autem cervae historia ab Apollodoro memoratur Οἰνόη: ἦν δὲ ἡ ἔλαφος ἐν Οἰνόῃ χρυσόκερως Ἀρτέμιδος ἱερά. L. II C. 5. Quo nomine certe significatur urbs Argiva Οἰνώη, de qua Diana Oenoatis dicta est, et apud Euripidem appellata eo loco, quem modo attulimus:

eandem etiam Οἴνην vocatam fuisse memorat Stephanus Byzantinus. Nec satis causae esse existimo, cur Orthosiae nomen non a monte repetatur, quomodo Oenoatidis nomen ab urbe repetitur. Quodsi ab illa explicatione discedendum sit, servatricis significationem aptissimam putaverim, idque ipsum ita Pindarum voluisse, ut Taygeta pro salute accepta cervam consecraverit.

54. ἔγραψεν ἱεράν. Tradunt scholiastae, in captae cervae cervice inventa fuisse haec verba: Ταϋγέτη ἱερὰν ἀνέθηκεν Ἀρτέμιδι. Fortasse ad eam inscriptionem spectant verba Pindari. Et γράφειν quidem in consecrationis inscriptione significanda ponitur, velut apud Platonem, De Leg. XII 943 C εἰς τὰ τῶν πολεμικῶν θεῶν ἱερὰ γράψαντα ἀναθεῖναι: et 955 A νικήσαντα γράφειν ἐν ἱεροῖς οἷς ἂν ἐθέλῃ: et opponitur μηδὲν ἀνάθημα μηδ' ἐπιγραφήν. Tamen idem verbum etiam simpliciter declarandi significationem habet, velut apud Aeschylum, Agam. 801

κάρτ' ἀπομούσως ἦσθα γεγραμμένος
οὐδ' εὖ πραπίδων οἴακα νέμων.

Potest igitur verbis Pindari hoc loco ipsa consecratio significari, inscriptione sejuncta: et tamen si inscriptionis ejus, quam scholiastae memorant, cognita Graeciae fabula fuit, id ipsum videtur a Poeta indicatum esse.

56. ὄπιθεν. Hoc ita intelligendum esse, ut per Septemtrionem ad Occidentem penetraverit Hercules, ii existimant, qui Hyperboreos in Occidente ponendos putant: cui ego sententiae non assentior: verum illa loca, quae hyperborea, id est supra boream sint, iis existimo esse pone boream, qui eo ex locis infra boream positis veniunt.

58. τῶν νιν. Earum arborum, quae tunc viderat, nunc eum desiderium cepit: apte et concinne ad pro-

positam narrationem Poeta redit eamque absolvit. Genitivus τῶν non est partitive positus cum verbo φυτεῦσαι, sed pendet ab ἵμερος, et in φυτεῦσαι idem objectum intelligitur: quod in interpretatione Latina expressimus.

61. καί νυν. Metrum postulat ut νυν sit encliticum, et tamen adverbii temporalis significationem in ea particula retineri existimo. Idem obtinet Ol. VII 23 et Py. XI 13. Et Latini pariter adverbium nunc post etiam ponunt enclitice, scribentes etiamnunc vel etiamnum, non tamen temporis significatione deminuta. Tamen καί νυν potius significat nunc quoque. Sophocles, Aj. 87

σίγα νυν ἑστώς·

ibique scholiasta: τὸ νῦν (lege νυν) τοῦτο, εἰ καὶ ἀντὶ τοῦ δή ἐστιν, ἀλλ' ἔχει καί τινα ἔμφασιν καιροῦ. Et Thomas Mag., eundem locum afferens: χρῶνται δὲ οἱ τραγικοί τε καὶ κωμικοὶ καὶ ἑτέρῳ νυν, λαμβανομένῳ μὲν ἀντὶ τοῦ δή, ἔχοντι δὲ ἔμφασίν τινα χρόνου. Cratini fragmentum apud Hephaestionem P. 26, C. VIII 1, idemque apud scholiastam Aristophanis, Plut. 598

σιγὰν νῦν ἅπας ἔχε σιγάν

ejusdemmodi est, ibique metrum postulat σιγάν νυν. Et apud Aristophanem similia exempla sunt, Plut. 414

Μή νυν διάτριβ' ἀλλ' ἄνυε πράττων ἕν γέ τι.
Χρ. καὶ δὴ βαδίζω. Βλ. σπεῦδέ νυν. Χρ. τοῦτ' αὐτὸ δρῶ.

Quodsi tamen fortasse revocanda est scriptura καὶ νῦν, audebit aliquis credere, syllabam circumflexam posse corripi, atque etiam πᾶν Ol. II 153 esse syllabam brevem. Aut audebit credere, in metris et prosodia Pindari quaedam ignorari.

61. ἐς ταύταν ἑορτάν. Nonnulli Theoxenia a Therone

celebrata significari credunt. Quod longe secus est: et de commentis ejusmodi jam satis multa dixisse videmur initio explicationis hujus carminis. Et certe τέρμα δρόμου, quod modo Poeta memoravit, non est Theoxeniorum sed Olympiorum: et θαητὸς ἀγὼν, quem insequente sententia vs 65 memorat, Olympiorum est, Theoxeniorum esse non potest. Quae ergo haec foret confusio interpositae memoriae festi alterius, quod ipsum Poeta non memoret sed conjectantibus assequendum relinquat? Omnino ad festum Olympium venire Hercules oratione poetica dicitur, quum singularis cura significetur, quam ejus festi gerat: et cur cum Tyndaridis veniat, causa adjicitur, τοῖς γὰρ ἐπέτραπε. Cura ludi Olympii ab ipso ornati et instituti, postea Tyndaridis tradita, causa fuit, qua Olympiam cum illis veniret, non qua ad aliud a scholiastis intersertum festum veniret.

66. περὶ. Construe ἀγῶνα περὶ ἀρετᾶς ἀνδρῶν κ. τ. λ.

70. διδόντων. Praemium pietatis tribuere Tyndaridae Theroni victoriam, ipsi certaminis praesides. Pelops eandem praeclaram mercedem amoris a Neptuno accepit, Ol. I 139.

72. ξενίαις. Apud Eurip. Helen. 1666, quem locum ad vs 2 attulimus, ipsi Dioscuri sua sacra appellant ξένια, non tamen ut significentur mensae quibus hospites exciperentur, sed simpliciter sacra sibi ut Diis donata: quod convenit antiquae de sacris sententiae, quam et alibi saepe expressam deprehendimus, et apud Homerum, Od. E. 100, ubi Mercurius, a Jove missus ad Calypso, viam inhospitalem queritur et longinquam, nullis hominum hecatombis conspicuam. Appellat idem Poeta sacra Deorum δαῖτα, Il. I 424, et Pindarus,

Ol. VIII 69. Tamen, quum ipsi Dioscuri hospitum adjuvandorum laude celebrentur hoc carmine vs 1, et ipse Thero Ol. II 11, hoc quidem loco quaedam subesse potest hospitalitatis significatio, non verbis expressa, verum si ea hospitalitas cum cultu Dioscurorum conjuncta fuit. Genitivus βροτῶν non cum ξενίαις τραπέζαις conjunctus est, sed cum superlativo πλείσταισι, ut significetur, a nemine Emmenidas cultu Dioscurorum superari.

74. τελετάς. Certa quaedam Dioscurorum sacra fuisse videntur, ab Emmenidis impense curata.

75. Conf. Ol. I initio.

79. Οἴκοθεν. Vi insita et impetu suo. Cf. Ist. IV 19

Οἴκοθεν στά-
λαισιν ἅπτονθ' Ἡρακλείαις.

Nec dissimiliter eo adverbio utitur Demosthenes adv. Aristogit. 770 κεκρίσθαι δὲ τοῦτο πάλαι τὸ πρᾶγμα ἐπὶ τῆς ἑκάστου φύσεως οἴκοθεν· oratione non magnopere opus esse, sed rem jamdudum suo quemque judicio utentem judicasse ita ut cujusque naturae conveniebat.

79. τὸ πόρσω. Saepius Columnas Herculis cum termino gloriae et felicitatis comparat, ultra quem non adspirandum nec sperandum sit: velut Nem. III 35, IV 112 et, quem locum modo attulimus, Ist. IV 19.

81. οὐ μήν. Sententiam generalem exprimit: vanum esse consilium gloriam superandi victoriae Olympiae. Ceterum hoc non eo pertinet, ut admoneat Theronem et ab aliqua nimia cupiditate deterreat, sed potius ad praedicandum insigne gloriae fastigium, quo majus nullum esse possit.

Digressio

ad vs 25 de Hyperboreis et de Boeckhii sententia.

Quod scripsi in annotatione ad vs 25, Herodotum, secundum Delios, quum Hyperboreos supra Scythiam posuerit ad Septemtrionem, fortasse Orientem versus potius quam Occidentem eos posuisse, id inde colligo, quod, L. IV C. 33, sacra, quum a Scythis essent ex Hyperboreis accepta, semper a vicinis portata fuerint Occidentem versus ad Hadriam: si igitur ab initio eundem illa cursum habuerunt, etiam Scythae ita infra Hyperboreos fuerunt, ut Hyperborei ad Orientem spectarent: verum quum primus itineris cursus ab Herodoto non significetur, rem non dijudico. Pindarum certe supra Graeciam Hyperboreos posuisse apparet. Verum Boeckhius non dubitandum esse dicit, quin eos in Occidente posuerit: Hesiodum certe in extremo Occidente prope Herculis columnas eos posuisse, idque eximie demonstratum esse ab J. H. Vossio in commentario Alte Weltkunde, J. A. L. Z. 1804 T. II initio. Ego illum commentarium inspicere non potui: verum de eadem re idem Vossius disputat in Mythologische Briefe T. II p. 114, 154, 156. Si quidem disputare dicendum est confundere commenta et somnia.

Scribit Vossius, p. 114, ab Hesiodo in Occidente Europae memoratos esse Tyrrhenos, Latinos, Ligures, Hyperboreos, gryphas Rhipaeorum Occidentalium. Has quinque commemorationes Hesiodi concinne copulat, et singularum affert haec documenta.

Tyrrhenorum in Occidente memoriae documentum Strab. I p. 23, Sch. Apoll. III 308.

Latinorum Theog. 1013.

Ligurum Strab. VII p. 300.

Hyperboreorum Herod. IV 32.

Gryphum in Rhipaeis occidentalibus habitantium Sch. Aesch. Prom. 803.

Et contra primae quidem commemorationis documenta non disputo: memorat illo loco Strabo, ab Eratosthene memoriam Tyrrhenorum in Italia Hesiodo tribui: a scholiasta Apollonii, Hesiodum Circes insulam in mari Tyrrheno posuisse.

Secunda memoria, quae Latinorum est, apud Hesiodum loco a Vossio citato nulla est: memorat Hesiodus Agrium atque Latinum, filios Circes et Ulyssis, eosque reges dicit fuisse Tyrrhenorum.

Tertiae memoriae, Ligurum, documentum ex Strabone hunc habet versum Hesiodi

Αἰθίοπάς τε Λίγυς τε ἰδὲ Σκύθας ἱππημολγούς.

Quartae, ex Herodoto: *Ἡσιόδῳ μέν ἐστι περὶ Ὑπερβορέων εἰρημένα.*

Quinta memoria documentum habet scholiastae Aeschyli: in cujus scholio nulla est nec Occidentis nec montium Ripaeorum mentio: tantum dicitur Hesiodus primus de gryphis mira narrasse: *περὶ ὧν Ἡσίοδος πρῶτος ἐτερατεύσατο.*

His ac talibus documentis Vossius usus vult efficere, Hesiodo Occidentem Europae innotuisse, et ab illo Hyperboreos in occidentalibus Europae partibus positos esse.

Quodsi autum ex iis quinquepartitis documentis ea colligimus, quae ad Hyperboreos pertinent, nihil ea continent, nisi hoc, Herodotum tradidisse, ab Hesiodo Hyperboreos memoratos esse. Quid de regione eorum

ille Poeta memoraverit vel crediderit, ne verbo quidem attingitur.

Magis merito ex tertio documento Vossius effecisset, si voluisset, Aethiopas habitasse in Liguria, Ligures in Scythia, Scythas, si Diis placet, in Hippomolgia; et foret ea regio Diis hominibusque praeter Vossium incognita.

Tamen etiam ostendit Vossius, p. 154 seqq., quomodo factum sit, ut hanc de Hyperboreis in felici Occidente habitantibus notitiam acceperit Hesiodus, Herodotus autem de iis dubitaverit. Verum ea et multa Vossii commenta persequi nihil necesse est. Pauca tantum haec disputanda esse existimavi, propterea quod Pindari studio et intelligentiae non obesse poterit, si multa eorum diligentius exquirantur, quae Boeckhius ita affirmanda putat, ut dubitari vetet.

Nuper Schoenbornius sibi demonstrare visus est, Hyperboreos fuisse Lycios: ueber das Wesen Apollons, Berlin, 1854, p. 74 seqq.

OLYMPIA IV.

Camarinam scholiasta vetus ad Ol. V 16 tradit conditam esse Olympiade quadragesima quinta, tum a victoribus Syracusanis destructam Ol. LVII, postea instauratam Ol. LXXXV, *τῷ μεταξὺ χρόνῳ καθ' ὃν ἐνίκησεν ὁ Ψαῦμις.* Et in scholio recentiore ad vs 19 reliqua quidem traduntur eodem modo, verum instauratio ponitur Ol. LXXXII, *μεταξὺ τοῦ χρόνου, καθ' ὃν Ψαῦμις ἐνίκη-*

σεν. Quod autem legimus ad eundem versum in scholio vetere, ὑπὸ Γέλωνος συνῳκίσθη ἡ Καμάρινα κατὰ τὴν μβ' Ὀλυμπιάδα, ὥς φησι Τίμαιος: ibi quidem fortasse pro μβ' scriptum fuit πβ'. Sic quidem de instaurationis tempore ea duo scholia inter se convenient. Quae vero in posteriore vetere scholio praeterea memorantur, ea si velimus persequi et exquirere, nunc quidem abducamur a proposito: praesertim quum vel mutilata vel confusa esse vel inscite scripta esse videantur.

Apud Thucydidem L. VI 5 de originibus Camarinae eadem legimus atque apud scholiastas Pindari: conditam esse a Syracusanis anno post ipsas Syracusas fere centesimo trigesimo quinto: qui est ante C. N. 598, Ol. LVII: destructam esse postea a Syracusanis. Posteriore tempore Hippocratem Gelae tyrannum pro pretio captivorum Syracusanorum accepisse terram Camarinensium, atque urbem instaurasse. Rursus eandem a Gelone vastatam, tertio a Gelone constitutam esse. Verum Diodorus Siculus, L. XI 76, Camarinam a Gelois constitutam esse scribit et de novo agros distributos Ol. LXXIX anno 4: utitur eodem verbo atque in ea re Thucydides, κατοικίζειν. Quapropter assentior magnopere viris doctis, qui apud Thucydidem, ubi scriptum est: καὶ αὖθις ὑπὸ Γέλωνος ἀνάστατος γενομένη, τὸ τρίτον κατῳκίσθη ὑπὸ Γέλωνος: legendum putant: ὑπὸ Γελώων. Quodsi hoc non ex historiae testimonio efficiendum erat, tamen ipsa oratio Thucydidis emendationem videbatur quasi requirere: nam, si id quidem, quod scriptum est, dicere voluerat, certe scripturus fuisse videtur: ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Γέλωνος. Gelo autem obiit Ol. LXXV a. 3: Diod. Sic. XI 26. Et de instaurata ab Hippocrate, a Gelone vero destructa Ca-

marina fere eadem tradit Herodotus, VII 154, 156. Ergo tertia Camarinae constitutio videtur ponenda, secundum Diodorum, Ol. LXXIX, 4: quae autem de Olympiade octogesima secunda et octogesima quinta traduntur in scholiis, ea aut alio pertinuisse putanda, aut potius plane rejicienda videntur: tum quia inter se ipsa non conveniunt, tum propterea quod artificiose ad victoriam Psaumidis commentatores accommodare ea tempora voluerunt. Quae tamen accommodatio frustra est. Nam quum Psaumidis victoriam vel ad Ol. LXXXII referant, vel duplicem esse statuant, alteram rhedae mularis Ol. LXXXI, alteram curulem Ol. LXXXII: non sane video, quomodo ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ Ol. LXXXII vel LXXXV Camarina instaurata sit [1]).

Certe brevi post patriae instaurationem victoriam Psaumidi obtigisse, ex his carminibus apparet. Celebrari utroque carmine unam eandemque victoriam, eamque fuisse rhedae mularis, satis certo nobis statuere videmur.

Carminis IV vs 21: Psaumis gloriam patriae excitare festinat: V 8 urbem honorat: 19 recens conditam sedem nuntiat. Quae quidem victoriae laudem ostendunt, cum recentibus patriae incrementis copulatam.

Rhedae mularis memoria est apud Pausaniam, L. V c. 9: ἦν ἀπήνη κατὰ τὴν συνωρίδα ἡμιόνους ἀντὶ ἵππων ἔχουσα: „habebat rheda in bigis mulas pro equis:" institutum autem esse id certamen tradit Ol. LXX,

---

1) Brunet de Presle, pag. 164, a Scholiasta Pindari etiam posteriorem Camarinae destructionem memorari dicit, factam a Syracusanis Ol. LXXXV: ipse de ejus numeri veritate dubitat: verum equidem eam memoriam in scholiis non reperi.

abrogatum LXXXIIII. Scholiastae Pindari aliter: ad inscriptionem carminis V traditur Polemo posuisse finem ejus certaminis Ol. οδ', quum tredecim fuissent certamina: ad vs 6 dicitur illud certamen tantum per decennium duravisse, et finis ponitur, in quibusdam libris Ol. 85: in aliis 89: rursus ad vs 19 finis statuitur fuisse Ol. 85.

Victoria quidem Psaumidis, quae carmine quarto canitur, a scholiastis refertur ad Ol. 82. Ad eandem Olympiadem referunt victoriam, quae materia est carminis quinti: excepto uno scholio ad vs 19, in quo hujusmodi computatio est, ut curru victor Psaumis fuerit Ol. 82, rheda autem Ol. 81. Verum id quidem nimiam disputandi levitatem ostendit: etenim quum ibi scholiasta dicat, victoriam ejus curulem fuisse Ol. 82, certamina autem mularia finem habuisse Ol. 85, inde contendit necessario consequi, victoriam Psaumidis mularem fuisse Ol. 81.

Et rheda quidem mularis, *ἀπήνη*, tam diserte memoratur V 6, ut de ea victoria dubitari nullo modo possit. Quod autem in inscriptione et scholiis carminis V memoratur, illud carmen Psaumidi scriptum esse, quum vicisset *τεθρίππῳ καὶ ἀπήνῃ καὶ κέλητι*, id rejiciendum videtur. Memorantur ea tria certamina vs 15, atque inde haec opinio orta videtur: eodem jure Hieronis victoriam, quae carmine Olympio primo celebratur, etiam fuisse stadii, effeceris ex ejus carminis vs 154, ubi celeritas pedum in certaminibus memoratur. Carmen quintum ad victoriam rhedae pertinuisse omnino constat.

Verum carminis quarti inscriptio est vel *ἵπποις*, vel *τεθρίππῳ*. Age vero: praeter illud scholion, quod quam leve sit significavi, omnes utrumque carmen ad eandem Olympiadem LXXXII referunt. Igitur mirabile fuerit,

si duae victoriae fuerunt eodem tempore, non diserte tantam tam eximiam laudem a Poeta fuisse celebratam: aut si altera praecessit alteram, non posteriore carmine etiam priorem laudem ab eo fuisse commemoratam. Verum in ambobus carminibus ita eodem prorsus modo ad recentia Camarinae incrementa respicitur, ut perquam difficile sit, ea tempore separata fuisse existimare Et totus quasi color utriusque est ejusmodi, ut ad unam eandemque victoriam celebrandam, ad eandem et Psaumidis et Camarinae laudem ornandam pertinuisse videantur. Est in utroque Pindari arte expressa eadem victoris imago, laetantis patria recens condita, adjuvantis eam, ornantis. Nec quidquam ipsi sententiae de una victoria deesse videtur: obstat solum inscriptio carminis quinti, quam rejiciendam esse jam ostendi: et inscriptio carminis quarti: quae quidem satis antiqua fuisse potest, si fortasse jam tum fuit, quum quintum carmen nondum in editionibus Pindari receptum esset. Verumtamen de ea ipsa antiquitate non constat: et in inscriptionibus multa ab editoribus vel commentatoribus jam olim arbitrio suo ficta et excogitata esse, tum ex ipso quinto, tum e tertio et octavo carmine patet: etiam ex undecimo. Non igitur tantum ei titulo tribuo, ut verum esse non credam id, quod verum esse ipsa carmina suadere videntur.

In carmine quinto praecipue memoratur ἀπήνη, quod est solemne rhedae mularis nomen in iis ludis: in quarto non memoratur, sed vs 19 ὄχεα. Et hoc quidem vocabulum apud Homerum semper, quantum memini, de curro equis juncto ponitur: ubi de mulis sermo est, ἅμαξα dicitur, Il. XXIV 150, 179, 189, 266, vel

ἀπήνη, 275, 324, 447: et tamen 440 ἅρμα, quod ceteroquin etiam currum equorum significare solet. Omnino ipsum nomen ὄχος nihil aliud significare videtur nisi vehiculum: velut apud Euripidem Iphig. T 371 ἐν ἁρμάτων ὄχοις. Et apud ipsum Pindarum Py. IX 17: ubi Apollo Cyrenen avexit χρυσέῳ δίφρῳ, et advenientem excipit Venus, θεοδμάτων ὀχέων ἐφαπτομένα: nec quisquam certe illum aureum currum et divinum vel mulis vel mulabus junctum fuisse affirmaverit. Ergo vocabulum ὀχέων in victoria equis reportata recte omnino poni potuit. Verum tamen alia quaestio est, an necessario debuerit. Quod secus esse videtur, et, si ὄχος quodvis vehiculum significavit, tam de rheda mulari quam de curru equorum dici potuit.

Et ὄχεος quidem et ὄχου eandem significationem esse, satis et multis locis et e loco Euripidis, quem attuli, apparet: quum prior forma Homero magis propria sit. Pindarus autem, Ol. VI 40, expresse dicit ὄκχον de rheda mulari, in ejusmodi victoria celebranda: et ad eum locum annotatur a vetere scholiasta: τὸ δὲ ὄκχον κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τῶν ἡμιόνων τιθέασιν. Quem locum recte attulit Boeckhius, et praeterea affert Hesychium. Nam est apud hunc: Ἀκεσταῖοι ὄχοι, Σικελικὰ ὀχήματα: et: Ὄχος Ἀκεσταῖος, ἐπεὶ αἱ Σικελικαὶ ἡμίονοι σπουδαῖοι· ἦν δὲ Ἄκεστος Σικελίας. Quae quum ita sint, nulla in eo vocabulo causa est, cur in victrici rheda mulari laudanda Pindarum eo usum esse negemus.

Ergo sic statuo, hoc carmen quartum a Pindaro datum fuisse victori statim post reportatam victoriam: deinceps vero in patriam redeunti vel jam reduci datum esse propter eandem victoriam carmen quintum.

In tempore autem definiendo non est, cur a scholiastis

dissentiamus, qui carmina haec ad Olympiadem octogesimam secundam referunt. Ponit, ut vidimus, Diodorus Siculus Camarinae instaurationem anno quarto Ol. 79: sunt autem, postquam narravit, quomodo tum discordiae et bella in Sicilia composita sint, de Camarina ejus verba haec: *μετὰ δὲ ταῦτα Καμαρίναν μὲν Γελῶοι κατοικίσαντες ἐξ ἀρχῆς κατεκληρούχησαν.* Igitur haud prius certe quam illo anno, et fortasse brevi postea, initium factum est urbis instaurandae: et, si ipsa instauratio aliquod tempus requisivit, eo tempore, quo Psaumidis victoria ponitur, dici potuit *νέοικος ἕδρα.*

De meritis Psaumidis erga patriam alia non exstat memoria, sed in his Pindari carminibus laus eorum eximia. De aetate, qua tum fuerit, maxime varia traduntur a scholiastis ad vs 39. Mihi quidem videtur jam tum fuisse aetate provecta. Tum ex reliquis utriusque carminis partibus, tum maxime ex V 51 id efficio. Sed jam ad singula, quantum opus videbitur, deinceps veniamus.

Invocatio Jovis initio carminis, significato vs 3 ipso tempore ludorum Olympiorum, significata etiam vs 7, laetitiae ocissima cum amicis communione, statim post victoriam reportatam carmen factum esse ostendit. Abrupta vs 3 invocatio repetitur vs 10.

2. *ἀκαμαντόποδος.* Frustra scholiasta vetus in comparatione explicanda versatur subtilius, quasi equi similitudine Poeta usus sit. De ipsa rheda idem epitheton ponitur Ol. V 6.

3, 5. *τεαὶ γὰρ ὧραι ἑλισσόμεναι.* Recte vetus scholiasta confert Hom. Il. Π 551 *περιτελλομένων ἐνιαυτῶν.* Similiter Eurip. Alc. 448: *Σπάρτᾳ κυκλὰς ἁνίκα Καρνείου*

περινίσσεται ὥρα. Quod autem tempora Jovis dicit, similiter etiam Homerus: *Διὸς μεγάλου ἐνιαυτοί*, Il. Π 134, et saepius: quippe quidquid arte humana majus esse videbatur, fere divinitatis quodam epitheto ornabatur. Tamen hoc loco magis proprie et significantius Jovis tempora dicit, propterea quod huic Deo ludi Olympii erant consecrati.

4. Praepositionem *ὑπὸ* scholiastae explicant per *μετὰ*: non male: conferunt Hom. Il. XVII 492

νύμφας δ' ἐκ θαλάμων δαΐδων ὑπὸ λαμπομενάων
ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ.

Similiter Herodotus I 17: *ἐστρατεύετο ὑπὸ συρίγγων τε καὶ πηκτίδων καὶ αὐλοῦ.* Et ipse Pindarus, Ol. VII 23: *καί νυν ὑπ' ἀμφοτέρων (φόρμιγγος καὶ αὐλῶν) σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν.* Appellat autem *μάρτυρα* non spectatorem, sed testem testantem et praedicatorem, *ὑμνητήν*. Conf. Ol. VI 35. Conjunctum quidem est *ὑπὸ ἀοιδᾶς* cum *ἔπεμψαν*, sed non cum eo verbo solo, verum cum consilio missionis: plane ut Ol. VII 23, quem locum attuli, *ὑπὸ φόρμιγγος καὶ αὐλοῦ κατέβαν ὑμνέων.* Tempora Jovis me miserunt certaminum laudatorem cum cantu et cithara. In verbo autem *ἔπεμψαν* non inest ejusmodi significatio, ut statuendum sit, ipsum Pindarum advenisse: *μαρτυρία ἀέθλων* fiebat ab illo carminum immortalitate et decore: fieri potest, ut adfuerit: verum praesentiam suam appellando significat poesis suae praesentiam. Et ex vocabulo *ἀγγελίαν*, vs 8, potius effecero, Pindarum Psaumidis victoriam accepisse quam vidisse. Verum in incertis non nimis morandum esse arbitror.

7. *Ξείνων.* Scholiasta vetus explicat *φίλων*. Sed tamen amicitia significatur cum hospitio conjuncta.

7. ἔσαναν. Ipsam verbi significationem expressit Ovidius, Metam. XIV 258

Quin etiam blandas movere per aera caudas
Nostraque adulantes comitant vestigia.

Significat autem maximam in re praesente laetitiam simul et amorem. Aeschylus eodem vocabulo utitur in speciosa caritate significanda, Agam. 798 ὄμματα δοκοῦντα εὔφρονος ἐκ διανοίας ὑδαρεῖ σαίνειν φιλότητι. Pindarus in blanditiarum fallaciis, Py. II 151 δόλιος ἀστὸς σαίνων ποτὶ πάντας ἄγαν. Saepius hoc verbum transitiva alliciendi significatione ponitur, velut apud Soph. Oed. C. 319, ubi Antigone Ismenen advenientem conspiciens:

φαιδρὰ γοῦν ἀπ' ὀμμάτων
σαίνει με προστείχουσα (vel προσστείχουσα).

Atque alia in lingua Graeca a canum similitudine desumuntur: ut Ulyssem Homerus scribit vehemente iracundia correptum, Od. XX 13:

κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει.

et Clytaemnestra, laudans Agamemnonem, appellat illum τῶν σταθμῶν κύνα: Agam. 896.

10. ὃς Αἴτναν ἔχεις. Ol. VI 162 et Nem. I 7 appellatur a Poeta Ζεὺς Αἰτναῖος. Py. I 57 invocatio est: Ζεῦ, ὃς τοῦτ' ἐφέπεις ὄρος.

11. Conf. Py. I 30

θεῶν πολέμιος
Τυφὼς ἑκατοντακάρανος· —
νῦν γε μὰν
Ταί θ' ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι
Σικελία τ' αὐτοῦ πιέζει
Στέρνα λαχνάεντα

Et apud Strabonem L. XIII p. 627 Fragmentum Pindari, apud Heynium Epin. V, apud Boeckhium 93:

Κείνῳ μὲν Αἴτνα δεσμὸς ὑπερφίαλος
Ἀμφίκειται.

At in alio Pindari fragmento ibidem allato Typhoeus appellatur πεντηκοντακέφαλος: rursus vero Py. VIII 20 ἑκατόγκρανος. De Typhone Conf. Hesiod. Theog. 820—868.

11. Ἶπον. Muscipulam quidem significat, sed omnino urgens et premens onus. Apud Aesch. Prom. 365 idem Typhon

κεῖται στενωποῦ πλησίον θαλασσίου
ἰπούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο.

Ubi pro ἰπούμενος, quod est in codice Mediceo, in libris etiam est ἰπνούμενος: at scholiasta unus: γρ. ἰπούμενος, ἀντὶ τοῦ βαρυνόμενος, ἤγουν σφιγγόμενος, ἤτοι παγιδευόμενος. Ἶπος (an Ἶπος) γὰρ ἡ παγὶς τῶν μυῶν ἀπὸ τοῦ ἴπτω τὸ βλάπτω. Et Eustath. ad Il. I 3 ἰποῦν ῥῆμα ἀντὶ τοῦ βλάπτειν παρὰ τῷ Αἰσχύλῳ καὶ παρὰ τῷ Κωμικῷ, ἐν τῷ ἰπούμενοι ταῖς εἰσφοραῖς. Qui locus est Aristoph. Eq. 924.

16. Saepius carmina sua sempiternam gloriam dare testatur: velut Ol. XI 5.

18. Ψαύμιδος ἥκει ὀχέων. Carmen festum, ὁ κῶμος, venit, quum sit κῶμος ὀχέων Ψαύμιδος, i. e. quum rhedae Psaumidis laudationem contineat.

22. λοιπαῖς εὐχαῖς. Quae illa reliqua vota sint, Poeta hoc loco non explicat. Quod tamen saepe facere solet: velut Ol. I 175 Hieroni optat curulem victoriam. Et fortasse jam vix alia Poeta precando significat, nisi jucundam senectutem: quas exprimit preces V 49.

22. ἐπεί μιν. Sunt hae causae, quare precetur et bona speret, positae in victoris pietate et virtutibus.

Nam hospitalitas certe et amor patriae studiumque concordiae Graecis virtutes fuere longe laudatissimae: equis autem alendis quod dicatur deditus, id ad pietatem ejus laudandam pertinet, in certaminibus ludisque Deorum festis conspiciendam. Quodsi quis offendatur in nomine ἵππων, quum victoriam fuisse existimemus rhedae mularis, id quidem foret argutius: uti autem possumus, si velimus, hujusmodi explicatione, ut dicamus, mulas procreari non posse nisi equi alantur, haberet quidem ea explicatio veritatem, et tamen esset quodammodo speciosa: universo nomine τροφαὶ ἵππων quaevis hujusmodi studia certe significant.

28. Erginus, Clymeni filius, etiam a Callimacho laudatus est, ut memorat scholiasta vetus, hoc versu:

Ἐργῖνος Κλυμένου ἔξοχος ἐν σταδίῳ.

Fuit autem ille in Argonautis. Qui quum Lemnum venissent, certamen ibi Hypsipyle instituit ut patris Thoantis funebria celebraret: certavit autem Erginus cursu in armis. Verum quum canus esset adspectu, irrisus est et contemtus a mulieribus Lemniis: verum victor exstitit, quum adversarii fuissent ipsi Boreae filii Zetes et Calais. Hac tanta laude parta contemtum et irrisionem facile fregit: quum coronandus accederet, dixit Hypsipylae, jam pedum suam celeritatem esse probatam certamine: haud minus autem se valere fortitudine pectoris et manuum robore. Atque eo exemplo probari dicit Poeta, posse canitiem esse in eo, qui et aetate et vigore atque virtute adolescens sit. Et scholiastae quidem hoc exemplo Pindarum usum esse existimant propterea quod Psaumis etiam canus fuerit: δῆλον ὡς καὶ αὐτὸς ὁ Ψαῦμις ἤδη πολιὸς ὢν ἐνίκησεν: — δηλονότι καὶ

αὐτὸς ὁ Ψαῦμις πολιὸς ἦν καὶ οἷον προπόλιος. Quod longe secus esse existimo. Et efficio quidem maxime e carminis V vs 51, Psaumidem fuisse jam aetate provecta: verum in eo nihil esse, quod vel esset ipsum mirabile, vel hac de Ergino narratione explicaretur. Laudavit Poeta Psaumidis virtutes: affirmavit, se non mentiri. Saepius ejusmodi affirmatione utitur: velut Ol. II 166, Ol. VI 84, Ol. XIII 140: quibus locis vel jurisjurandi fidem proponit. Hoc autem loco in affirmatione laudationis provocat ad experientiam, spectata factis et probata Psaumidem existimatione et fama frui contendens: et adjicit festivum et suave Ergini exemplum, ut ostendat, eam laudem esse certam atque testatam, quae experientiae fide nitatur, easque, quas de Psaumide praedicavit, tam veras esse laudes, quam veram fuisse Ergini virtutem opere et certamine apparuit. Contraria Ulyssis sententia est apud Sophoclem, Philoct. 96, Neoptolemo dicentis:

ἐσθλοῦ πατρὸς παῖ, καὐτὸς ὢν νέος ποτὲ
γλῶσσαν μὲν ἀργὸν, χεῖρα δ' εἶχον ἐργάτιν·
νῦν δ' εἰς ἔλεγχον ἐξιὼν ὁρῶ βροτοῖς
τὴν γλῶσσαν οὐχὶ τἄργα πάνθ' ἡγουμένην.

Vocabulo autem ἔλεγχος prorsus similiter Pindaro utitur Euripides, Alc. 640

ἔδειξας εἰς ἔλεγχον ἐξελθὼν ὃς εἶ.

38. χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον. Manus meae meumque pectus sunt similia ei pedum celeritati, quam ostendi: quantum pedibus currendo valeo, tantum valeo manibus pugnando et pectore audendo.

OLYMPIA V.

De causa et opportunitate hujus carminis jam satis explicuisse videmur in Commentario carminis quarti. Appellat autem Poeta hoc carmine Nympham Camarinam, tum Palladem, laudat fluvium Oanum, paludem Camarinam, maxime vero fluvium Hipparim: tandem ipsum Jovem invocat, vota ferens pro urbe et victore.

4. *Ὠκεανοῦ θύγατερ*. Fuit prope urbem Camarinam palus Camarina: quae etiam hodie superest: Vid. Brunet de Presle, p. 100. Memoratur ea palus vs 26. Verum hoc loco Nympham, Deam ipsam, Poeta appellat. Hesiodus, Theog. 337, 346:

Τηθὺς δ' Ὠκεανῷ Ποταμοὺς τέκε δινήεντας. —
Τίκτε δὲ θυγατέρων ἱερὸν γένος, αἳ κατὰ γαῖαν
ἄνδρας κουρίζουσι σὺν Ἀπόλλωνι ἄνακτι
καὶ Ποταμοῖς· ταύτην δὲ Διὸς πάρα μοῖραν ἔχουσι.

Deinceps, certo numero earum enarrato, 362:

αὗται δ' Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἐξεγένοντο
πρεσβύταται κοῦραι· πολλαί γε μέν εἰσι καὶ ἄλλαι.
τρὶς γὰρ χίλιαί εἰσι τανύσφυροι Ὠκεανῖναι,
αἵ ῥα πολυσπερέες γαῖαν καὶ βένθεα λίμνης
πάντῃ ὁμῶς ἐφέπουσι, θεάων ἀγλαὰ τέκνα.

Omnino Nymphas quovis loco sibi Graeci repraesentarunt, earumque benevolentiam et beneficentiam laudarunt. Solem, Terram et Fluvios cum Jove invocat Atrides in jurejurando, Hom. Il. III 276

Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων κύδιστε μέγιστε
Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις

καὶ Ποταμοὶ καὶ Γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Et certe, si cui Graecae mythologiae parti quaedam naturae aestimatio subesse putanda est, Solem Terram et Aquas omnis fertilitatis omniumque rerum, quae ad alendam hominum et animantium vitam pertinent, auctores habere et venerari debuerunt. Atque etiam Lennepius apud Hesiodum 347 Nymphas cum Sole conjungi existimat: Apollinis quippe nomine significari Phoebum lucida diei tela moderantem. Verum nulla hujusmodi apud Hesiodum est Apollinis significatio, ut cum Sole permutari ejus nomen potuisse videatur: sunt contra diversa numina. Verum Apollo et arti salutari praefuit et ipse fuit Deus salutaris. Milesii et Delii coluerunt Apollinem Οὔλιον, οἷον ὑγιαστικὸν καὶ παιωνικὸν, valetudinis et medicinae auctorem: τὸ γὰρ οὔλειν ὑγιαίνειν: Strabo L. XIV p. 635. Prope Coronam templum fuit Apollinis, Messeniorum fama antiquissimum, et Deus morbos curabat: Pausan. L. IV C. 34, 4. Similia de Nymphis narrantur. Apud Cytherium fluvium in Elide Nympharum Goniadum templum fuit, quae aquis morbos curare credebantur: Strabo L. VIII p. 356. De Nymphis Himerensibus, quae salutiferas aquas dederunt, apud ipsum Pindarum memoria est Ol. XII 27. Ergo illud Hesiodi

ἄνδρας κουρίζουσι σὺν Ἀπόλλωνι ἄνακτι

quid significat? Certe salutem et robur ab illis dari et praeclaram formam juvenilem nutriri. Egregie, ut solet, de his rebus disputavit Brouwerus, Hist. de la Civilisation des Grecs, T. II p. 69, 331. Nos autem haec persequimur, quia putabamus utilia esse posse ad in-

telligendum, et recte aestimandum eximium carmen hoc Pindari, quod quasi quandam Graecae pietatis speciem exhibet totumque religionem spirat, invocando et adorando numina.

Etenim etiam vs 27 ita Hipparis fluvius memoratur, ut eo nomine Deus fluvialis significetur, cujus rivi sint σεμνοὶ, augusti et venerabiles: cui maxima debentur beneficia, domuum aedificatio, et vero salutis e gravibus difficultatibus lux. Atque jam modo, quum de Nymphis erat disputatio nostra, Fluvios quoque attigimus: quumque propter Graecorum poesin et pietatem, omnia ad Deos referentium, quovis loco Numen aliquod adesse tuendi et adjuvandi caussa putantium, copiosissima haec sit explicandi materia, tamen modum adhibebimus, pauca, quae huc pertineant, commemorantes.

Etenim narrat Pindarus Ol. X 58 in constituendo summo Jovis festo Herculem Alpheum fluvium honorasse in numero duodecim Deorum principum: et quae hoc ipso carmine, in quo nunc versamur, vs 10 memorantur sex geminae arae, earum quinta fuit Dianae et Alphei. Sic illi Fluvio habitus est honos perpetuus. Et apud Homerum, Il. XI 728, Nestor narrat, quomodo olim cum Pyliis venisset ad sanctum fluvium Alpheum, et proelium facturi sacra fecissent supremo Jovi, ipsique Alpheo et Neptuno atque Minervae. Atque haec quidem ad honorem Fluviorum pertinent. Sed praeterea intelligimus, illos non honoratos tantum, verum etiam caros dilectosque Graecorum animis fuisse, et tam spem rerum bonarum in iis positam quam gratiam iisdem pie habitam felicitatis ipsiusque vitae. Jamus in Alpheum medium descendit, ut ibi ab avo Neptuno et patre Apolline fe-

licem sortem precaretur: Ol. VI 97. Et in eodem carmine, laudans Agesiam Syracusium, cujus gens materna ex Arcadia oriunda erat, impensius suum, quo victorem illum ejusque gentem amplectitur, amorem significat commemoranda Fluviorum Arcadiae et Boeotiae cognatione: attrahit illa eum volentem cogitatio flatu dulci: 140. Apud Aeschylum, Choe. 5, Orestes in patriam rediens binos crines fert, primos Inacho fluvio nutritionis et educationis praemium, alteros patri munus parentale. At vero apud Homerum Achilles in Patrocli exsequiis flavam comam abscidit, quam Spercheo patriae fluvio nutriverat, daturus in reditu: nunc vero, quum se non rediturum esse intelligat, donat illam amico mortuo: et, vultu ad mare converso, Spercheum alloquitur: Il. XXIII 144:

Σπερχεῖ᾽, ἄλλως σοί γε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεὺς,
κεῖσέ με νοστήσαντα φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
σοί τε κόμην κερέειν, ῥέξειν θ᾽ ἱερὴν ἑκατόμβην·
πεντήκοντα δ᾽ ἔνορχα παρ᾽ αὐτόθι μῆλ᾽ ἱερεύσειν
ἐς πηγὰς, ὅθι τοι τέμενος βωμός τε θυήεις.
ὣς ἠρᾶθ᾽ ὁ γέρων, σὺ δέ οἱ νόον οὐκ ἐτέλεσσας.
νῦν δ᾽ ἐπεὶ οὐ νέομαί γε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
Πατρόκλῳ ἥρωι κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι.

Tantum igitur Nympharum et Fluviorum quum honorem fuisse appareat, tantam tam eximiam caritatem, certe in hoc carmine Pindari religioni Graecorum conveniens est appellatio Nymphae Camarinae et laudatio Hipparidis Fluvii, Camarinaeis auxiliaris et salutiferi. Ipsum quoque Oanum Fluvium Camarinamque paludem divini honoris communionem habuisse ostendit versu 25.

Et praeter Nympham Camarinam et aquarum Numina

etiam appellat Poeta Jovem, vs 39, adorandum sane, Olympiorum ludorum praesidem et summum sortis mortalium moderatorem. Interponitur autem, vs 22, invocatio Palladis: quae quidem urbis Camarinae Dea tutelaris fuit, ut apparet ex epitheto πολιάοχε: et a vetere scholiasta idem traditur: et fuisse Ἀθηναῖον, vel, ut in Urat. A scribitur, Ἀθηνᾶς ἱερὸν ibi maxime conspicuum. In quibusdam veteribus Camarinae numis apparet imago Palladis stantis et hasta nitentis, et in aversa parte est Victoria supra Cycnum suspensa. 1) Quarum quidem figurarum altera Deae illius tutelam significari manifestum esse videtur: altera vero fortasse vel ad Paludis sive Nymphae Camarinae vel ad Hipparidis Fluvii cultum pertinuit, vel ad communem Paludis illius Fluviorumque Oani et Hipparidis honorem. Alia quidem explicatio est apud Eckhelium, Doctr. Numorum Veterum, Vol. I p. 200: et quae nos scribimus, scribimus de ea re non affirmantes, sed conjicientes. 2) Veruntamen Hipparidis cultus etiam ex numis quibusdam apparet, in quibus ille Fluvius ipse proponitur: vid. Eckhel. p. 200. Ceterum apud eundem, p. 199, numus memoratur, in quo quadrigae repraesentantur, advolante victoria: quem putat fortasse ad Psaumidem pertinere. Quod quidem mihi prorsus incertum esse videtur: sed si ita est, for-

---

1) Brunet de Presle, pag. 100.

2) Ipsius Eckhelii explicatio nec explorata mihi videtur, nec, si manifesta esset, ad Pindari explicationem pertinens. Verum, quandoquidem secundum Aristotelem τὸ θαυμαστὸν ἡδύ, apponam oblectamenti causa explicationem Havercampi, ab Eckhelio memoratam: victoria indicari Psaumidem, Cygno Pindarum, dictum quippe ab Horatio Cygnum Dircaeum.

tasse ea, quae de carminis quarti argumento disputata a nobis sunt, rejicienda erunt, et id carmen ad victoriam quadrigis reportatam pertinuisse putandum erit. Sed nullum argumentum video, quare eo numo Psaumidis victoria celebrata fuisse existimetur. Est autem in eodem numo in ima parte Cygnus vel binae diotae.

5. *καρδίᾳ γελανεῖ.* In interpretatione Latina scripsi corde hilari: nec male: sed exquisite tamen Poeta hoc vocabulo utitur in Nymphae palustris appellatione, significans eam hilaritatem, quae cum tranquillitate et seneritate conjuncta est. Nam videtur omnino hoc vocabulum cognatum esse et convenire cum substantivo *γαλήνη*: quae quid significet, egregie expressum est ab Homero, quum Fluvius insulae Phaeacum, Ulyssem servans et recipiens,

παῦσεν ἑὸν ῥόον, ἔσχε δὲ κῦμα,
πρόσθε δέ οἱ ποίησε γαλήνην, τὸν δ' ἐσάωσεν.

Od. V 452. Et semel praeter hunc locum adjectivum *γελανής*, quantum scio, reperitur, Py. IV 322, *θυμῷ γελανεῖ*: in quo memorabile est, quomodo hic de Nympha palustri, sic ibi de rege ventorum Borea dici.

6. Dona rhedae et Psaumidis, quae Poeta quasi commendat Nymphae et ab ea benigne cupit recipi, sunt ea ipsa laus victoriae, quam vs 2 appellavit virtutum et conorarum *ἄωτον*: et quomodo eam laudem donari Nymphae significet, ipse explicat, quum per eam evexerit victor civitatem Numini caram, vs 8, et vero ipsi Nymphae decus constituerit, vs 16, *τὶν δὲ κῦδος*.

8. *τὰν σὰν πόλιν.* Tuam, tibi dilectam caramque et cognominem civitatem.

8. *αὔξων*. Similiter Py. VIII 53 *αὔξων δὲ πάτραν*. Eurip. Iphig. Aul. 571:

ἐν ἀνδράσι δ' αὖ
κόσμος ἐνὼν ὁ μυριοπλη-
θὴς μείζω πόλιν αὔξει.

Plato de Leg. V 531: *φιλονεικείτω δὲ ἡμῖν πᾶς πρὸς ἀρετὴν ἀφθόνως· ὁ μὲν γὰρ τοιοῦτος τὰς πόλεις αὔξει*: cui opponitur deinceps: *σμικροτέραν αὐτὴν πρὸς εὐδοξίαν ἀπεργάζεται*. Est ergo positum in decore egregio, civitati adjuncto: et vero quanti habitum fuerit, victoria Olympica ornare patriam, quum in Pindari explicatione non possit nimis saepe dici, ante Alcibiadem nunquam Athenis usu venerat, nisi Olympiae victoribus, ut coronis aureis aeneisque vulgo donarentur: iidemque alebantur in Prytaneo, propterea quod civitatem felicem reddere videbantur. [1]) Etiam praeclarius ergo fuit, recentem hac laude evehere civitatem.

10. *βωμοὺς ἓξ διδύμους*. Nescio quo errore in interpretatione Latina scripsi bis senas, et in dissertatione de Pindari Sapientia, pag. 46, bis sex: scribendum esse sex geminas facile quivis intelligit. Fuisse autem traduntur prima Jovis et Neptuni, secunda Junonis et Minervae, tertia Mercurii et Apollinis, quarta Gratiarum et Bacchi, quinta Dianae et Alphei, sexta Saturni et Rheae.

11. *ἐγέραρεν κ. τ. λ.* Ex his effecerunt quidam, Psaumidem et quadrigis et rheda mulari et equo singulari vicisse: ut est jam in vetere scholio: *ἐκόσμησε δὲ τοὺς βωμοὺς νικήσας ἵπποις, τεθρίππῳ, ἡμιόνοις καὶ κέλητι.*

1) Nep. Alcib. VI. Plato Apol. Socr. p. 36 d.

Boeckhius autem vicisse illum affirmat rheda, certasse tamen etiam quadrigis et equo singulari: quod nisi ita esset, oportuisse Poetam vel quadrigarum et equi singularis mentionem praetermittere, vel iis addere etiam pugilatum, stadium et singulas totorum ludorum partes. Non ego hujusmodi argumentationem probabilem puto. In carmine Ol. I 155 celeritas pedum et robur memoratur, nihil de curribus vel equis dicitur: et tamen erat equestris victoria. Verum etiam sine exemplo intelligimus, Poetam hujusmodi laudationes certaminum facere arbitratu suo.

Loci sententia haec est, Psaumidem aras Olympicas honorasse in summo festo, quum ibi fierent sacrificia et certamina, quum certaretur curribus, mulabus et equis singularibus. Quorum commemorationi certaminum reliqua certamina Poeta, si voluerat, addere potuisset.

In dativo ἑορταῖς, qui cum praepositione ἐν scriptus esse poterat, et significat locum et opportunitatem, haud sane difficultas est. Dativi βουθυσίαις et ἁμίλλαις a praepositione ὑπὸ pendent, quae significat sacrificiorum et certaminum cum festis conjunctionem et quasi quendam festis adjunctum comitatum. Sic Ist. VI 64

εὐχαῖς ὑπὸ θεσπεσίαις λίσσομαι.

Hesiod. Scut. Herc. 278

τοὶ μὲν ὑπὸ λιγυρῶν συρίγγων ἵεσαν αὐδὴν —
αἱ δ' ὑπὸ φορμίγγων ἄναγον χορὸν ἱμερόεντα·
ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθε νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλοῦ·
τοίγε μὲν αὖ παίζοντες ὑπ' ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ,
τοίγε μὲν αὖ γελόωντες ὑπ' αὐλητῆρι ἕκαστος.

Ubi dativum et genitivum communiter positum videmus. Plut. Poplic. X ὑπὸ ῥάβδοις ὁμοῦ πάσαις καὶ πελέκεσι

κατιόντα, cunctorum fascium comitatu procedentem. Idem Galb. XIV ὑπὸ φωτὶ πολλῷ προῄει. Lucian. Dial. Deor. II 2 ὑπ' αὐλῷ καὶ τυμπάνοις εὔρυθμα βαῖνε. Idem de Saltatione 16 χοροὶ συνελθόντες ὑπ' αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ.

Jam porro dativi ἵπποις ἡμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε continent explicationem et quasi appositionem vocabuli ἁμίλλαις. Ἵπποις significatur certamen quadrigarum, est idem atque τεθρίππῳ vel ἅρματι, qualis victoria celebratur Ol. II. Ἡμιόνοις significatur certamen rhedae mularis, ἀπήνης. Μοναμπυκίᾳ est idem quod κέλητι, quae fuit victoria Hieronis, celebrata Ol. I: erat certamen equorum singulorum, qui regebantur a pueris insidentibus.

Festa certamina acta fuisse per quinque dies, cernimus ex epitheto πεμπταμέροις. In scholio vetere memoratur tempus illud a die undecimo ad sextum decimum: pro sexto decimo est in Urat. A quintus decimus: in uno scholio recentiore ponitur initium die mensis decimo, finis sexto decimo, eoque die praemia data fuisse. In scholio ad Ol. III 33 certamen dicitur peractum fuisse die lunae sexto decimo. Neque alia, quantum scio, de illo ludorum spatio exstat auctoritas: nec sine causa dubitatur, an postremus ille dies praemiorum distributioni destinatus fuerit. Videatur Joh. Heinr. Krause, Olympia, oder Darstellung der grossen Olympischen Spiele, p. 69 et 164.

16. τὶν δὲ κῦδος. Singulari, ut solet, et eximio vocabulorum decore atque delectu Poeta utitur: Numen appellans ponit verbum ἀνέθηκε, quod habet dicandi, consecrandi significationem: idque Numen quum sit Nympha benefica, κῦδος, quod ei dicatur, ἁβρὸν dicit:

conveniente sane epitheto, si venusta decora cogitamus, quae Graeci Nymphis tribuebant. Tamen cf. Ist. I 72.

18. Memorat scholiasta vetus ad h. l., a victore etiam patrem et patriam proclamari. Et sane in quavis publica et solenni re, in concione, in lege ferenda, in populiscito sanciendo, patris nomen adjungi solebat. Nec, si Olympiae cum nomine Psaumidis nomen Acronis patris nunciatum fuit, id extra morem fuisse credendum est. Veruntamen propter factam a Pindaro commemorationem verisimile esse existimo, fuisse Acronem laudatum conspicuumque Camarinae civem, necdum eo tempore fuisse mortuum, sed grandaevum senem filii gloria delectatum.

20. Jam a Nympha Camarina ad Palladem convertit Poeta orationem, urbis Praesidem. Dicuntur origines urbis Camarinae fuisse Phoeniciae: [1]) quodsi autem Phoenices clari fuerunt artibus ipsarumque literarum inventores fuisse feruntur, ab ipsis jam fortasse civitatis incunabilis ibi domesticus fuit ejus Deae cultus, quam Graeci Palladem et Athenen appellaverunt, Phoenices autem Oncae nomine, nec ipsis Graecis incognito, adorarunt. [2]) Certe, si Camarinaei, ut videtur, navium domorumque aedificatione praestiterunt, haud injuria Palladem coluerunt praecipue.

21. *εὐηράτων.* Scholiastas video aliquam hujusmodi significationem huic adjectivo tribuere, quae sit con-

---

1) Brunet de Presle p. 100.

2) Apud Aesch. Sept. c. Th. 164 chorus: *μάκαιρ' ἄνασσ' Ὄγκα.* Ubi scholiastae docent, Oncae nomine significari Athenen Thebanis domesticam, nomine a Phoenicibus repetito, propter Cadmi Phoeniciam originem. Cf. van Limburg Brouwer, civilisation des Grecs, T. II p. 322.

juncta cum desiderio et cupidine, qua certatores victoriam expeterent. Verum est epitheton amoenitatis, quomodo Homerus Σχερίην ἐρατεινὴν, Od. VII 97, et similia saepissime.

23. ἀείδει. Dicit Scholiasta vetus, in fano illo Palladis solitum fuisse festum propter victoriam agi et hymnum cani: nec credo propter aliam causam hoc ita scriptum esse, nisi quod hoc loco Pindarus dicat, Psaumidem cantu celebrare lucum illum: haud multum hujusmodi scholiastarum testimoniis tribuo: haud sane quotidiana quaedam Camarinaeis fuit victoria Olympica, nec certe quibusvis victoribus Poetarum praeconia obtigerunt. Omnino e verbis Pindari non apparet, hoc suum carmen tum in luco Palladis Camarinaeo cantatum fuisse. Verum facile intelligitur, victorem, tanta laude parta, et Nympham Camarinam et Palladem patriae Praesidem pia supplicatione et gratiis agendis adorasse: adorationem autem Deorum apud Graecos maxime cum cantu conjunctam fuisse, et ex plurimis documentis et jam ex Homero intelligitur, ubi in conciliando Apolline, Il. I 472

οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο
καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν
μέλποντες Ἑκάεργον, ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων.

Atque praeter Palladis lucum diserte dicit Poeta, Psaumidem canere etiam fluvium Oanum et Paludem Camarinam rivosque Hipparidis. Ergo sic omnino statuo, Psaumidem et Palladem et aquarum Numina urbi suae adjacentium illustrasse ipsa victoria sua et gratis dulcibusque laudationibus et cantibus honorasse: idque a Pindaro expressum esse, pietatis Psaumidis laudandae causa, et propter suum erga Psaumidem ejusque patriam

amorem. Quod illa nunc recens instaurata esset, efficere etiam potuit, ut impensius singula loca laudaret.

28. στρατὸν. Populum: cf. Ol. IX 143 Παῤῥασίῳ στρατῷ: Aesch. Eum. 889 πόλει μῆνιν ἢ βλαβήν στρατῷ.

29. Memorant scholiastae veteres et recentiores, Hipparidem undis advexisse ea, quibus opus erat ad urbem aedificandam: recentior etiam addit, habuisse illum fontes in monte quodam multis pleno arboribus: caesas inde per flumen advectas. Nam domorum erectarum quasi fuisse sylvam, ideoque appellari ἄλσος. In vetere vero memoratur etiam Aristarchi sententia, ἄλσος fuisse ipsam terram: eam autem urbi fuisse additam Hipparidis alluvie, quomodo Aegyptus aucta fuit alluvie Nili. Heynius vero his non assentitur, et verbi κολλᾷ non amplius Hipparidem verum ipsum Psaumidem subjectum esse existimat. Hujus magnum laborem magnosque sumtus in urbe instauranda fuisse, ut vere dici potuerit populum e difficultate ad lucem perduxisse. Ego vero certe ἄλσος ὑψίγυιον θαλάμων de densa domuum multitudine dictum puto: ἄλσος etiam de loco sacro non consito dici annotavimus ad Ol. III 31, sed proprie significasse nemus habens arbores: Hesychius, ἄλσος, σύνδενδρος τόπος: Theocritus Id. I 116 conjungit ὕλαν, δρυμοὺς, ἄλσεα. Ergo domuum multitudinem cum nemoris arboribus Poeta comparat, adjiciens apprime idoneum adjectivum ὑψίγυιον, aedificiorum proceritatem significando celsis arboribus similem. Θάλαμος de ipsa vel tota domo dicitur etiam Ol. VI 2, ubi quasi idem est atque μέγαρον, quod in eadem sententia dicitur. Adjectivum σταδίων recte explicatur a scholiasta vetere εὖ ἑστώτων, ἑδραίων, quamquam causa non recte apponitur, quum

κολλᾷ ita explicet, *ὅτι προσχώννυσι καὶ προστίθησί τινα τῇ πόλει γῆν.* *Ὑσμίνη σταδίη* Il. XIII 314 et *μάχη σταδία* Thuc. IV 38 dicitur pugna quae cominus fit et stataria est: sed maxime convenit forma *σταδαῖος* apud Timaeum Locrum p. 98 C: *ἐκ τῶ τετραγώνω γεννᾶσθαι τὸν κύβον, ἑδραιότατον καὶ σταδαῖον πάντη σῶμα.* Atque haec de singulis. Quomodo autem Hipparis pangat aedificia et populo salutem lucemque donet, nostra quidem brevis, et, ut arbitramur, vera explicatio est. Nam materiem undis fluminis advectam fuisse nec affirmo nec nego: fieri etiam potest, ut amnis ille piscosus fuerit: quod quidem scholiasta recentior commemorat. Verum non ita de undarum auxilio Poeta praedicat: laudat Fluvium sicut Deum, qui undas suas rivosque venerandos mittit genti, quique divino praesidio suo ac potentia divina dilectum sibi adjuvit populum civium et provexit ad incolumitatem.

34. *ἀμφ' ἀρεταῖσι.* Conjungendum est cum *μάρναται.* Labor sumtusque, ubi de laude certant, habent, quod expugnent et superare debeant, opus periculo obvolutum: quodsi vero felicem successum nacti sunt, laudatur etiam a civibus eorum sapientia. Spectant haec ad Psaumidem ejusque victoriam. De difficultate et labore certaminis Olympici frequenter Pindarus commemorat: Ol. VI 14, ubi prorsus similiter difficultas peragendi et laus peracti certaminis inter se comparantur. Cf. Ol. X 26, 27. Memoravit Poeta laudem, quam Psaumis civitati addiderit, vss 8, 16, 20, 23: nunc ergo ipsum propterea laudem et mereri et nancisci praedicat.

41. *τιμῶν.* Eodem vocabulo, *τιμάσας πόρον Ἀλφεοῦ,* dicitur Hercules honorasse Alpheum cum duodecim Diis.

Certe alio sensu Jupiter eum honoravit atque Hercules: et tamen sanctitas augusti Fluvii certe in causa fuit, cur ab Jove carus haberetur ac diligeretur.

42. Ἰδαῖον. In scholiis refertur ad Idam Cretae, ut est apud Callimachum, Hymn. in Jovem, 6

Ζεῦ σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσί φασι γενέσθαι.

At unum scholion vetus apud Boeckhium ex Urat. A perquam memorabile est: *Ἰδαῖον ἄντρον ἐν Ἤλιδι. Δημήτριος ὁ Σκήψιος* (in libro *σκλῆψις*) *νέων* (Boeckhius *νεὼν*, at in Praefatione p. XXII aliter disponit et vult *νεῶν*) *διακόσμου ἱερὸν Διός. ἔνιοι δὲ νομίζοντες μὴ τῶν* (in libro *ταῖς*) *ἐν Ἤλιδι χωρίων αὐτὸν μεμνῆσθαι, ὑπέλαβον μνημονεύειν Ἴδης τῆς ἐν Κρήτῃ ἢ τῆς ἐν Τροίᾳ. οὕτω Θέων φησίν.* Non satis quidem singula hujus scholii videntur posse intelligi: id tamen apparet, fuisse vetustam de Idaeo antro Jovique sacro in Elide traditionem. [1]) Atque id certe convenit huic loco, post Cronii laudationem et Alphei. Et, quamquam Pindarus quidem institutionem Olympiorum tribuit Herculi Jovis et Alcmenae filio, qui Ol. III 26 *Ἀμφιτρυωνιάδας* appellatur, Ol. X 52 *Διὸς ἄλκιμος υἱὸς*, tamen perquam probabile existimo, cum traditione de antro sacro Idaeo in Elide conjunctam fuisse eam de Hercule Idaeo memoriam, quae est apud Strabonem et Pausaniam. Nam apud Geographum legimus, L. VIII p. 355: *ἐᾶσαι γὰρ δεῖ τὰ παλαιὰ, καὶ περὶ τῆς κτίσεως τοῦ ἱεροῦ καὶ περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἀγῶνος· τῶν μὲν ἕνα τῶν Ἰδαίων δακτύλων Ἡρακλέα λεγόντων ἀρχηγέτην τούτων, τῶν δὲ τὸν Ἀλκμήνης καὶ Διός.* Et apud

1) Demetrium Scepsium saepe Strabo memorat: velut L. X p. 472 ejus de Ida Troica et de Ida Cretica mentionem: L. X p. 552 ejus Τρωικὸν διάκοσμον.

Pausaniam, L. V C. VII 4: Ἡρακλεῖ οὖν πρόσεστι τῷ Ἰδαίῳ δόξα τὸν τότε ἀγῶνα διαθεῖναι πρώτῳ καὶ Ὀλύμπια ὄνομα θέσθαι. Et de ara Jovis Olympiae, L. V C. XIII 5: κατασκευασθῆναι δὲ αὐτὸν (τὸν βωμὸν) οἱ μὲν ὑπὸ Ἡρακλέους τοῦ Ἰδαίου λέγουσιν. Atque in urbe Elide Gymnasium commemorat: L. VI C. XXIII 2: εἰσὶ δὲ καὶ θεῶν ἐν τῷ γυμνασίῳ βωμοὶ, Ἡρακλέους τοῦ Ἰδαίου Παραστάτου δὲ ἐπίκλησιν, κ. τ. λ.

44. Λυδίοις. De iis modis, quos Graeci νόμους appellarunt, pauca attulimus ad Ol. I 163: de quibus Plutarchus, de Musica VI: νόμοι προσηγορεύθησαν, ἐπειδὴ οὐκ ἐξῆν παραβῆναι καθ' ἕκαστον νενομισμένον εἶδος τῆς τάσεως. Et quandoquidem ibi ἵππειος νόμος commemoratur, comparandus cum eo videtur ἁρμάτιος νόμος, qui a Plutarcho tribuitur Olympo Marsyae discipulo: C. VII. Lydius autem νόμος, quantum scio, non memoratur, sed Lydia harmonia, Plat. de rep. L. III 398 E, Plut. de Mus. VIII, XI, XV. Et Plato quidem eam rejicit ut mollem atque remissam. Verum eam a Platone vituperatam Plutarchus jam ab antiqua et virili, quae Diis placuisset, ratione degenerasse dicit, et Lydiam harmoniam ab eo repudiatam esse, utpote acrem et luctui congruam. Et revera narrasse Aristoxenum, Olympum primum Lydice cecinisse tibia cantum funebrem de Pythone: alios illum cantum tribuisse Melanippidae: Pindarum vero in Paeanibus dixisse, in Niobae nuptiis primum fuisse Lydiae usum harmoniae: C. XV. Athenaeus Graecos Lydiam et Phrygiam harmoniam a Pelopis comitibus, qui Phryges pariter et Lydi fuissent, didicisse explicat, et, secundum Telesten Selinuntium, in conviviis eas adhibitas fuisse: L. XIV p. 625, 626:

πρῶτοι παρὰ κρητῆρας Ἑλλήνων ἐν αὐλοῖς
συνοπαδοὶ Πέλοπος Ματρὸς ὀρείας Φρύγιον ἄεισαν νόμον·
τοὶ δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς κρέκον
Λύδιον ὕμνον.

Certe Doria harmonia videtur fuisse gravior, Aeolia laetior, quomodo ipsis Aetolis *οἰκεῖον ἡ φιλοποσία*: Athen. L. XIV p. 624. Luctui autem convenientem Plato Mixolydicam et Syntonolydicam dicit: Ionicam vero et Lydicam remissam et convivialem, *μαλακὴν*, *συμποτικὴν*, *χαλαράν*. Ergo, quod Plutarchus de Lydia a Platone dici explicat, id ab eo non de Lydia. sed de Mixolydia et Syntonolydia dictum fuit. Certe fuit Lydia festo et animi remissioni conveniens. Carmen hoc Pindari Lydiam harmoniam habuisse videtur in victoriae festo: non, ut Boeckhio placet, in supplicatione: nam, quod ille ait, eam harmoniam luctui esse aptam, haud satis certo affirmari ostendimus: nec luctus idem est atque supplicatio: nec, si hoc quidem versu Poeta dicit se supplicem ad Jovem venire, idcirco totum carmen pro supplicatione fuit: habet quidem etiam praeterea invocationem et appellationem Numinum, sed nihil habet tristitiae vel moeroris. Cf. Ol. II 25—27.

Ceterum fieri posse existimo, ut tibiae appellatae sint Lydiae, non propter harmoniam, sed quasi epico epitheto. Phryges auctores, et Hyagnidem Phrygem primum fuisse tibiarum auctorem memoria est apud Plutarchum De Mus. C. VII. Aliter quidem ipse Pindarus, Py. XII. Sed, quum omnino apud Plutarchum Phrygibus ea pars musicae tribuatur, et, ut ex Athenaeo ostendimus, cum Phrygum nomine nomen Lydorum conjungeretur: fortasse ex hujusmodi traditione tibiae Lydiae nominatae

fuerunt. Et apud Athenaeum in alio quoque Telestae fragmento ipsa Phrygia et Lydia nomina etiam arctius copulantur in tibiae arte commemoranda, XIV p. 617:

Ἢ Φρύγα καλλιπνόων αὐλῶν ἱερῶν βασιλῆα
Λυδὸν ὃς ἥρμοσε πρῶτος
Δωρίδος ἀντίπαλον μούσης νομοαίολον ὀμφᾷ
πνεύματος εὔπτερον αὔραν ἀμφιπλέκων καλάμοις.

Duris autem, apud Athen. L. XIV p. 618, tibias Libycas a poetis appellari dicit, propter artis ejus inventorem Siriten, qui fuisset ex Libya. Argumento quidem dissimili, sed ratione simillima, ut nomen gentile inventoris ipsi rei adjungeretur. Legantur etiam schol. vet. ad h. l.

44. *Λυδίοις ἀπύων ἐν αὐλοῖς.* Facile credo, Poetam hujus carminis cantationi accinere tibias voluisse. Tamen haec dictio poetica est, velut Ol. I 27, Ol. II 85, Ol. VII 21, 23.

46. *αἰτήσων δαιδάλλειν, σέ τε φέρειν.* Orationis constructio mutatur: Jovem precatur Poeta, ut urbem decoret: ab eodem Jove precatur, ut Psaumis felici senectute fruatur.

47. *εὐανορίαισι.* Omnino virtutes significari videntur. Apud Eurip. Herc. fur. 407 dicitur Hercules, quum ad Atlantem venisset, coelum Deorumque domos sustinuisse *εὐανορίᾳ*, virili robore.

48. *σέ τε φέρειν γῆρας εὔθυμον.* Heynius ita interpretatur: te, o Psaumi, senectus tranquilla deducat. Sed locum aliter interpretor: *εὔθυμον* conjungendum esse cum *σε*, et *σε* esse subjectum: *φέρειν* autem ferendi quidem, sed non patiendi, verum peragendi, perducendi significatione positum esse: quamquam fateor, alterum ab altero differre parum. Apud Platonem, de Rep. I 329

E ῥᾳδίως τὸ γῆρας φέρειν, 330 A χαλεπῶς τὸ γῆρας φέρειν. Hoc vero Pindari loco non est ῥᾳδίως, sed εὔθυμον: quapropter tamen ea, quamvis parva, significationis differentia esse videtur: etiam quia adjunctum est ἐς τελευτάν. Alii φέρειν nanciscendi significationem habere arbitrantur.

Praeclarae autem et Pindaro dignae hae preces existimandae sunt. Fuit, ut videtur, Psaumis jam aetate provecta et vergente ad senectutem. Tristitia senectutis prole carentis in mortis exspectatione expressa est Ol. X 106

ἐπεὶ πλοῦτος ὁ λα-
χὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον
θνάσκοντι στυγερώτατος.

Quodsi fortasse nunc, ut ad vs 18 scripsimus, pater Psaumidis adhuc vivebat, eo amantius certe ipsi senectutem precatur felicem et a filiis sustentatam, etiam morienti adstantibus.

49. Ποσειδανίοισιν ἵπποις. Peleo Neptunus praeclaros equos donavit, qui Achilli in bello praesto fuerunt: Hom. Il. XXIII 277. Antilochum Jupiter et Neptunus equitationem docuerunt: 307. Cognita satis est de dato Atheniensibus equo a Neptuno traditio: quam praeclare exprimit Chorus apud Soph. Oed. C. 707

ἄλλον δ' αἶνον ἔχω
ματροπόλει τᾷδε κράτιστον
δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονος εἰπεῖν,
αὔχημα μέγιστον
εὔιππον εὔπωλον εὐθάλασσον.
ὦ παῖ Κρόνου, σὺ γάρ νιν εἰς
τόδ' εἷσας αὔχημ', ἄναξ Ποσειδάν,
ἵπποισιν τὸν ἀκεστῆρα χαλινὸν
πρώταισι ταῖσδε κτίσας ἀγυιαῖς.

Apud Callimachum, Hymn. in Dianam vs 50 Cyclopes

ἱππείην τετύκοντο Ποσειδάωνι ποτίστρην.

Pausanias, L. VII C. XXI 3 in iis nominibus, quae Neptuno tribuuntur ab omnibus, ponit nomen Ἱππίου, et a Pampho, vetustissimo hymnorum apud Athenienses auctore, illum Deum appellatum esse memorat

ἵππων τε δωτῆρα νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων.

Apud nostrum, Py. X 23, Hiero jungit equos currui victoriam habiturus

ὀρσοτρίαιναν εὐρυβίαν καλέων θεόν.

Equorum autem nomine universum hujusmodi genus significari videri, quum fuisset victoria rhedae mularis, ad Ol. IV 22 disputavimus.

51. εὔθυμον. Jungi potest cum γῆρας, cum τελευτάν, cum σε. Postremum verum esse judico. Nec, quantum scio, unquam de rebus hoc adjectivum ponitur, sed semper de hominibus, nisi fortasse semel apud Aeschylum, Sup. 959

εὔθυμόν ἐστιν εὐτύχους ναίειν δόμους
πολλῶν μετ' ἄλλων·

ubi nempe codices habent εὐθυμεῖν, et alii aliter conjecerunt. Ceterum in interpretatione Latina hoc vocabulum non satis bene expressi, scribens bono animo: melius fuerat laeto vel hilari animo.

52. ἐς τελευτάν. Heynius haec conjungit cum παρισταμένων. Conjungendum esse videtur cum φέρειν. Παρισταμένων cum tota sententia conjunctum est: filiis adstantibus et senescenti et seni et morienti.

54. ὑγίεντα ὄλβον. Ὄλβος de ipsis divitiis quandoque dicitur: sic ipse hic ὄλβος explicaretur per sequentia ἐξαρκέων κτεάτεσσι, nec conjunctio interponitur, qua ea

cum hoc copulentur. Tamen ὄλβον totam vitae sortem, valetudinem, liberos, patriam, complecti credo: et addito adjectivo ὑγίεντα significari sanam felicitatem, calamitate carentem, bene firmatam et quasi virtute et probitate paratam atque fundatam. Haud dissimiliter Horatius L. I Ep. IV 10

Cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde
Et mundus victus, non deficiente crumena.

Paulo aliter Scolion apud Platonem est in Gorgia 451 E: ὅτι ὑγιαίνειν μὲν ἄριστόν ἐστι, τὸ δὲ δεύτερον καλὸν γενέσθαι, τρίτον δὲ τὸ πλουτεῖν ἀδόλως.

55. ἄρδει. Exquisite dicitur, non de habenda tantum, sed de moderanda et nutrienda felicitate. Significatur is status, quo aliquis vero vitae fructu ita gaudeat ut quadam sua ipsius parte, utque eam alat quotidie non minus quam corpus ipse suum. Ἄρδειν a rigandi significatione etiam nutriendi et fovendi significationem habet. Apud Platonem in Phaedro, 251 seqq., saepius hoc verbum ponitur, ut significetur in eo, qui amore correptus sit, alarum animi, quae adhuc torpuerant, germinatio, fomentum, nutritio: 251 B: δεξάμενος τοῦ κάλλους τὴν ἀποῤῥοὴν διὰ τῶν ὀμμάτων ἐθερμάνθη, ᾗ ἡ τοῦ πτεροῦ φύσις ἄρδεται. 255 C τὸ τοῦ κάλλους ῥεῦμα τὰς διόδους τῶν πτερῶν ἄρδει τε καὶ ὥρμησε πτεροφυεῖν. De Rep. VIII 550 B pater bonus dicitur τὸ λογιστικὸν ἐν τῇ τοῦ υἱοῦ ψυχῇ ἄρδειν τε καὶ αὔξειν. Apud nostrum Py. V 146

κρέσσονα μὲν ἁλικίας
νόον φέρβεται.

56. προστιθείς. Quandoquidem in verbo ἄρδει non tantum possessio, sed quaedam actio sustinendi indica-

tur, fortasse verbum προστιθείς non dissimili modo positum est, ut ipse Psaumis vitae suae felicitatem et bonam famam adjunxisse significetur. Et tamen a superbia et fiducia alienum esse Pindarum, non opus est monere. Verum si cui haec ita obtigerunt, huic suprema omnia obtigisse praedicat nec ab eo majora posse optari. Haec enim sententia est carminis exitus, non illum cupere oportere fieri deum: habere illum, quae homo habere possit.

OLYMPIA VI.

Cicero de divinatione L. I C. 41: „Licet videre et genera quaedam et nationes huic scientiae deditas. — Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Jamidarum unam, alteram Clytidarum, haruspicinae nobilitate praestantes." Apud Herodotum est memoriae Calliae, vatis Elei ex gente Jamidarum, quem Crotoniatae sibi in bello adversus Sybaritas adfuisse dicerent, et cui multa eximia donata a se ostenderent: quibus quidem etiam Herodoti aetate adhuc Calliae posteri fruebantur: V 44, 45. Ex eadem gente memoratur apud eundem Tisamenus Eleus, quem tanti fecerunt Lacedaemonii, ut illum et fratrem ejus cives suos fecerint, si sibi praesto esse vellet. Et praeter hos duos nemo mortalium a Spartanis civitate donatus est. Ille autem Tisamenus quinque proeliis Spartanis haruspex adfuit: quorum primum fuit illustrissimum proelium Plataeense. IX 33, 35. Et Herodotus quidem eum appellat ἐόντα Ἠλεῖον καὶ γένεος τοῦ Ἰαμιδέων Κλυτιάδην: de quo postremo vocabulo non sine causa dubitatio et disputatio est.

Pausanias vero de eodem narrat eadem, eumque simpliciter appellat Ἠλεῖον τῶν Ἰαμιδῶν: et ejus ex filio nepotem Hagiau vaticinio suo parasse Lysandro victoriam et classis Atheniensium captionem ad Aegospotamon: et in foro Spartae ejus Hagiae etiam sua aetate fuisse statuam aeneam: L. III C. XI 5, 6. Atque ipsi genti in ea urbe exstructum fuit monumentum: μνῆμα τοῖς ἐξ Ἤλιδος μάντεσι, καλουμένοις δὲ Ἰαμίδαις: C. XII 7. In bellis Messeniis vero Eumantis et postea Theoclus Messeniis adfuerant adversus Lacedaemonios: quorum uterque fuit e gente Jamidarum. L. IV C. XVI 1. Tandem ab eodem scriptore ex Jamidis memoratur Thrasybulus Aeneae filius, Mantineensibus vates et adjutor in proelio facto adversus Lacedaemonios, quum duce Arato illos vicerunt et regem eorum Agidem occiderunt: L. VIII C. X 4, et L. VI C. II 2: et hoc quidem loco etiam gentis originem memorat secundum Pindarum: οἱ δ' Ἰαμίδαι καλούμενοι μάντεις γεγόνασιν ἀπὸ Ἰάμου· τὸν δὲ εἶναι παῖδα Ἀπόλλωνος καὶ λαβεῖν μαντικήν φησιν ἐν ᾄσματι Πίνδαρος.

Ex hac tam illustri vatum familia Agesias fuit. Ejusdem proavorum societas fuit condendarum Syracusarum, ut apparet ex hujus carminis vs 8. Ibique scholiasta vetus annotat, comites ex Jamidis adfuisse Archiae Syracusarum conditori. Neque alia de hac re testimonia supersunt. Agesiam nominatum fuisse ab aliis Syracusium, ab aliis Stymphalium, etiam in vetere scholio traditur. Recte tamen in libris inscriptio est Syracusio, ut ex ipso carmine apparet.

Qua Olympiade Agesiae victoria reportata fuerit, ignorari vetus scholiasta scribit. Fuit victoria rhedae mula-

ris: de temporis spatio, quo hoc certaminis genus fuit, scripsimus ad Ol. IV, p. 342, 343. Hoc quidem loco scholiasta finem ab aliis poni dicit Ol. 85, ab aliis 86. Sed memoratur vs 158 Hieronis regia Syracusarum dignitas: fuit autem illa ab Ol. 75 a. 3 ad Ol. 78 a. 2. Ergo intra illud tempus Agesiae victoria fuit. Causa, cur Boeckhius e vs 162 efficit, fuisse eam post conditam ab Hierone Aetnam urbem, non satis probabilitatis habere videtur: de quo ad eum locum disputabimus.

Habet carmen egregium exordium de laude victoris, 1—17: tum comparationem Amphiarai, 18—36. Transitum ad majores ejus, 37—47: narrationem de Evadne, filia Neptuni et Pitanae, apud Arcadas ab Aepyto heroe educata, 48—57. Tum, quomodo Apollinis et Evadnae filius Jamus exstiterit, eumque serpentes nutriverint, et ipse futurus fuerit vates eximius et longae progeniei auctor ac duraturae: 58—90. Quae fuerit ejus causa nominis: 91—95. Adultum invocatis Neptuno et Apolline accepisse vaticinationem et, ludis ab Hercule institutis, oraculum condidisse Olympiae: 96—119. Ex illo illustrem gentem esse Jamidarum: 120—124. Victoriae Agesiae laudem, et deberi eam Mercurio, a Stymphaliis maternis ejus majoribus pie culto: 124—139. Cognationem Thebarum et Stymphali: 140—148: laudem Junonis et vindicationem existimationis Thebarum: 148—153. Syracusarum laudem et Hieronis, ejusque et Agesiae amicitiam: 153—173. Vota de illorum salute et de sua carminum gloria: 173—180.

3. ὡς ὅτε. Verbum πάξομεν, quod habet objectum

κίονας, cogitatione quasi repetitur cum objecto *μέγαρον*. Plane similiter Py. XI 61

Μέ τις ἄνεμος ἔξω πλόου
Ἔβαλεν ὡς ὅτ' ἄκατον εἰναλίαν.

Plena oratio est apud Hesiodum Sc. H. 421

Ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ὅτε πέτρη.

Ceterum convenit Euripides, Hec. 395

ὁποῖα κισσὸς δρυὸς ὅπως τῆσδ' ἕξομαι.

Et Troad. 147

μάτηρ δ' ὥς τις πτανοῖς κλαγγὰν
ὄρνισιν ὅπως ἐξάρξω 'γὼ
μολπάν.

Cum sententia cf. Cicero, Or. XV: „Jam vero ea, quae (orator) invenerit, qua diligentia collocabit? Vestibula nimirum honesta aditusque ad causam faciet illustres." Et Plutarchus, Sol. XXXII, respiciens ad exordium Timaei Platonis de Atlantide secundum Solonem et ad ejusdem Critiam: *πρόθυρα μὲν μεγάλα καὶ περιβόλους καὶ αὐλὰς τῇ ἀρχῇ περιέθηκεν.*

Κίονας hoc loco feminino genere poni monet scholiasta vetus, ut etiam ab Homero Od. I 52

ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
μακράς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσιν.

Sed saepius est apud Homerum feminino: tamen etiam masculino, velut Od. VIII 66 *πρὸς κίονα μακρὸν ἐρείσας*. Apud Pindarum est femininum Ol. VIII 36 *κίονα δαιμονίαν*: Py. I 36 *κίονα οὐρανίαν*: Py. IV 475 *ὀρθαῖς κιόνεσσι*: et Nem. III 36 *κιόνων Ἡρακλέος, ἥρως ἃς ἔθηκεν*. Incertum genus est Ol. II 146 *ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα*.

4. *ἀρχομένου δ' ἔργου*. Boeckhius verbum significatione media positum putat, ut *ἀρχομένου θέρους* et similia:

melius Karstenius passive explicat. Scholiasta vetus sententiam universe proponi existimat, et *δὲ* pro *γὰρ*: *παντὸς γὰρ ἔργου*. Non est ita. Potest, si haec prima fuit victoria Agesiae, quod quidem verisimile est, quia non alia in carmine memoratur, *ἔργον* significare ipsum Agesiae certamen, clarorum laborum initium, quod illustri lumine decorandum sit: ita totum hoc carmen foret *τηλαυγὲς ἔργου ἀρχομένου πρόσωπον*. Praestat tamen, hujus ipsius carminis exordium significari existimare.

7. *βωμῷ μαντείῳ*. Posterius est adjectivum: Py. V 91 *μυχὸν μαντήϊον*: Soph. Oed. T. 21 *μαντείᾳ σποδῷ*. Constructio dativi est etiam apud Dionys. Hal. L. IX p. 440, de Publio Volerone, *αὐτὸς ἑαυτῷ ταμίας γίνεται*. Scholiasta vetus: *βωμῷ ἀντὶ τοῦ βωμοῦ. δι' ἐμπύρων ἐν Ἤλιδι Ἰαμίδαι ἐμαντεύοντο, ἀφ' ὧν τὸ γένος εἶχεν Ἀγησίας. τοῦ δὲ μαντείου τοῦ ἐν Ἤλιδι καὶ Δικαίαρχος μέμνηται.* Videtur igitur secundum hoc testimonium Pisae praeter eam aram, quam Hercules Jovi et Neptuno dicavit, ara Jovis fuisse, propria perpetuo Jamidis, in qua Deum consulentes sacrificarent: quum tamen praeterea etiam vaticinio fungerentur. Conf. vss 111—121. Nec tamen hoc ita fuisse pro certo affirmavero: vaticiniis inclytam mansisse gentem exposui: ipsum Agesiam fuisse vatem, apparet vs 28: verum, quomodo Agesias condendarum Syracusarum socius dicitur laude a majoribus repetita, ita fieri potuit, ut hic quoque Pisaei in Jovis ara vaticinii titulus ei propter gentis auctorem a Poeta tributus sit. Tamen prior sententia etiam confirmatur ex eo, quod Elis, ut vidimus, Jamidarum gentem sibi quasi propriam vindicavit.

Ceterum fortasse quodammodo differunt inter se *βωμοῦ*

ταμίας et βωμῷ ταμίας. Potest ταμίας adjungi genitivo Διὸς, quomodo apud Platonem, de Leg. VI 774 A ὁ ταμίας τῆς θεοῦ (Ἥρας): D οἱ ταμίαι τούτοιν τοῖν θεοῖν (τῆς Ἥρας τε καὶ τοῦ Διός). Sic significaretur minister Jovis ad ejus aram. Praestat tamen jungere Διὸς cum βωμῷ, atque hoc cum ταμίας. Herod. VIII 51 memorantur Athenis ταμίαι τοῦ ἱροῦ. Eurip. Jon 55 χρυσοφύλακα τοῦ θεοῦ ταμίαν τε πάντων πιστόν. Fortasse ergo βωμοῦ μαντείου ταμίας significaret ipsius arae ministrum et custodem: quum dativo posito significetur minister earum rerum, quae in ara exhibeantur, id est vaticiniorum. In editione Rom. et Crat. est βωμῷ μαντείῳ. Non tamen satis causae est, cur scholiastam, adscribentem ἀντὶ τοῦ βωμοῦ, illum Dorium genitivum habuisse existimemus.

10. ἐπικύρσαις. Ita in textu imprudens edidi. Participium Aoristi primi est Ol. I 98, 127: II 108, 165: III 5, 28: V 17: VI 10, 34, 61: VII 9: VIII 52, 96, 106: IX 87, 111, 139, 142: X 36, 49, 51, 54, 58, 87, 109, 111. Horum locorum plerisque Heynius edidit formam -αις: et sicubi hoc non fecit, potius id facere praetermisit imprudens quam consilio. Boeckhius ubivis eam formam recepit. Vide ejus Praefationem, p. XXXII. Tamen libri semper fere habent formam -ας. I 127 in libris est ὀλέσας: at Gregorius Corinthius de Dial. Dor. § XXII: ταῖς μετοχαῖς τῶν ἀορίστων προστιθέασι τὸ ι· Πίνδαρος·

ἐπεὶ τρεῖς τε καὶ δέκ' ἄνδρας ὀλέσαις.

II 165 libri habent τανύσαις, praeter Par. A τανύσσαις, Guelph. τανύσσαις cum correctione τανύσας, Gott. τάνυσσον. Ibique in scholio recentiore est: ἐπὶ τὴν Ἀκράγαντα

τάνυσον, ἤγουν ἕλκυσον, τὸ τόξον δηλονότι, ἀντὶ τοῦ ἐπὶ τὴν Ἀκράγαντα ἀπότεινε τὸν λόγον. At in vetere, in cujus lemmate est τανύσαις: ἐπὶ σκοπὸν τὴν Ἀκράγαντα τείνας τὸ τόξον μεθ' ὅρκου λέγω τὸ ἀληθὲς καὶ ἀποφανοῦμαι. Eo autem loco multi existimant esse optativum: quibus ego non assentior: sed formam -αις tamen ibi propter libros retinendam existimo. III 28 libri habent πείσας, tantum in Gott. est πείσαις a recente manu. In notis criticis haec exponere imprudens praetermisi, et ipse in textu dedi -αις, quod correctum velim in -ας, III 5, 28, hic VI 10. Ol. IX 22 αἰνήσαις existimo esse optativum.

10. ἐπικύρσας ἀφθόνων κ. τ. λ. Py. X 31

Μὴ φθονεραῖς ἐκ θεῶν
Μετατροπίαις ἐπικύρσαιεν.

Constructionis hujus verbi addita praepositione ἐν exemplum non novi. Sunt tamen, qui hoc loco ἐν ἀοιδαῖς conjungant cum ἐπικύρσας, atque ipse in interpretatione Latina eam sententiam secutus sum. Scholiastae genitivum πολιτῶν cum eo participio jungunt: vetus: οὐχὶ δὲ παντὸς ἂν (ὕμνου) τύχῃ τῶν πολιτῶν γε δὴ τυχὼν ἀφθόνων ἐν τῷ ὑμνεῖσθαι; recentior: ἐπικύρσας, ἤγουν ἐπιτυχὼν πολιτῶν οὐ φθονούντων. Et certe ea constructio est apud Aeschylum, Pers. 852 μεγάλας ἀγαθᾶς τε πολλισσονόμου βιοτᾶς ἐπεκύρσαμεν. Melius tamen videtur Boeckhius existimare, significari ἐπικύρσας ὕμνῳ: quae est frequentissima coustructio, ut ad verbum et participium idem objectum pertineat: et idem recte genitivum πολιτῶν a substantivo ἀοιδαῖς pendere putat: quamquam posset construi cum eodem ὕμνον vel ὕμνῳ. Quo substantivo carmen maxime laudativum significatur: cf. Ol. VII

25 et multa loca. Loci sententia ergo haec est: quo praeconio careret ille vir neque id nancisceretur in civium non invidorum cantibus jucundis? Atque ita interpretationem Latinam correctam velim.

12. ἴστω ἔχων. Similiter Aesch. Agam. 680, in Heusdii editione 631, ἴσθι τἀληθῆ κλύων: 1302, Heusd. 1210, ἴσθι τλήμων οὖσα: 1670, H. 1578 ἴσθι μοι δώσων ἄποινα: Xenoph. Anab. L. II C. I 13 ἴσθι μέντοι ἀνόητος ὤν. Et praeterea saepissime.

13. δαιμόνιον. Inest in hoc vocabulo eximiae ac divinitus datae praestantiae significatio: hoc quidem loco ad illud Agesiae decus referenda, quod proximis verbis Poeta exposuit: eo enim pertinet comparatio pedis et calceamenti. Ol. IX 164 τόνδ' ἀνέρα δαιμονίως γεγάμεν εὔχειρα δεξιόγυιον. Nem. I 12 κείνου σὺν ἀνδρὸς δαιμονίαις ἀρεταῖς.

14—17. ἀκίνδυνοι — πονηθῇ. Spectant ad difficultatem peragendi certaminis laudemque peracti. Cf. Ol. V. 34.

18. ἐν δίκᾳ. Ol. II 30: δίκᾳ Ol. III 174.

19. ἀπὸ γλώσσας φθέγξαιτ'. Herod. I 123 Harpagus servo leporem dat perferendum ad Cyrum, ἐντειλάμενός οἱ ἀπὸ γλώσσης, Cyrum oportere ipsum et sine teste eum discindere: ubi id ita consulto expressum est, non scripto sed ore mandatum dedisse, ne forte comprehendi posset. Similiter Thuc. VII 10 nuncii a Nicia quum Athenas pervenerunt, ὅσα τε ἀπὸ γλώσσης εἴρητο αὐτοῖς, εἶπον: distinguuntur ea ab illis, quae Niciae epistola simul allata continebantur. Hoc tamen Pindari loco magis epica quadam abundantia dictum credo. Similiter Py. III 2 ἡμετέρας ἀπὸ γλώσσας κοινὸν εὔξασθαι ἔπος. Ol. II 10 γεγωνητέον ὀπί. In interpretatione Latina scripsi:

prompta lingua dixit: quod non debueram: sufficiebat, lingua dixit, vel, ore locutus est.

21. *ἐπεὶ κατὰ γαῖ'.* Eurip. Suppl. 926

καὶ μὴν τὸν Οἰκλέους γε γενναῖον τόκον
θεοὶ, ζῶντ' ἀναρπάσαντες ἐς μυχοὺς χθονὸς
αὐτοῖς τεθρίπποις, εὐλογοῦσιν ἐμφανῶς.

23. *ἑπτὰ δ' ἔπειτα.* Quum ex septem ducibus ipse Adrastus esset superstes, Amphiaraus terra obrutus, Polynices insepultus jaceret, non poterant esse rogi septem ducum: atque eo pertinuisse signum difficultatis docet vetus scholion: *τὸ σημεῖον χ, ὅτι ἑπτὰ πυρὰς φησι, τῶν ἑπτὰ μὴ ἀποθανόντων.* Aristarchus autem putavit, etiam in his, ut in aliis rebus, Pindarum obtemperare mori suo, *ἰδιάζειν*: Aristodemus vero rogos non fuisse ducum ipsorum sed exercituum: et recte, ut videtur. Scholiasta recentior *πυρᾶν τελεσθέντων* dictum putat pro *πυρᾶν τελεσθεισῶν*: sic conveniret Homericum Il. I 52

αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί.

In vetere vero scholio *τελεσθέντων* refertur quidem ad *νεκρῶν*, sed explicatur *ἐπισωρευθέντων, ἤτοι κατηριθμημένων.* Omnino *τελεσθέντων* cum *νεκρῶν* conjungendum est.: sed significat confici, id est hoc loco comburi. Fere similiter conficiendi, id autem ibi est interficiendi significatione est Aesch. Choe. 875

οἴμοι πανοίμοι δεσπότου τελουμένου.

Et eadem significatione *πράσσειν* positum videtur Choe. 440: conf. Pers. 517 *διαπεπραγμένου στρατοῦ*, et ibid. 525 *ἐπ' ἐξειργασμένοις.* Genitivus *πυρᾶν* conjunctus est cum *νεκρῶν*: significantur corpora rogorum septem, i. e. quae in septem rogis erant imposita. Haud recte Karstenius genitivum causalem esse existimat: cum corpora

septem rogis essent consumta: conferens Hom. Il. VI 331

ἀλλ᾽ ἄνα, μὴ τάχα ἄστυ πυρὸς δηΐοιο θέρηται·

neque enim rogi corpora consumunt, sed ignis rogos et corpora consumit. Tamen scholiastae veteris explicatio non absurda est, ut ad vs 26 annotabimus. [1])

25. *ἐν Θήβαις.* Prope Thebas, in agro Thebano. Similiter dicit Herodotus, Persas a Graecis victos esse *ἐν Σαλαμῖνι*: VII 166.

26. *ποθέω.* Triste desiderium notat: affert Karstenius Callinum Ephesium, 16, virum imbellem mortuum non esse *ποθεινὸν*, sed

λαῷ γὰρ σύμπαντι πόθος κρατερόφρονος ἀνδρὸς
θνήσκοντος.

Conf. Xenoph. Anab. L. III C. I 3: *οὐ δυνάμενοι καθεύδειν ὑπὸ λύπης καὶ πόθου πατρίδων γονέων γυναικῶν παίδων.* Etiam Aesch. Pers. 512, 542. Quodsi autem fortasse *τελεσθέντων* recte a scholiasta vetere explicatum est: nam *τελεῖν*, perficere, ita eo loco significaret parare, ordinare et loco suo constituere: id si ita est, significaret Adrastus hujusmodi Amphiarai desiderium, ut nec mortuo debitos honores persolvere posset. Sumta autem haec esse dixit Asclepiades e Thebaide Cyclica.

25. *ὀφθαλμὸν.* Cyrus puer apud Herodotum I 114 pueris munera distribuens, utpote rex, unum jussit *ὀφθαλμὸν βασιλέος εἶναι.* Idem vocabulum Ol. II 18 poni-

---

1) In Neue Jahrb. f. Philol. und Paedagogik, Band 73 et 74, Heft 12, p. 785—795, scripsit Wilhelm Furtwaengler: zur Kritik und Erklärung des Pindaros: pro *τελεσθέντων* legendum putat *πελασθέντων*: genitivi cum verbo *πελάζειν* positi affert exempla Soph. Phil. 1327, et Aj. 709.

tur de decore maxime conspicuo. Sed hic quidem magis significatio convenit quodammodo cum Herodoto: nam, quamquam decoris et caritatis significatione non semota, tamen praedicatur maxime laus vaticinii, quo Amphiaraus consilia dedisset, veritatem aperuisset, futura praevidisset.

27. ἀμφότερον. Ol. I 166. Hom. Il. III 179

ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

De Amphiarao Soph. Oed. Col. 1313

οἷος δορύσσους Ἀμφιάρεως, τὰ πρῶτα μὲν
δορὶ κρατύνων πρῶτα δ' οἰωνῶν ὁδοῖς.

30. κώμου. Sunt qui hoc vocabulo pompam significari credant. Est vero festum carmen. Cf. Py. III 130 et multa exempla. Ceterum laus Amphiarai quum ad Agesiam transferatur, scholiasta vetus eum cum Hierone militasse et multa bella vaticinio et fortitudine perfecisse dicit: saltem id narrari, φασὶ γάρ. Et certe vatum in bellis gerendis maximam fuisse utilitatem annotavimus pag. 372 et 373: etiam Thrasybulus, de quo scripsimus pag. 373, in proelio Mantineensium adversus Lacedaemonios ipse pugnando interfuit: νίκην τε τοῖς Μαντινεῦσι προηγόρευσε καὶ αὐτός σφισιν τοῦ ἔργου μετέσχεν: Pausan. l. l. Praeterea hoc carmine vs 165—175 amicitia et conjunctio Hieronis et Agesiae laudatur. Recte tamen scribit Karstenius, haud verisimile esse, a Pindaro tantam Agesiae laudem ita raptim et obscure a Pindaro significatam fuisse, et scholiastae testimonium carere auctoritate. Comparatur omnino duplex Amphiarai laus cum duplici laude Agesiae: hujus quidem in vaticinio et certamine Olympio posita: nam hoc ipsum genus certandi saepe quasi bellicae contentionis habetur simile: vide hujus ipsius carminis vs 14—17: Ist. I 71

ὃς δ' ἀμφ' ἀέθλοις ἢ πολεμίζων ἄρηται κῦδος ἁβρὸν,
εὐαγορηθεὶς κέρδος ὕψιστον δέχεται.

34. Ol. II 866.

36. ἐπιτρέψοντι. Quippe praeconium laudis Agesiae.

37. Φίντις. Aurigam fuisse Agesiae testantur scholiastae. In vetere scholio est, Dorice nomen scriptum esse pro Φίλτις, et nominativi pro vocativo positi exemplum affertur Il. III 277 Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς.

Est autem haec propositio allegorica, qua significat Poeta, jam se quasi flectendo cursu carminis transire continuo ad laudes majorum Agesiae et gentis auctorum celebrandas. Cf. Ol. IX 120 ἀναγεῖσθαι πρόσφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ. Nem. X 102 ἅρμα Πιερίδων τετράορον.

39. κελεύθῳ ἐν καθαρᾷ. Recte quidem Boeckhius monet, significari vacuum, Hom. Il. VIII 491

ἐν καθαρῷ, ὅθι δὴ νεκύων διεφαίνετο χῶρος·

et XXIII 61

ἐν καθαρῷ, ὅθι κύματ' ἐπ' ἠιόνος κλύζεσκον.

Tamen hoc loco nitorem viae carminum praestantiae convenientem indicari credo et quandam quasi sanctam puritatem: Ist. V 29

θεοδότων ἔργων κελευθὸν ἀν' καθαράν·

Aesch. Sup. 654 καθαροῖσι βωμοῖς. Cf. Ol. I 40.

40. βάσομεν ὄκχον. Rursus Interpretationem Latinam correctam volo, et pro in rhedam escendamus legi ducamus rhedam vel promoveamus. Ol. VIII 83 τίς τρόπος ἄνδρα προβάσει. Lucian. Dial. mort. VI 4 ἔγωγε ὅσον αὐτίκα οἰόμενος ἐπιβήσειν αὐτὸν τῆς σοροῦ.

41. ἐξ ἀλλᾶν. Sententia satis perspicua: praeter alias, melius quam aliae. Sed usus hujus praepositionis ἐξ

aliud exemplum non novi. Quodammodo tamen convenit Soph. Oed. Col. 741

πᾶς σε Καδμείων λεὼς
καλεῖ δικαίως, ἐκ δὲ τῶν μάλιστ᾽ ἐγώ.

43. στεφάνους δέξαντο. Similiter ipse Pherenicus Hieronis equus coronas accepisse dicitur Py. III 132.

46. Pitana Laconiae urbs cum ipsa Sparta memoratur Eurip. Tro. 1101. Cf. Herod. III 55. Est et alia in Aeolide, de qua Strabo L. XIII p. 614, et alibi, et Steph. Byzantinus. Etiam Pitanen Elidis memorat Strabo L. VIII 343. Sed certe situm ad Eurotam non, id quod scholiasta vetus vult, idcirco Pindarus significavit, ut Laconica Pitana ab Aeolica distingueretur. Hoc autem loco heroina significatur, cui fuit ille locus cognominis. Dicitur a scholiastis veteribus ea filia fuisse Eurotae: reliquae hujus fabulae partes satis ex ipso Pindaro intelliguntur: hoc unum in scholio recentiore legimus, filiam recens natam a Pitane fuisse expositam, sed ab Aepyto inventam et educatam: verum ornatam esse a Pindaro fabulam.

47. ἐν ὥρᾳ. Herod. I 31.

51. παρθενίαν ὠδῖνα. Recte videntur scholiastae referre eo, quod virgo esse adhuc videretur et videri vellet: quamquam etiam de primo partu dici potest. Ὠδῖνα de ipso foetu etiam habet Euripides: Jon 44

εἴ τις Δελφίδων τλαίη κόρη
λαθραῖον ὠδῖν᾽ ἐς θεοῦ ῥῖψαι δόμον.

1487

δεκάτῳ δέ σε μηνὸς ἐν κύκλῳ
κρύφιόν γ᾽ ὠδῖν᾽ ἔτεκον Φοίβῳ.

52. κυρίῳ δ᾽ ἐν μηνί. Eurip. Jon 14

ἀγνὼς δὲ πατρὶ
γαστρὸς διήνεγκ' ὄγκον· ὡς δ' ἦλθεν χρόνος,
τεκοῦσ' ἐν οἴκοις παῖδ' ἀπήνεγκεν βρέφος.

54. πορσκίνειν δόμεν. Py. III 80 πόρε Κενταύρῳ διδάξαι. Py. IV 205 τράφεν Χείρωνι δῶκαν.

55. Phaesanam dicunt veteres scholiastae secundum communem omnium sententiam fuisse in Arcadia, secundum Didymum vero in Elide, at Aepyti tempore Arcades imperasse Elidi. Profluxisse autem Alpheum per Aseam Arcadiae, inde in Elidem. Eundem Alphei cursum Strabo demonstrat, et ejus origines fuisse prope origines Eurotae. L. VIII 343. Recte mihi videtur in uno vetere scholio Phaesana poni in iis locis, quibus Alpheus oriebatur. Non tantum hoc loco, sed etiam vs 129, antiqua gens Evadnes vindicatur Arcadiae. Verum, quo melius et hic locus intelligatur, et vs 129, ubi materna gens proavita Agesiae sub monte Cyllenio habitasse dicitur, et vs 144, quo eaedem origines gentis cum palude Stymphalide conjunguntur: breviter meam de his rebus sententiam proponam, ductam potissimum ex Pausania.

Nam Jovis et Callistus perantiquo tempore filius fuit Arcas, atque is regioni Arcadiae nomen dedit. Huic ex Nympha Erato filii fuerunt Azan, Aphidas et Elatus: quibus ille adultis regnum divisit tripartitum. Et ea quidem pars, quae Elato obtigit, fuit mons Cyllene, tunc adhuc nomine carens: ipse vero Elatus postea in Phocidem migravit et urbem Elateam condidit. Fuerunt autem illi quinque filii, Aepytus, Pereus, Cyllen, Ischys [1]),

1) Hic quidem memoratur Py. III 55.

Stymphalus. Et ab hoc Cyllene Elati filio mons Cyllenius nomen habuit, a fratre ejus Stymphalo urbs Stymphalus et lacus ejusdem nominis. Fuit autem Azanis filius Clitor, Aphidantis Aleus. Clitor quum sine prole decessisset, totum regnum Arcadiae accepit Aepytus: huic vero mortuo successit frater patruelis Aleus, utpote propior ab Arcade quam filii Aepyti. L. VIII C. IV.

Quamquam ergo ipsius Phaesanae situs non potest accurate definiri, tamen eam ad Alpheum sitam fuisse ex Pindaro apparet, et idonea causa esse videtur, cur eam existimemus in Arcadia prope origines ejus fluvii fuisse: ergo satis remotam a Cyllenio monte et lacu Stymphalo. Verum Aepytus ἀνδρῶν Ἀρκάδων ἄνασσε, Arcadibus imperavit: ergo, quamquam habitantis Phaesanae, tamen imperium ejus non illius urbis finibus terminatum sed per Arcadiam late fuit. Jure ergo ad illud etiam Cyllene et Stymphalus referuntur: eoque magis, si ad Aepyti gentem fratres quoque ejus pertinuisse existimemus, quibus quidem ita illa loca propria fuerunt, ut etiam nomina ab iis acceperint. Atque Aepyti tumulus, Αἰπύτιος τύμβος, memoratur ab Homero prope montem Cyllenium, Il. II 604. Itaque nulla ad Pindarum intelligendum restat difficultas geographiae. Hoc tamen intelligendum est, μάτρωας ἄνδρας Agesiae vs 130 ita dici, quia Evadne ab Aepyto educata et quasi adoptata fuerit, ibique natus ejus filius Jamus: Jamidarum vero gentem Elidi vindicari propter Pisaeum eorum oraculum.

60. κλέπτοισα. Eurip. Jon 946

κᾆτ' ἐξέκλεψας πῶς Ἀπόλλωνος γάμους.

65. περ'. Pro περὶ. Hom. Od. V 398

ὣς Ὀδυσῆ' ἀσπαστὸν ἐείσατο γαῖα καὶ ὕλη·

pro Ὀδυσῆι.

Hesiod. Theog. 733

τεῖχος δὲ περοίχεται ἀμφοτέρωθεν.

Ibid. 282

τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν, ὅτ' ἄρ' Ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς
γένθ'·

ὅτ' pro ὅτι. Eurip. Alc. 1128

καὶ μὴν προτείνω (χεῖρα) Γοργόν' ὡς καρατόμῳ·

pro Γοργόνι.

67. κάλπιδά τ' ἀργυρέαν. Quam secum prisco more, quasi aquam petitum, portaverat. Recte affert Karstenius Hom. Hymn. Cer. 106, ubi Celei filiae

ἐρχόμεναι μεθ' ὕδωρ εὐήρυτον ὄφρα φέροιεν
κάλπισι χαλκείῃσι φίλα πρὸς δώματα πατρός.

Et Od. VII 20, ubi Minerva venit

παρθενικῇ εἰκυῖα νεήνιδι κάλπιν ἐχούσῃ.

70. θεόφρονα. Certe propter eximium vaticinii et praesagii munus, cui destinatus erat, ita appellatur.

72. Non opus est, ut in Μοίρας etiam repetamus πραϋμητίδας: in verbo συμπαρέστασεν jam auxilii significatio est.

73. ὑπό. Significat motum de loco. Hom. Il. XXI 56

Τρῶες
αὖτις ἀναστήσονται ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος.

Idemque est Hesiod. Theog. 658 in quibusdam libris

ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος
ἄψοῤῥον ἐξαῦτις ἀμειλίκτων ὑπὸ δεσμῶν
ἠλύθομεν·

ubi Lennepius edidit ἀπὸ ζόφου et ἀπὸ δεσμῶν. Et 669

οὕς τε Ζεὺς Ἐρέβευσφιν ὑπὸ χθονὸς ἧκε φόωσδε.

Pind. Nem. I 53 de Hercule

ἐπεὶ σπλάγχνων ὕπο ματέρος αὐ-
τίκα θαητὰν ἐς αἴγλαν
παῖς Διὸς ὠδῖνα φεύγων διδύμῳ
σὺν κασιγνήτῳ μόλεν.

Et his quidem duobus Pindari locis ὠδίς ipsum uterum significat, quomodo etiam apud Sophoclem, Oed. Col. 533 παῖδες ματρὸς κοινᾶς ἀπέβλαστον ὠδῖνος. Adjectivo ἐρατᾶς eximiam quandam Evadnes formae venustatem atque etiam in amore fruendo amabilitatem significari existimo: quomodo in hac tota narratione inde a versu 50 singularis exprimitur gratia. Apud Eurip. Iph. T. 1071 Λατοῦς ὠδῖνα φίλαν alio quodam modo dictum est.

75. κνιζομένα. Recte scholiasta hoc, si ad partum spectat, contrarium videri dicit benevolo Ilithyiae auxilio, nisi forte κνισμὸν levem doloris sensum Poeta appellaverit: sed posse significari dolorem filii relinquendi. Posterius verum esse credo.

76. δύο δὲ γλαυκῶπες. Similiter de Erichthonio apud Eurip. Jon. 21

κείνῳ γὰρ ἡ Διὸς κόρη
φρουρὼ παραζεύξασα φύλακε σώματος
δισσὼ δράκοντε παρθένοις Ἀγραυλίσι
δίδωσι σῴζειν.

Dracones ad vaticinium aliquid effecisse putantur: scholiasta ad Py. VIII 64 Alcmaeonem in clypeo habuisse signum draconis docet, ut servaret signum ejus artis, qua pater ipsius Amphiaraus praestitisset. Eodem pertinere credunt mel: in Hymno Homerico in Mercurium 552 certae quaedam Parcae memorantur, quae

κηρία βόσκονται·
αἱ δ' ὅτε δὴ θυίωσιν ἐδηδυῖαι μέλι χλωρὸν,
προφρονέως ἐθέλουσιν ἀληθείην ἀγορεύειν.

77. δαιμόνων. Exspectares Φοίβου. Sed universe significatur Deorum voluntas.

85. ἐπιχθονίοις. Est quasi dativus commodi. Fore illum, qui dando mortalibus vaticinia praestaret reliquos.

86. οὐδέ ποτ' ἐκλείψειν. Xenoph. Oecon. VII 19 τῷ μὴ ἐκλιπεῖν ζώων γένη. Soph. El. 985 ὥστε μὴ 'κλιπεῖν κλέος.

88. εὔχοντο. Solet cum affirmandi significatione conjunctam habere aliquam gloriationem. Hoc loco tantum significat affirmare. Similiter Hom. Il. XVIII 498

δύο δ' ἄνδρες ἐνείκεον εἵνεκα ποινῆς
ἀνδρὸς ἀποφθιμένου· ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι
δήμῳ πιφαύσκων, ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι.

92. ἀκτῖσι βεβρεγμένος. Recte videtur vetus scholiasta humorem roris similem significari existimare; confert Hom. Il. XIV 351

στιλπναὶ δ' ἀπέπιπτον ἔερσαι·

verum ibi eae splendidae roris guttae de aurea nebula decidunt, non e floribus proveniunt. Mira autem Poeta elegantia guttulas radiorum nomine appellat ipsisque florum colores tribuit.

93. κατεφάμιξεν καλεῖσθαι. Cf. 54.

95. τοῦτ' ὄνυμ'. In glossemate est: ἀπὸ τοῦ ἀμᾶν, ὃ δηλονότι τὸ θερίζειν, ἴα, ὅ ἐστιν ἄνθη, λέγεται Ἴαμος. Nimis argute. Est nomen tantum a nomine florum.

96. In adjectivo τερπνᾶς nulla difficultas est, sed difficile est, adjectivum χρυσοστεφάνοιο ita ad juventutem referre, ut significetur ea aetas, quae cum oblectamento decora certaminum quaerat: cf. Ol. II 78, Ol. VIII 1: et est in glossemate: τῆς προξενούσης χρυσοῦν στέφανον: nam sic quidem Jamus ejus aetatis fructum nondum

attigerat, nunc primum aliquem sibi honorem petiturus. Scholiastae lanuginem significari existimant, qua quasi corona mentum et os cincta fuerunt. Ol. I 109 de Pelope

πρὸς εὐάνθεμον δ' ὅτε φυὰν
λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον.

Eurip. Phoen. 32 de Oedipo

ἤδη δὲ πυρσαῖς γένυσιν ἐξανδρούμενος.

Hom. Od. X 278 de Mercurio:

νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικὼς
πρῶτον ὑπηνήτῃ, τοῦ περ χαριεστάτη ἥβη.

Coloris autem aurei in ipso Jami patre Apolline exemplum est vs 71 ὁ χρυσοκόμας. Eodem nomine ornatur Dionysus, Hesiod. Theog. 947, et Ἔρως, Eurip. Iph. A. 538. Verumtamen haec quoque explicatio mihi haud satis placet. Melius mihi videtur Karstenius existimare, epitheton Deae Hebes ad ipsam aetatem translatam esse: cf. Py. IX 192 de procis Antaei filiae

χρυσοστεφάνου δέ οἱ ἥβας
καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι ἔθελον.

Ubi tamen καρπὸν alia significatione ponitur: nec tamen plane dissimili: ibi est καρπὸν ἀποδρέψαι, hic λαβεῖν. Ergo ἥβας καρπὸν λαβεῖν significare existimo ad maturitatem juventutis pervenire, puberem fieri.

97. Ἀλφεῷ. Id est εἰς Ἀλφεόν. Herod. III 61 κήρυκας τῇ τε ἄλλῃ διέπεμπε καὶ δὴ καὶ ἐς Αἴγυπτον. Soph. El. 747 τοῦ δὲ πίπτοντος πέδῳ.

Ceterum in scholio vetere legimus: τότε δὴ παραγενόμενος εἰς τὴν Ἐπίδαυρον ηὔξατο· ἐν μέσῳ γὰρ Ἤλιδος καὶ Ἀρκαδίας ἡ Ἐπίδαυρος, ὧν ἡ μὲν Ἀρκαδία τὴν ἀρχήν, ἡ δὲ Ἦλις τὰ πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς οἰκεῖται τοῦ ποταμοῦ· ἐνταῦθα οὖν ἐπεκαλέσατο τόν τε ἑαυτοῦ πρόγονον Ποσειδῶνα

καὶ τὸν τοξοφόρον καὶ ἔφορον τῆς θείας Δήλου τὸν ἑαυτοῦ πατέρα. In quo quid significet mentio Epidauri, non assequor, attamen video, abesse epitheti Neptuni *εὐρυβίαν* explicationem, quum singula Apollinis epitheta explicentur. Fortasse ergo scholiasta pro *εὐρυβίαν* aliquid legit, quod esset Epidauri simile. Tamen scholiasta recentior fere eadem habet, illius epitheti explicatione adjuncta.

101. *θεοδμάτας.* Similiter Fragm. Heyn. Prosod. I, Fragm. Boeckh. 58 de eadem insula *χαῖρ' ὦ θεοδμάτα.* Fortasse quia fixa fuit adventu et partu Latonae. Tamen Hom. Il. VIII 519 *θεοδμήτων ἐπὶ πύργων.* Soph. El. 707 *Ἀθηνῶν τῶν θεοδμήτων.* Eurip. Iph. T. 1415 *Ἀθήνας τὰς θεοδμήτους*: idem Hipp. 971. Androm. 1239 *Δελφῶν ἐς θεόδμητον πόλιν.* Et tamen, quia Athenae ac Delphi maxime caritate Deorum fuerunt urbes insignes, haud absurdum est credere, singularem Numinum curam hoc adjectivo significari, quam Deli habuerunt. *Σκοπὸς* Praeses, tutor, dominus: Ol. I 86 Dii *Ὀλύμπου σκοποί.*

102. *λαοτρόφον.* Proprie quod populum nutriat, i. e. quod populo prosit. *Λαότροφον*, quod a populo nutriatur. Prius credo hoc loco verum esse. Si tamen quis alterum praeferat, habet, quo suam sententiam tueatur. Cf. Ol. II 96 et Aesch. Choe. 301, et quae ad ea loca annotavimus.

106. *μετάλλασεν.* Multa de hoc verbo disputatio est. Karstenius allocutionem interrogationis instar putat, quasi diceret Apollo: visne surgere, mi fili, et illuc pergere, quo te ducam? Retineo quaerendi significationem: certe Apollo sciebat, ubi esset filius suus, nec frustra quaesivit: nec ignorantia loci potius quam cura et caritas

appropinquandi significatur, praesertim per noctis tenebras. Similiter in sermone nostro utimur verbo opzoeken.

107. πάγκοινον. προληπτικῶς: locum maximae celebritati destinatum.

108. Φάμας. Ipsius vox Apollinis.

112. Φωνάν. Apollinis vocem veram. Cf. Py. III 52. Videtur quidam spiritus divinus significari, quo Jamus inflaretur et praesagia Dei perciperet, aliis non intelligenda mortalibus. Vaticinia ex hostiis significantur vs 118. De hujusmodi duplici vaticiniorum genere cf. Nägelsbach, Nach-Homerische Theologie, p. 174.

118. De hac ara vide Ol. I 151 et quae ibi annotavimus. Certe ea fuit evecta magis quam reliquae, quippe Dei maximi et cui ludi consecrati erant. Tamen videtur ἐπ' ἀκροτάτῳ βωμῷ significare summam arae partem. Hom. Il. II 793

τύμβῳ ἐπ' ἀκροτάτῳ Αἰσυήταο γέροντος.

122. Ὄλβος ἅμ' ἕσπετο. Similis color est Ol. II 19

αἰών τ' ἔφερε μόρσιμος.

123. τεκμαίρει χρῆμ' ἕκαστον. Ἕκαστον potest esse adjectivum substantivi χρῆμα. Sed est potius accusativus masculini generis. Cognoscitur opere quisque suo. Ol. V 29

διάπειρά τοι
βροτῶν ἔλεγχος.

Ol. IX 113

ὥστ' ἔμφρονι δεῖξαι
μαθεῖν Πατρόκλου βιατὰν νόον.

Spectant haec ad laudes Jamidarum et Agesiae, quae universe sunt propositae, τιμῶντες κ. τ. λ., et quarum pars deinceps ea proponitur, quae Agesiae victoria

Olympia constabat. Nam ut omnino virtutes eorum factis apparuerunt, sic quoque certaminis eventus eximiam ei laudem vindicavit ope Deorum. Sunt quippe certaminum eventus incerti, et suspensa est, *κρέμαται*, reprehensio invidorum, imminet ea certaturis, sed vincitur illa et superatur facto, si quis in primo statim certamine decus egregium victoriae nanciscitur.

Boeckhius contendit, in civibus Syracusanis fuisse, qui jam tum Agesiae inviderent, atque hanc esse causam, cur Pindarus haec dixerit. Fuisse illos invidos eosdem, qui postea Agesiam, Hierone defuncto, occiderunt. Nec tamen explicat, quomodo illi cives invidi iidem fuerint, qui vs 10 appellati sunt non invidi. De caede autem Agesiae affirmat e scholio Urat. A ad vs 165: *ὅτι φίλος Ἀγησίας καὶ μάντις, ὃς ἀνῃρέθη Ἱέρωνος καταλυθέντος.* Nimis leve hoc testimonium existimo, et carens auctoritate: nulla praeterea de caede Agesiae narratio est. Ut vere dicam, non intellectum credo illud scholion a Boeckhio: est eo Pindari versu memoria de Hieronis et Agesiae amicitia: explicat scholiasta *φιλοφροσύνας*, quibus Poeta Agesiae festum ab Hierone acceptum velit: causam etiam adjicit hanc, quod, quum ille vates regis esset, sors alterius penderet ab alterius sorte, ut, si regis potentia solveretur, etiam vatis auctoritas ac dignitas sublata foret: itaque illos inter se amare et adjuvare oportere.

128. *ποτιστάξει.* Scriptura haec est etiam in uno vetere scholio: *τὸ δὲ ποτιστάξει, ἐπιχαρίτους ποιήσει τοὺς νικῶντας.*

128. *χάρις.* In victoria tribuenda memoratur etiam Ol. II 90. *Εὐκλεᾶ μορφὰν* recte vetus scholiasta expli-

cat διὰ τὸ περιβλέπτους εἶναι τοὺς νικῶντας· καὶ ἐπιχάριτας· καὶ λαμπρούς.

129. Jam de Elatidis ac de Aepyto antea monuimus, et satis apparet, quomodo Agesiae materni majores Mercurium Cyllenium et Arcadiae Praesidem impense adoraverint. Simili modo Theroni propter Dioscurorum cultum victoria tribuitur, Ol. III 70.

132. λιταῖς θυσίαις. Prius hoc loco est adjectivi instar: sacrificia significantur cum precibus conjuncta. Similiter Py. IV 385 λιτὰς ἐπαοιδάς.

134. ὃς ἀγῶνας ἔχει. Ist. I 85

ὅσ' ἀγώνιος Ἑρμᾶς
Ἡροδότῳ ἔπορεν ἵπποις.

136. τιμᾷ. Eodem modo Ol. V 41 Jupiter

τιμῶν τ' Ἀλφεὸν
εὐρὺ ῥέοντα Ἰδαῖ-
όν τε σεμνὸν ἄντρον.

141. Adjectivum λιγυρᾶς ita quidem ad ἀκονᾶς referri potest, ut stridor significetur, verum ille stridor non potest habere καλλιρόους πνοάς. Verum est duplex comparatio: prior cotis, altera soni: ad soni comparationem pertinent λιγυρᾶς et πνοαῖς. Nulla igitur stridoris hoc loco significatio est. Ἀκονή acuit, θήγει, acriter excitat: Ol. X 23

θήξαις δὲ φύντ' ἀρετᾷ ποτὶ
πελώριον ὥρμασε κλέος ἀ-
νὴρ θεοῦ σὺν παλάμᾳ.

Dicit Poeta, se habere cogitationem cotis in lingua, habere se sensum acris excitationis, jamque non pectore reconditum, sed ore pronuntiandum. Tum ei excitationi tribuit sonum dulcemque flatum, quo volens attrahatur

et pelliciatur, ut soni ejus blanditiis obtemperet, ut hilari ac libenti animo cogitata pronuntiet. Duplicis ejusmodi comparationis exemplum etiam est Nem. III 134

μεμιγμένον μέλι λευκῷ
σὺν γάλακτι — πόμ' ἀοίδιμον Αἰο-
λῖσιν ἐν πνοαῖσιν αὐλῶν.

Et Nem. VIII 25

μίτραν καναχηδὰ πεποικιλμέναν.

143. ματρομάτωρ κ. τ. λ. Asopus fluvius secundum Apollodorum Oceani et Tethyis filius fuit et duxit uxorem Metopen, Ladonis fluvii filiam: e filiabus Asopi et Metopes memorat Aeginam, L. III C. XII. Apud Herodotum, V 80, Asopi dicuntur filiae Thebe et Aegina: et consentit ipse Pindarus, Ist. VIII 37. Metope ubi fuerit, non comperi: meminit ejus Callimachus, Hymn. in Jovem 26

νίσσετο δ' ἀνὴρ
πεζὸς ὑπὲρ Κρᾶθίν τε πολύστειόν τε Μετώπην.

Et scholiasta vetus eum versum, saltem vocabula πολύστειόν τε Μετώπην afferens, dicit, secundum Callimachum Metopen fuisse in Arcadia. Quod quomodo inde effecerit, non satis scio. Scholiasta recentior dicit, Metopen habitam fuisse filiam Stymphalidis, propterea quod Stymphalide cingeretur. De Ladone constat, fluvium eum fuisse Arcadiae: vide Pausaniam L. VIII C. XXV 2, et permulta alia loca. Sive autem Metopa propter suum situm, sive propter patrem Ladonem, sive propter matrem Stymphalidem Stymphalis dicta est: hoc videmus, propter illam a Pindaro Arcadiae ac Thebarum cognationem laudari. Asopus quidem fuit in Phliasia, et alter in Boeotia: Aesopum suum Phliasii patrem Thebes

esse contenderunt, contra vero Thebani suum: Pausan. L. II C. V 2.

Fuit autem Thebis templum Herculis, ibique expressa a Praxitele pleraque ex duodecim Herculis operibus: verum certamen ejus adversus aves Stymphalicas praetermissum: Pausan. L. IX C XI 3. Atque hoc ita factum esse in amicitiae et cognationis Thebae et Stymphali testimonium non affirmavero, sed tamen memorandum esse judicavi.

144. *εὐανθής*. Epitheton Nymphae venustae.

145. *Πλήξιππον*. Epitheton civitatis propter civium fortitudinem Nymphae tributum. Ist. I 1

Μᾶτερ ἐμὰ χρύσασπι Θήβα.

Scholiasta ad Py. IV 25, afferens exemplum: *εὐάρματε χρυσοχίτων ἱερώτατον ἄγαλμα Θήβα*: ostendit omnino, epitheta locorum et heroidum communicari inter se.

146. *τᾶς ὕδωρ*. In scholiis veteribus *τᾶς* refertur ad Metopen: nec hoc proprie interpretantur, sed gustatione aquae Arcadicae significari laudes et carmina, quae Pindarus donat Agesiae. Non ita esse mihi videtur. *Τᾶς* refero ad Theben: ejus, matris suae, dilectam aquam se bibere canit: sive ea aqua Ismeni fuit, qui et ipse filius Asopi fuit: Apollod. L. III C. XII: sive quaevis alia agri Thebani.

147. *αἰχματαῖσι*. Cf. annotatio ad vs 19. Ad sententiam Cf. Ol. VII 12.

149. *Αἰνέα*. Aenean chori magistrum fuisse, cui Poeta carmen commiserit, tradunt scholiastae.

150. *Ἥραν Παρθενίαν*. Junonem a Samiis in primis adoratam fuisse notum est omnibus: atque eam natam fuisse apud se ad fluvium Imbrasum dixere Samii: Pausan. L.

VII C. IV 4. Eum autem Imbrasum antea Parthenium dictum fuisse, et ab illo ipsam insulam Partheniam appellatam, docet Strabo L. X p. 457. Et ex Callimacho affert scholiasta vetus ad h. l.

ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης Ἴμβρασε Παρθενίου.

Apollonius Rh. L. I 187:

Ἰμβρασίης ἕδος Ἥρης
Παρθενίην.

Fortasse haec memoria conjuncta fuit cum causa ejus cognominis, quod a Poeta Junoni tribuitur. Et ad Nauplium fuit fons Canathus, ubi Junonem Argivi narrant quotannis lavari et virginem fieri. Pausan. L. II C. XXXVIII 2. Verum alia exstat memoria, Stymphalo magis propria. Nam apud se ipsi Stymphalii Junonem educatam esse dixerunt a Temeno, et tria templa huic Deae ab eo condita, cognominibus tribus additis, Puellae, quum virgo esset, Τελείας, quum nupta Jovi, Viduae, quum a Jove discessisset et Stymphalum rediisset. Pausan. L. VIII C. XXII 2. Atque in hac vetere memoria causam esse existimo, cur primas Junoni laudes tribui Poeta velit. In scholiis cognominis causa etiam refertur ad montem Parthenium: memoratur etiam, quosdam dixisse, ab Agesia signum Junonis positum esse: sed nulla hujus famae affertur auctoritas, et videtur ea ex hoc loco ficta esse.

151. *γνῶναι.* Scholiasta recentior transitive explicat, *γνώριμον ποιῆσαι*: idque sequitur Heynius, conferens Ol. XIII 3: non recte ut credo. Si apparere videtur vs 153, Aenean a Pindaro missum esse cum carmine: at Chorum quoque a Poeta missum esse et e Thebanis constitisse minime apparet, neque id verisimile esse existimo: po-

tius e vss 153 ad 157 effici videtur, solum Aenean missum esse cum carmine et quasi cum mandatis ad eos, qui Stymphali festum Agesiae essent celebraturi: atque eos non Stymphalios fuisse, nulla ratione probabile est. Et fortasse ipse Aeneas Stymphalius fuit, et Thebas ad Pindarum venit, et accepto carmine et carminis modo rediit. Neque id ipsum satis constat. Ἄγγελος et σκυτάλα Μοισᾶν appellatur: certe igitur per illum carmen traditum est choreutis: verum in oratione poetica aliquid sane ornamenti est, neque absurdum est credere, choragum carmen ad se a Pindaro missum tradidisse choreutis. Monere igitur Poeta videtur, ut hi cognoscant, an veterem de Thebanorum stupiditate ignominiam fugiat. Ἀλαθέσιν λόγοις ab eodem scholiasta refertur ad γνῶναι: sed omnino referendum est ad φεύγομεν: quippe ea vera laus, quae falsam ignominiam superaret, ipso hoc carmine Pindaro videbatur contineri jure merito.

152. Βοιωτίαν ὗν. Notum vulgo est, quod Cornelius Nepos tradidit, genti Thebanorum plus inesse virium quam ingenii: Epam. C. V: et quae a Xenophonte, Anab. L. III. C. I. 26 de Apollonida narrantur, in iis etiam ponitur, illum βοιωτιάζειν τῇ φωνῇ: idque certe ille memoravit, ut hominem, quem vehementer contemnebat, etiam inurbanum fuisse significaret. Atque in rudis rusticitatis ignominiam conversum fuit vetus Hyantum, Boeotiae populi, nomen. Strabo, L. VII p. 321: τὴν Βοιωτίαν ἔσχον Ἄονες καὶ Τέμβικες καὶ Ὕαντες· ὥς δὲ Πίνδαρός φησιν·

Ἦν ὅτε ὕας Βοιώτιον ἔθνος ἔνεπον.

Atque ex Cratino affert scholiasta vetus:

Οὗτοι δ' εἰσὶν Συοβοιωτοὶ, κρουπεζοφόρον γένος ἀνδρῶν.

153. ἄγγελος κ. τ. λ. Egregie laudat Aeneam, et quam recte illi sua carmina committat, ostendit. Scytalae satis notum est quis usus apud Lacedaemonios fuerit, et quomodo in ea Ephori mandata ad imperatores pervenire voluerint. Inest ergo, quum tanta cum ejus usu conjuncta esset gravitas, magna in hac comparatione dignitas: praesertim quum non suam, sed ipsarum Musarum eum appellet scytalam: nec minor in comparatione crateris, ex quo praeclara carmina haurienda forent. Longe dissimiliter eadem comparatione utitur Aristophanes, Acharn. 936 de sycophanta: πάγχρηστον ἄγγος, κρατὴρ κακῶν.

156. Jam materna proavorum Agesiae sede celebrata, ad praesentis patriae laudem, quam attigit vs 8, celebrandam pergit. In Ortygia insula prima et magna pars Syracusarum fuit.

159. φοινικόπεζαν. Divinae pulchritudinis, et deinceps λευκίππου divinae dignitatis epitheta sunt, nec quaedam praeterea in his adjectivis expressa significatio esse videtur.

160. Ἀμφέπει. Apud Herodotum, L. VII 153, Telines memoratur, e majoribus Gelonis, qui apud Geloos sacerdotium habuerit Deorum certorum et posteris reliquerit: ii posteri ἱεροφάνται τῶν χθονίων θεῶν διετέλεον ἐόντες. In scholiis veteribus ad h. l. Hiero dicitur sacerdotium habuisse vel Cereris et Proserpinae, vel harum et Jovis Aetnaei: et in scholio Urat. A adjicitur, eum illud habuisse ἐκ διαδοχῆς Λίνου τοῦ προγόνου αὐτῶν: ubi Boeckhius edidit Τηλίνου pro Λίνου: recte, ut credo. In alio quoque scholio additur sacerdotii commemorationi ἄνωθεν ἐκ προγόνων. Atque haec scholiastarum

testimonia vel ex Herodoto vel e convenientibus cum Herodoto narrationibus petita esse videntur: ipsa tamen aliquam praebent difficultatem. Nam qui sunt illi χθόνιοι θεοὶ, quorum sacra habuit Telines, et posteris tradidit? Sunt aut ἐπιχώριοι, Siciliae proprii, certe Ceres et Proserpina, quibus ea insula supra reliquas terras sacra fuit, et adjungi potuerit aliquo modo, quamvis vix congruo, Jupiter Aetnaeus, ἐπιχώριος habendus propter montem Aetnam. Verum apud Herodotum L. VI 134, 135 etiam memorantur χθόνιοι θεοὶ, eaque memoria non ad Siciliam sed ad Parum insulam pertinet, et tamen Demeter Thesmophora in iis est praecipua. Ergo probabile mihi videtur, illos χθονίους θεοὺς, quorum sacra habuerit Telines, etiam fuisse Cererem et Proserpinam, non propter Siciliae loca, sed propter praesidium Cereris in procreando frumento et propter filiae ejus sedem in inferis. Ita sane ab illis sejungeretur Jupiter Aetnaeus. Praeterea Telines eorum Deorum sacerdotium habuit Gelae: non ergo constat, Gelonem tum, quum Syracusas migraret, illud quoque in eam urbem transtulisse et una cum regno Syracusarum fratri Hieroni reliquisse. Hae ergo manent difficultates in aestimandis scholiastarum de Hieronis sacerdotio testimoniis. In ipso verbo ἀμφέπει nulla est necessaria sacerdotii significatio: significatur curandi actio. Igitur impensa cura significari videtur, qua sacris faciendis festisque celebrandis Hiero Cererem, Proserpinam, Jovem Aetnaeum coluerit.

162. Ζηνὸς Αἰτναίου. Boeckhius epitheton ad urbem Aetnam refert, ab Hierone conditam. Referendum potius videtur ad montem. Conf. Ol. IV 10, et quae ibi annotavimus. Non recte ergo Boeckhius hinc efficit,

victoriam Agesiae fuisse post Aetnam conditam. Conf. pag. 374.

162. ἀδύλογοι. Conf. Ol. I 22.

163. γιγνώσκοντι. Conf. Ol. VII 153.

163. μὴ θραύσοι. Conf. Ol. VIII 37

ὁ δ' ἐπαντέλλων χρόνος
τοῦτο πράσσων μὴ κάμοι.

165. Videtur Agesias victor primum Stymphalum abiisse, inde vero Syracusas rediisse. Habuisse illum in utraque urbe civitatem, id quod nonnulli efficiunt ex vs 167 οἴκοθεν οἴκαδε, vix credibile esse existimo: habuisse eum Stymphali gentiles, apparet e vs 40, ἀνδρῶν γένος, et 130 μάτρωες ἄνδρες: ergo propter generis proximitatem Stymphali quasi domesticus fuit.

169. ματέρ' Ἀρκαδίας Quaeritur, quomodo Stymphalus dicatur mater Arcadiae. Sunt, qui ματέρα ad Agesiam referant, et Ἀρκαδίας partitive quasi positum putent, ut significetur urbs ea, ex qua Agesias oriundus sit, et quae sit urbs Arcadiae. Verum id quidem non probo. Quam vetus fuerit urbs Stymphalus, et quomodo ab Aepyti fratre nominata, ut nomen illud nominis Cyllenii montis vetustatem adaequaverit, attigimus supra, pag. 186. Ergo poetice ornans hic certe Pindarus eam illo honore evexit.

170. ἀγαθαὶ δὲ — δύ' ἄγκυραι. Scholiastae hoc ita explicant, Agesiam duas patrias habuisse, Stymphalum et Syracusas, atque id pertinuisse ad ejus securitatem. Similiter Boeckhius: et dicit praeterea, prudentissimum fuisse a Poeta datum Agesiae consilium. Quodsi hic Stymphalo patria uti maluisset, non interemtum eum fuisse: neque eam caedem Poetam praevidisse, sed tamen

Agesiam invidia pressum vidisse apud cives Syracusanos, ob Hieronis haud dubie amicitiam eique praestitam operam: hac de causa haec Pindarum addidisse. Quid autem de illa Agesiae caede et invidia existimemus, jam explicavimus ad vs 123 pag. 393. Hoc quidem nunc addimus, mirum videri nobis, Agesiam invisum fuisse Syracusanis propter amicitiam Hieronis, ejus, qui erat eos *καθαρῷ σκάπτῳ διέπων, ἄρτια μηδόμενος.* Verum a scholiastarum quoque explicatione discedo. Cohaerere haec mihi videntur cum Hieronis laudatione et referri ad ejus et Agesiae amicitiam. Comparatio ipsa satis est clara et perspicua: ut navis duabus firmata anchoris haud facile tempestate quassatur, sic in amicitia esse vitae praesidium, si amicus adjuvet amicum.

174. *τῶνδ' ἐκείνων τε.* Syracusanorum et Stymphaliorum.

176. Neptunum invocari putat unus scholiastarum, quod Agesias ejus sit progenies, quippe ex Jamo, ex Evadne, ex Neptuno et Pitana. Alii *πλόον* significari crediderunt vitae cursum. Omnino significari existimo navigationem in Siciliam, et Neptunum non aliam ob causam appellari nisi quia sit Deus maris. Quod autem Neptunum Poeta appellet Amphitritae maritum, sunt qui id propter singularem causam fieri existiment, sive ut quasi comis et tranquillus pater familias repraesentetur, sive ut Poeta eum commemoratione conjugis carissimae demulceat. Non ita est. Est epico more ita dictus, quomodo apud Homerum Il. I 36

Ἀπόλλωνι ἄνακτι τὸν ἠΰκομος τέκε Λητώ·

Pind. Ol. II 140

Κρόνος

πόσις ὁ πάντων Ῥέας
ὑπέρτατον ἐχοίσας θρόνον.

Py. IV 155

χαλκάρματος πόσις Ἀφροδίτας.

178. χρυσαλακάτοιο. Quae aureo colo utatur: est tantummodo muliebre regiae vel hic divinae dignitatis epitheton.

179. πόσις. Ad exemplum ultimae syllabae productae, quod ex Aeschylo in notis criticis attuli, conferatur etiam Hesiod. Theog. 334

γείνατο δεινὸν ὄφιν, ὃς ἐρεμνῆς κεύθεσι γαίης.

180. ἐμῶν δ' ὕμνων. Mirum quodammodo videatur, carminum laudem commendari Neptuno, quem haud satis constat poeticae arti deditum fuisse: verum pias pii Pindari preces quis Deorum non exaudiverit? Et certe trans mare ferendo et Agesia tutando poterat Neptunus augere Pindari carminum gloriam.

Ceterum Agasias Stymphalius centurio saepe memoratur a Xenophonte, Anab. L. IV C. I 27, C VII 11, L. VI C. IV 11: et Agesias Eleus vates, L. VII C. VIII 10. Aeneas Stymphalius centurio L. IV C. VII 13. Verum eos attigisse genus Agesiae ejus, qui hoc carmine canitur, et choragi, haud affirmavero.

OLYMPIA VII.

Diagoras, Demageti, ut ostendit Poeta vs 32, filius, ex nobilissima gente Rhodiorum Jalysia oriundus fuit. Tradit Pausanias L. IV C. XXIV 1 et L. VI C. VII 1, Demagetum regem Jalysium ex Apollinis Delphici

praecepto, Graecorum fortissimi viri filiam ipsi esse ducendam, uxorem duxisse filiam Aristomenis regis Messenii tertiam, quum neminem Aristomene fortiorem judicasset. Ex his natum esse Dorieum: ex Dorieo Demagetum: ex hoc Diagoram: ex Diagora oriundos esse Diagoridas Rhodios. Verum eum Diagoram quominus eundem fuisse existimemus, qui hoc carmine celebratur, aetatum computatio vetat: tum ipse Pausanias, quum L. IV C. XXIV se ea praetermittere dicat, quae ad Diagoridas pertinerent, ne in rebus Messeniorum enarrandis a proposito aberrare videatur, postea vero L. VI C. VII in victoribus Olympicis memorandis diserte de hoc Diagora ejusque filiis et nepotibus exponat, videtur Diagoram auctorem Diagoridarum ab hoc Olympionica distinxisse. Quodsi statuerimus, fuisse illius Diagorae filium Demagetum hujus Diagorae patrem, aetatum ratio convenire temporibus videbitur. Nam belli Messenii, quo Aristomenes inclaruit, initium fuit Ol. XXIII: Pausan. L. IV C. XV 1: Diagoras autem, ut in scholiis scriptum est, Olympiam victoriam reportavit Ol. LXXVIIII: ergo illi spatio duorum amplius saeculorum computatio septem fere aetatum omnino congruit.

In scholiis traditur Diagoras ingenti fuisse statura corporis. Reportavit idem et Pythiam et alias victorias plurimas, quae singulae in hoc carmine memorantur. Ac postea tres ejus filii et duo e filiabus nepotes fuerunt Olympionicae: vide scholia et Paus. L. VI C. VII. Filii ejus Olympionicae fuerunt Demagetus, Dorieus, Acusilaus: nepotes ex filiabus Eucles et apud scholiastam Pisirrhotus, apud Pausaniam Pisirodus: rhetorice fortasse magis quam historice Plutarchus memorat υἱοὺς, υἱωνοὺς

καὶ θυγατριδοῦς. Pelop. 34. Quorum singulorum statuas Olympiae Pausanias vidit. Atque illum Olympiae per multitudinem a filiis victoribus portatum et ab uuiverso Graeciae coetu floribus conjectis persalutatum esse fama est. Et accessit ad illum Laco et gratulatus: morere, inquit, Diagora, non enim in coelum adscensurus es. Schol. ad h. l. Cic. Tusc. I 46, Paus. l. l., Plut. Pelop. 34. Aliter Gellius, in stadio, inspectante populo, in osculis atque in manibus filiorum animam efflavisse narrat: Noct. Att. L. III C. 15. Filia ejus apud Pausaniam et in schol. Urat. A Callipatira, in reliquis scholiis, quantum scio, Aristopatira appellatur; secundum Pausaniam ea Eucleos mater, secundum scholia mater Pisirrothi fuit. Huic Callipatirae propter tot gentis coronas Hellanodicas aditum ad ludos spectandos concessisse etiam fama fuit. Schol.

Ipsius quoque Diagorae statua Olympiae fuit, facta a Callicle Megarensi. Pausan. Quin etiam ejus originem consecrarunt, et fuerunt, qui eum, quum mater ejus forte in Mercurii fano obdormivisset, et Deus ad illam venisset, Mercurii filium fuisse perhiberent. Schol. De Mercurio certaminum praeside certe hujus famae memoria est. Vid. Ol. VI 134 ibique annotatio nostra. Similis autem fama de Aristomene, atavo gentis ejus materno, traditur a Pausania, L. IV C. XIV 5.

Scribendo hoc carmine Pindarus et initia capit a laudibus Diagorae et ad easdem postea redit: pleraque celebrat de veteribus Rhodi laudibus. Quas quum ornaret, non aliud spectavit nisi ut victoris patriam laudaret: sunt quidem in narratione interpositae sententiae, quae ad sapientiam commendandam pertineant: quae quibusdam

visae sunt ad certas quasdam res praesentes Rhodiorum vel ipsius Diagorae pertinere: verum id mihi non ita esse videtur. Sponte cum victore clarissimam Rhodi vetustatem ipsiusque victoris antiquam et gloriosam originem copulat: ut solet vix a victorum laudibus civitates illorum et majores sejungere: in narrando autem ex profundo ingenio profert ejusmodi monita, quae quasi vates rerum eventum vitaeque humanae rationem et Deorum curam et providentiam intelligens silere non potest: *ἔχω καλά τε φράσαι· ἄμαχον κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος*: Ol. XIII 14. Atque in iis, qui narrationes Pindari et monita ad certas res praesentes accommodata esse existiment, est sane vel in primis Ludolphus Dissenius. Is autem opinatur, illum Diagoram, a cuncta Graecia maxime nobilitatum pugilem, in pugilatu Olympiae unum ex adversariis gravius vulnerasse et mortis ei auctorem exstitisse. Atque id ita fuisse maxime existimat, propterea quod vs 49 hujus carminis narratur Tlepolemus occidisse Licymnium. Cleomedem narrant in pugilatu occiso adversario Icco ab Hellanodicis, propterea quod injusta fecisset, corona orbatum fuisse et aegritudine correptum insaniisse: Pausan. L. VI C. IX 3. At Diagoras non corona orbatus sed quasi pro felicissimo pugile habitus, et hoc de illo carmen aureis literis in ejus patria consecratum est. At Dissenius invitum fecisse opinatur. Non invitum fecisse Cleomeden nec ullum testimonium vel documentum est nec verisimile est. An caedes quamvis involuntaria apud Graecos cum summa laetitia et aureo decore conjuncta esse potuit? An non Peleus ac Telamon propter involuntariam caedem ab omnium justissimo Aeaco expulsi patria? An non Adrastus propter simile

factum primum infelix et exsul, et iterato facto sibi jam vitam non ésse vitalem existimans incubuit suo gladio? Herod. L. I 35—45. An vero in reliqua quidem Graecia ea sententia fuit, ab Olympia vero et maxime sacro luco abfuit? Attamen legimus, Olympiae in donis consecratis fuisse bovem aeneum, a Corcyraeis donatum: factum autem esse casu fortuito, ut parvulus puer sub eo bove sedens luderet, et imprudenter sublato capite collideretur ita ut intra paucos dies vulnere absumtus esset. Tum Elei bovem hunc, ἅτε αἵματι ἔνοχον, ut caedis reum, ex Alti exportare voluerunt: sed Deus Delphicus jussit illum eo ritu expiari, quo Graeci solerent uti in expianda caede involuntaria. Pausan. L. V C. XXVII 6. At sane Diagoras non expianda sed laudanda perpetravit.

Carmen hoc Pindari, ut in scholiis traditur, idque jam attigi, aureis literis Rhodi in templo Minervae Lindiae consecratum est. Nec mirum. Habet enim incredibilem Diagorae laudandi suavitatem, et ita ad Rhodiorum gloriam ornandam pertinet, ut non potuerint praeclarius monumentum ponere.

In scholio vetere ad inscriptionem memoratur Apollas. Idem nomen legimus apud Athenaeum, L. IX pag. 369, scriptoris de urbibus Peloponnesi.

Exordium faciens comparat Poeta sua carmina cum patera aurea, quam donet in nuptiis socer genero: 1—17. Accedit ad laudes celebrandas Rhodi, Diagorae, et patris ejus Demageti: 17—35. Narratio de Tlepolemo, quomodo is, occiso Licymnio, jussu Apollinis Rhodum abierit: 36—62. In eam a Jove demissum esse aurum, quum nasceretur Minerva, et Solis monitu Rhodios Deae

fecisse sacra, verum imprudentia quadam fecisse ea sine igne: 62—89. Favisse illis Jovem, et omnes artes eos docuisse Minervam: 89—99. De Sole vetusta narratio, quomodo ille, quum terrae dividerentur Diis, abfuerit, novam vero sortitionem fieri vetuerit, sibique sumserit adhuc undis obrutam sed mox nasciturum Rhodum insulam: 100—126. Nascitur illa: ex ea procreat Sol septem filios: quorum progenies tripartita, Jalysus, Camirus, Lindus, regionem habuit: 127—140. Ibi invenisse Tlepolemum compensationem malorum, et festa illi sicut Deo fieri: 141—146. Diagorae in iis festis victoriae: 147, 148. Ejusdem aliae victoriae multae: 148—159. Preces ad Jovem de honore Diagorae: 159—170. De ejus gente: 170—175.

1. Praestantissimum exordium exquisita comparatione descriptionem habet amoris et benevolentiae, qua Poeta victores prosequitur, et incredibilis oblectamenti, quod illis sua carmina praebeant. Ἀφνειὰν appellat manum, qua patera donetur a socero, liberalitatem et opulentiam significans: quae comparatio tamen ita ad socerum pertinet, ut sponte etiam ad Poetam referatur, qui non parvus difficilia poemata pangat, sed divite vena larga donet carmina. Verum id arte sua eximia Pindarus indicat magis quam aperte comparationem onerando declarat.

2. ἀπὸ χειρός. Non cum ἑλὼν conjungendum est, verum cum δωρήσεται. Participium ἑλὼν verbo δωρήσεται additum est copia quadam orationis, Homero maxime propria: velut Il. I 139 ἄξω ἑλών· 301

τῶν οὐκ ἄν τι φέροις ἀνελὼν ἀέκοντος ἐμεῖο·

Il. IX 216 σῖτον ἑλὼν ἐπένειμε τραπέζῃ. Conf. Il. XXIII

551, Od. IV 66, 525. Ergo ἀπὸ χειρὸς, quum adjectivum ἀφνειᾶς, de quo modo explicuimus, adjunctum habeat, minime otiosum est.

3. καχλάζοισαν. Aesch. S. c. Th. 116 κῦμα καχλάζει. Cf. Ol. IX 3 ibique annotatio nostra.

4. δωρήσεται. Similis futuri usus est in comparatione Hom. Il. V 90

οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει ἀλωάων ἐριθηλέων
ἐλθόντ' ἐξαπίνης (ποταμὸν), ὅτ' ἐπιβρίσει Διὸς ὄμβρος.

161

ὡς δὲ λέων ἐν βουσὶ θορὼν ἐξ αὐχένα ἄξει
πόρτιος ἠὲ βοός.

5. προπίνων. Verbum hoc etiam de donatione ponitur, et vel de proditione, velut Eurip. Rhes. 402 Hector Rheso serum adventum exprobrans:

Ἕλλησιν ἡμᾶς προὔπιες τὸ σὸν μέρος.

In scholiis veteribus explicatio est χαρίζεσθαι, δωρεῖσθαι. Verum propria propinandi significatio a Cicerone exprimitur Tusc. I 40: Graeci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sint. In propinandi autem simul et donandi significatione hoc verbo utitur Demosthenes de falsa legat. 384: καὶ τελευτῶν ἐκπώματα ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ προὔπινεν αὐτοῖς: Philippus Thebanorum legatis. Ubi etiam donationem significari apertum est ex iis, quae porro adjiciuntur: illos ea repudiasse, et unum dixisse: αὐτοὶ μὲν οὖν ὑπάρχειν αὐτῷ φίλοι καὶ ξένοι καὶ ἄνευ τῶν δώρων τούτων. Posset ergo hic apud Pindarum idem significare: verum quum donatio jam verbo δωρήσεται significetur, propria propinandi significatio ita retinenda est, ut tamen, quum alterutrum abesse posset, praeclara orationis abundantia attendatur.

6. *πάγχρυσον*. Junge cum *φιάλαν*, non cum *κορυφάν*.

8. Accusativum *χάριν* non a verbo *τιμάσαις* pendere credo, verum adverbialiter positum esse, ut saepius, vel ut *πρὸς χάριν*, ut Ol. VIII 10. Duplex significatur dandi pateram consilium: alterum ut convivio ipsi decus et gaudia ferat, alterum ut suam affinitatem generumque honoret: in constructione orationis est mutatio: grammaticae convenientiae si obsequendum putaret, scribere Poeta potuerat: *πρὸς συμποσίου τε χάριν πρός τε κάδεος τιμὰν ἑοῦ*.

9. *ἐν δὲ*. In glossa hoc conjungitur cum *θῆκε*, ut sit pro *ἐνέθηκε*. Melius in scholio recentiore: *ἐν δὲ, ἤγουν σὺν τούτοις*: id est, in eo, dum hoc facit.

11. Cf. Hom. Od. VI 182

οὐ μὲν γὰρ τοῦγε κρεῖσσον καὶ ἄρειον
ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
ἀνὴρ ἠδὲ γυνή.

12. *νέκταρ χυτόν*. Scholiasta vetus explicat *αὐτόχυτον, ἄκρατον*: merum. Quod non ita mihi videtur. Abundanter quasi usu epico additum esse existimo, ut apud Homerum Il. I 106 *λαμπρὸν φάος ἠελίοιο*, Il. VI 182 *πυρὸς αἰθομένοιο*, Od. X 364 *λίπ' ἐλαίῳ*, et sexcenties: cujus moris etiam apud Pindarum haud pauca sunt vestigia, velut quod modo vidimus vs 2 *ἑλών*. Significatio autem non esse videtur liquidi, sed fusi, hausti.

15. *ἱλάσκομαι* habere solet accusativum, velut Hom. Il. I 444 *ὄφρ' ἱλασόμεσθα ἄνακτα*. Tamen apud Plutarchum, Poplic. 21 legimus *ἐκ τῶν Σιβυλλείων ἱλασάμενος τῷ Ἅιδῃ*. Praeterea apud Pausaniam L. II C. XI 6 *ᾧ δ' ἂν ἐνταῦθα τούτων ἱλάσασθαι θελήσῃ τις*: qui tamen locus non caret vel interpretandi vel fortasse emendandi

difficultate. Sed recte Dissenius h. l. *νικώντεσσιν* cum *ἀνδράσιν* conjungit, qui dativus pendet a *πέμπων*, et in *ἱλάσκομαι* intelligit *αὐτοὺς*, idque significare existimat exhilarare, quum etiam *ἵλεως* significet laetus, velut Plat. Symp. 206 D *ἵλεών τε καὶ εὐφραινόμενον — σκυθρωπόν τε καὶ λυπούμενον*. Ipsum Latinum nomen hilaris ab hoc Graeco vocabulo deductum videtur. Atque ipsa maxime usitata significatio verbi *ἱλάσκομαι*, in placandis Diis posita, cum oblectandi significatione conjunctissima est: quum victimis quasi epulis Dii olim gauderent, velut Od. I 26 Neptunus venit ad Aethiopes

ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης·
ἔνθ' ὅγε τέρπετο δαιτὶ παρήμενος.

Et Il. I 472 *ἱλάσκεσθαι* cum *μέλπειν* et *τέρπειν* conjungitur: Graeci sedant iram Apollinis:

οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο,
μέλποντες Ἑκάεργον· ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων.

Recte ergo scholiasta vetus: *ἱλαροὺς αὐτοὺς καὶ εὐχαρίστους ἀποτελῶ.*

16. Olympia et Pythia hic memorat, quippe clarissima, praesertim quum Diagoras in utrisque victor fuisset: cf. 28, 31.

17. *ὁ δ' ὄλβιος, ὃν φᾶμαι.* Dicit hoc, non tantum ipsam, quae ex victoriis sponte nascebatur, nobilitatem significans, verum etiam ad suorum respiciens carminum suavitatem et gloriam. Ceterum eximiam attendere licet laudationem: quantum enim sit vocari *ὄλβιον* et quam praestet *εὐτυχεῖ*, docet Solon apud Herod. L. I 32.

19. *Χάρις ζωθάλμιος.* Aliter Horatius A. P. 69 gratia vivax, i. e. perpetuo florens. Nam hoc loco significatur Gratia, quae vitam et vigorem, vitae fructum et gaudia

donat. Scholiasta vetus: ἡ θάλλειν αὐτοὺς ποιοῦσα καὶ οἱονεὶ ζῆν διαπαντὸς μνημονευομένους. Dicitur id respectu carminum, ut patet ex praecedentibus et sequentibus: quum tamen universe haec vis Gratiae tribui soleat: velut Ol. I. 48 ἅπερ ἅπαντα τεύχει τὰ μείλιχα θνατοῖς At in illa altera significatione apud Hesychium est ζωθάλμιον, ζώσιμον, βιώσιμον. Et Hom. Hymn. in Ven. 190 βιοθάλμιος ἀνὴρ, vitalis.

21. θαμὰ. Cf. Ol. I 25.

23. Praeposita universae laudis explicatione ad praesentem laudem Diagorae transit. De καὶ νυν conf. quae annotavi ad Ol. III 61.

23. ὑπ' ἀμφοτέρων. Cf. Ol. IV 4 et quae ibi annotavimus.

24. κατέβαν. Invitus quidem facio, sed tamen iis respondendum aliquo modo puto, qui quum nihil a Pindaro nisi ex rerum praesentium, ut ajunt, significatione dictum putent, suos ipsi commentarios commentis replent, ex Pindaro vero tollunt poesin. Equidem tanti facio Pindarum, ut Pindari interpretem non oportere disputatorem importunum esse existimem. Ergo invitum me facere iterum dico, sed tamen quia id ad rectam Pindari intelligentiam pertinere arbitror, illos interrogo, an hoc loco significari existiment, Pindarum citharistas et tibicines conduxisse, et cum illis Diagorae comitem fuisse et navigationem sonis illorum adjuvisse. Conf. Ol. I 16, 178, Ol. IV 5, Ol. VI 40.

25. παῖδ' Ἀφροδίτας. Significatur filia Veneris, Solis autem conjux. Ab aliis antiquitus et ab Heynio existimatum est, significari filiam Veneris et Solis, νύμφαν autem absolute positum conjungi cum Ῥόδον. Asclepia-

des Amphitritae et Solis filiam fuisse dixit, Herophilus Neptuni et Veneris, Epimenides Oceani: quae quidem memorantur in scholiis: Epimenides autem videtur esse is, quem Diogenes Laertius I 115 dicit Dorice scripsisse de Rhodo, diversum a genealogo et a Cretensi philosopho. Quae in Homerico Hymno in Cer. 420 memoratur Ῥόδεια, Proserpinae comes, et ea, quae apud Hesiodum, Theog. 351, Oceani ac Tethyis filia, certe diversae a Rhodo fuerunt. Magnus numerus ibi apud Hesiodum Oceaninarum est, quarum singulae ab hujusmodi insula longe diversam naturam habent et nomina certis regionibus non convenientia: perque terram versantur. Vide annotationem Lennepii ad eum locum.

27. εὐθυμάχαν. Poterat, ut scholiasta monuit, cum Ῥόδον ita conjungi, ut Ol. VI 145 πλάξιππον Θήβαν: praestat tamen, cum ἄνδρα conjungere. Terminationis simile exemplum est Ol. XII 20 ἐνδομάχας: at apud Homerum frequenter πρόμαχος.

28. πελώριον. Vide quae monuimus de ingenti Diagorae statura. Epitheto hoc utitur Homerus de Achille in acerrimo post Patroclum occisum proelio, Il. XXI 527 et XXII 92.

28. παρ' Ἀλφειῷ. Variat orationem Poeta: modo vs 16 dixit Ὀλυμπίᾳ Πυθοῖ τε, nunc παρ' Ἀλφειῷ καὶ παρὰ Κασταλίᾳ. Reliquas Diagorae victorias vs 147 seqq. memorat: nunc vero cum Olympia Pythiam copulat, propterea quod hae fuere reliquis clariores: tum vero Pythia proxime Olympiam praecessisse videtur: est enim consentaneum, a minoribus ad majores Diagoram processisse.

29. στεφανωσάμενον. Sunt qui verbo medio Poetam uti existiment, ut significet, Diagoram sibi coronam pa-

ravisse. Sed tantum passive explicandum videtur, ut vs 148, Ol. XII 25.

30. πυγμᾶς ἄποινα. Est appositio verbi αἰνέσω: illud αἰνεῖν erit praemium certaminis. Aesch. Pers. 806

ἔνθα πεδίον Ἀσωπὸς ῥοαῖς
ἄρδει, φίλον πίασμα Βοιωτῶν χθονί·

ubi πίασμα ita apponitur verbo ἄρδει, ut significetur, illam irrigationem esse pinguedinem. Idem Choe. 200

συμπενθεῖν ἐμοὶ
ἄγαλμα τύμβου τοῦδε καὶ τιμὴν πατρός·

ad quem locum cf. annotatio nostra. Vocabulum ἄγαλμα in honorando mortuo etiam est apud Eurip. Alc. 629

κόσμον φέροντας νερτέρων ἀγάλματα.

32. ᾄδοντα Δίκᾳ. Conf. Ol. I 145 Ἀρεταῖσι μεμαλότας υἱούς.

33. εὐρυχόρου. Heynius quidem annotat, χορὸν esse etiam ipsum locum, ubi choreae habeantur: et explicant hoc adjectivum nonnulli, ἔνθα ἔστιν εὐρὺ χορεύειν. Quae significatio certe huic loco non convenit. Et tam frequens usus est ejus apud poetas, non alia significatione nisi ampli et spatiosi, ut omnino idem esse videatur atque εὐρύχωρος. Semper εὐρύχορος scribitur apud nostrum, ut Py. IV 75 Λιβύας εὐρυχόρου, Py. VIII 77 εὐρυχόρους ἀγυιάς, Ne. X 97 εὐρυχόρου Σπάρτας. Semper etiam apud Homerum, ut Il. II 498 εὐρύχορον Μυκαλησσόν, Od. IV 635 Ἦλιδ' ἐς εὐρύχορον, et saepius. Etiam in oraculo apud Herodotum VII 220 Σπάρτης εὐρυχόροιο, et in oraculo apud Demosthenem adv. Mid. 531 εὐρυχόρους κατ' ἀγυιάς. Et memorans hoc adjectivum Eustathius χοροὺς etiam secundum antiquos idem fuisse atque τόπους et χώρας scribit ad Od. XII 3

νῆσον ἐς Αἰαίην, ὅθι τ' Ἠοῦς ἠριγενείης
οἰκία καὶ χοροί εἰσι καὶ ἀντολαὶ Ἠελίοιο.

34. τρίπολιν. Urbes laudantur vs 135. Ipsa urbs Rhodus postea condita est tempore belli Peloponnesiaci, ut est apud Strabonem L. XIV p. 654, ἡ δὲ νῦν πόλις ἐκτίσθη κατὰ τὰ Πελοποννησιακά.

35. ἐμβόλῳ. De scriptura ἐμβόλῳ et ἐμβόλω in notis criticis memoravimus. Et de scriptura σκάπτῳ et σκάπτω πέλας Nem XI 4 suo loco videbimus. Ponitur πέλας cum genitivo, velut Hom. Od. XV 257 ὅς τότε Τηλεμάχου πέλας ἵστατο. Herod. VIII 39 Αὐτονόου τέμενος πέλας τῆς Κασταλίης. Aesch. Agam. 1038, in editione Heusdii 948 σταθεῖσαν κτησίου βωμοῦ πέλας. 1671 ἀλέκτωρ ὥστε θηλείας πέλας, apud Heusdium 1579 et ὥσπερ pro ὥστε. Cum dativo, ut Aesch. Sup. 208

θέλοιμ' ἂν ἤδη σοι πέλας θρόνους ἔχειν.

Soph. Oed. T. 400

δοκῶν θρόνοις
παραστατήσειν τοῖς Κρεοντείοις πέλας.

Aj. 774

Ἄνασσα, τοῖς ἄλλοισιν Ἀργείων πέλας
ἵστω.

Certe igitur grammatica ratio utriusque casus constat. Ipsum autem ἔμβολον secundum scholiastas veteres vel est Lycia: vel quidam locus prope Arycandam Lyciae urbem, qui quum ex multis latisque saxis in acutum exitum porrectus esset, antea Embolon, postea Trieres appellatus sit, et praecipuam Solis adorationem habuerit. Verum ille locus, qui ab ipso scholiasta ἱερόν τι χωρίον appellatur, mihi et a Rhodo magis remotus et minutior fuisse videtur, quam ut rostrum Asiae spatiosae appel-

laretur hic a Pindaro. Strabo, L. XIV p. 651 memorat τὴν Ῥοδίων περαίαν, cujus initium fuerit in urbe Daedalis, finis in monte Phoenice, circuitu stadiorum mille et quingentorum. Hanc Peraeam hoc loco significari Boeckhius arbitratur. Haud incommode. Verum universe illam regionem inferiorem Asiae significari existimo, quae Cariam et Lyciae partem continebat.

αἰχμᾷ. Non hostilis invasio significatur, sed multitudo virorum, qui cum Tlepolemo Tirynthe Argiva in Rhodum venerant: memoratur vs 59 non ναὸς sed ναῶν πλόος. Fortasse hic in sermone Graeco usus mansit, ut populus etiam στρατός appellaretur, velut Ol. V 28, quia olim Graeci soliti fuerint arma ferre: πᾶσα ἡ Ἑλλὰς ἐσιδηροφόρει, καὶ ξυνήθη τὴν δίαιταν μεθ' ὅπλων ἐποιήσαντο, Thuc. I 6. Certe Tlepolemi comites inermes fuisse non putandi sunt. Ceterum de armatorum multitudine simile est apud Xenophontem, Anab. L. I C. VII 10 ἐγένετο τῶν Ἑλλήνων ἀσπὶς μυρία καὶ τετρακοσία.

36. τοῖσιν. Relative positum est. Dativus pendet a διορθῶσαι, in honorem eorum erigam: ἀγγέλλων copiose additur, famae significans propagationem. Conf. vs 2 ἐλών.

36. ἐξ ἀρχᾶς ἀπὸ Τλαπολέμου. Tlepolemum etiam vs 53 appellat coloniae in Rhodo conditorem, τᾶσδε χθονὸς οἰκιστῆρα, verum jam hoc loco gentis initium ab eo repetit, et laudat communem Diagorae ac Demageto et Argivis Rhodum incolentibus famam: eo enim pertinet adjectivum ξυνόν: addit illis etiam epitheton Ἡρακλέος γέννᾳ. Porro autem in hoc carmine vetustiorem Rhodiorum antiquitatem persequitur, et origines a Sole ejusque filiis ac nepotibus repetit. Ergo quum Tlepolemum tum

narret Rhodum venisse, quum jam ibi conditae florerent urbes, illum sua colonia auxisse et ornasse insulam et ex illis colonis Diagorae gentem oriundam fuisse significat: primum ergo hujus gentis et coloniae primordia, deinceps insulae, in quam pervenissent, vetustas laudes persequitur. Absolvit autem fere narrationem de Tlepolemo et transit ad antiquiora vs 62, sed apte redit ad Tlepolemum et ejus laudi cumulum adjicit vs 141: et vs 147 eximia copulatione cum antiquae Tlepolemi gloriae perpetuitate recentem conjungit laudem Diagorae. Sic Poeta nos continuo raptos in medias res permovet, identidem plura ostendens et ad totarum rerum perducens intelligentiam: est sane hoc carmen exemplar quoddam illius praecepti, quod postea expressit Horatius, non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem: A. P. 143.

Tlepolemi in Rhodum profectionem et ab eo coloniam ibi conditam etiam Homerus memorat, Il. II 661

Τληπόλεμος δ' ἐπεὶ οὖν τράφη ἐν μεγάρῳ εὐπήκτῳ,
αὐτίκα πατρὸς ἑοῖο φίλον μήτρωα κατέκτα,
ἤδη γηράσκοντα Λικύμνιον, ὄζον Ἄρηος.
αἶψα δὲ νῆας ἔπηξε, πολὺν δ' ὅγε λαὸν ἀγείρας
βῆ φεύγων ἐπὶ πόντον· ἀπείλησαν γάρ οἱ ἄλλοι
υἱέες υἱωνοί τε βίης Ἡρακληείης.
αὐτὰρ ὅγ' ἐς Ῥόδον ἷξεν ἀλώμενος ἄλγεα πάσχων.
τριχθὰ δ' ᾤκηθεν καταφυλαδὸν, ἠδὲ φίληθεν
ἐκ Διὸς, ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει.

Sed Homeri et Pindari testimonia repudiant Muellerus et Boeckhius, et posteriore demum aetate Argivam Rhodi coloniam consedisse existimant. Certe Strabo, L. XIV p 653 Dorienses dicit eos, qui post mortem Codri Me-

gara condiderint, partim Rhodum abiisse dicit: ea vero posteriora fuisse iis, quae ab Homero narrentur de Tlepolemo: nec Tlepolemi coloniam, ab Homero commemoratam, sive ea Aeolica et Boeotica fuerit, sive Argis et Tirynthe profecta, Doricam appellandam esse, quum ante Heraclidarum reditum fuerit. Tamen Tlepolemi coloniam non tantum fuisse affirmat, verum etiam eam fuisse Heraclidarum: illa de Doriensibus *νεώτερα τῶν ὑφ' Ὁμήρου λεγομένων ἐστί. Κνίδος μὲν δὴ καὶ Ἁλικαρνασσὸς οὐδ' ἦν πω. Ῥόδος δ' ἦν καὶ Κῶς, ἀλλ' ᾠκεῖτο ὑφ' Ἡρακλειδῶν. Τληπόλεμος μὲν οὖν ἀνδρωθεὶς*

Αὐτίκα πατρὸς ἑοῖο κ. τ. λ.

Herodotus L. VII 93 Dorienses in Asia habitantes dicit esse ex Peloponneso: idem c. 99 quasdam prope Rhodum sitas civitates partim Epidauro repetit, partim Troezene: ipsam Rhodum appellat Doriensium, L. VII C. 178: et Thucydides L. VII 57 Rhodios dicit Dorienses Argivos genere. Verum Muellerus Epidaurum quodam amore amplectitur: Doricam coloniam eam, quae postea in illa Asiae loca venit, prius aliquamdiu Epidauri commoratam fuisse, cultum Aesculapii adscivisse dicit. Ita in iis locis exstitisse gentes Heraclidarum et Aesclepiadarum. Nec sane ego negavero, Doricos colonos, eos, quos Strabo memorat, Rhodum postea venisse. Verum Tlepolemum eo prius non pervenisse, ejusque famam adventus postea traditionibus insertam fuisse dicit Muellerus, quum jam Argis Heraclidae illi, qui expressius Dorienses appellati sunt, prius Epidaurum, deinde in illa Asiae loca pervenissent. Verum difficile est probare, si qui postea Rhodum coloni venerunt, idcirco prius Tlepolemi coloniam eo non pervenisse. Et omnimo argutius et con-

fuse nimis et parum considerate versatur in explicando nomine Argivorum et Heraclidarum. Nam ut illam posteriorem Rhodiorum originem unice veram esse, Tlepolemi vero adventum rejiciendum esse confirmet, utitur etiam hujus Pindari carminis vs 35, Ἀργείᾳ σὺν αἰχμᾷ, quo manifesto Tlepolemi colonia significatur, non illa posterior. Quum autem Tirynthe profectus sit Tlepolemus, non idonea causa est, cur Argivorum nomen non latius quam ad ipsam urbem Argos pertinuisse putemus et Tiryntha quoque, proxime sitam, comprehendisse: quum etiam apud Homerum eae urbes copulentur, Il. II 559

οἳ δ' Ἄργος τ' εἶχον Τίρυνθά τε τειχιόεσσαν,

et eidem duci in bello paruerint, Diomedi Argivo: quumque Licymnii, Tirynthe, secundum Pindarum, interfecti, sepulcrum Argis fuisse testetur Pausanias, L. II C. XXII 8. Atque ipse Pindarus ita nomina mutat, ut vs 52 Tiryntha, vs 60 litus Lernaeum, vs 35 ipsos Argivos nominet, nec diversas profectiones his nominibus significat: certe Argivorum nomen Tirynthios quasi partem complexum est. Scholiastae quoque ad vs 52 Tiryntha appellant urbem Argivam. Heraclidarum vero nomen cur ad seriores tantum Heraclidas referendum est? cur Tlepolemus Herculis filius non Heraclida? quodsi velis id nomen sine causa ab illo separare, an non ejus posteri in Rhodo manserunt? Et Strabo, ut jam monui, Tlepolemi coloniam appellat Heraclidarum. Age vero et vide, quomodo Muellerus disputet: Dorienses Epidauri cultum Aesculapii adsciverunt: inde Rhodum et in adjacentia loca venerunt: haec unice Rhodiorum Graeca et Dorica origo est: hinc ibi gentes Heraclidarum et Aesclepiada-

rum: nihil ejusmodi ortum a Tlepolemo: apparet hoc ex Aristide, qui Rhodios appellans his verbis utitur: *τὸ μὲν ἀρχαῖον ἐστὲ Δωριεῖς ἐκ Πελοποννήσου, μόνοι δὲ εἰς τοῦτον τὸν χρόνον Ἕλληνες διὰ παντὸς, Ἡρακλείδαις δὲ καὶ Ἀσκληπιάδαις ἀρχηγέταις καὶ βασιλεῦσι κέχρησθε.* Ita quidem Muellerus. Ego vero adjiciam his ea, quae Aristides, cujus testimonio utitur Muellerus ut Tlepolemum rejiciat, porro ipse affert ut suum ipse testimonium confirmet. „Cogitate, inquit, quantae laudis excitationem vobis habeant ea, quae a Poetis de vobis dicta sunt: quorum ego praeteribo narrationes et Homeri tantum testimonium commemorabo, quod est hujusmodi:

οἳ Ῥόδον ἀμφενέμοντο διὰ τρίχα κοσμηθέντες
Λίνδον Ἰηλυσόν τε καὶ ἀργινοέντα Κάμειρον.

et porro

τριχθὰ δὲ ᾤκηθεν καταφυλαδὸν ἠδὲ φίληθεν
ἐκ Διὸς, ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει.

Cogitate, Poetam omnes fere laudes Graecis tribuentem summas omnium dedisse vobis." Haec Aristides, Rhod. II p. 396, 397. Et sunt ii versus Homeri ex ipsa illa ejus de Tlepolemo narratione desumta, quam attuli. Etiam alia afferam ad vs 63. Ergo ea, quae affirmat Aristides, testibus usus Poetis reliquis et Homero, ea ipsa Muellero pro argumento sunt, ut Aristidis utatur testimonio ad narrationes Poetarum reliquorum et Homeri refutandas et rejiciendas. Vide Karl Ottfried Mueller, Aeginetica pag. 42 et Dorier, Abth. I p. 103 seqq. Ceterum Diodorus Siculus L. V C 59 etiam duas colonias Rhodum venisse memorat, posteriorem duce Althaemene, priorem Tlepolemi.

40. *εὐρυσθενεῖ γέννᾳ.* Cf. Pyt. VII 3 *Ἀλκμανιδᾶν εὐρυσθενεῖ γενεᾷ.*

40. *τὸ μὲν γὰρ.* Tlepolemi pater Hercules, mater Astydamia, Amyntoris filia: etiam ab Hesiodo eam Tlepolemi matrem dictam fuisse testatur Scholiasta vetus, sed alios aliter tradidisse: Homerus, Il. II 658, Astyochiam appellat, nominis significatione vix diversa.

43. *ἀμφὶ δ' ἀνθρώπων φρεσὶν ἀμπλακίαι.* Narraturus caedem Licymnii a Tlepolemo factam, eandem vero gloriosae ab illo deductae coloniae et honoris postea inventi causam, praeponit universam de imbecillitate humana sententiam. *Ἀμφικρέμανται* exquisite dictum, ut vix vitari possit, quin in aliquem tot numero impendentium errorem incidas. Et postquam narravit, ad eandem sententiam redit vs 55, quum Tlepolemum quamvis sapientem tamen peccasse significet. Verum ex errore tamen postea meliora evenire posse docet, idque conspicuum fuisse in Tlepolemo.

46. *τοῦτο δ' ἀμάχανον.* Verbum *εὑρεῖν* non nanciscendi sed intelligendi significationem hoc loco habet. Fatetur Poeta infinitos errores impendere mentibus mortalium, verum non ideo desperandum esse monet, neque enim continuo cujusque rei exitum apparere, et ex eo, quod initio triste fuerit, posse gaudia pari. Similiter ille regum sapientissimus et sapientum rex habitus Salomo: Quis scit, quid sit utile homini in hac vita? nam quis homini aperire ea potest, quae ei postea accident? Ecclesiast. C. VI 12.

49. *καὶ γὰρ.* Electryo ex legitima uxore Lysidice Pelopis filia Alcmenen, ex Midea Licymnium procreavit. Caedem Licymnii etiam Homerus narrat, neque addit, vel quomodo vel qua causa facta sit, Il. II 662. Scholiastae Pindari testantur, alios ab invito Tlepolemo cae-

dem factam narrare, bovem quum ferire voluisset, non Licymnium: alia in scholiis traditio est, propter quosdam honores caedem factam esse. Pindarus non invitum, sed iratum fecisse dicit: eamque iram in illis erroribus numerat, quos vs 44 memoravit: et vs 55 mentis perturbationem eandem vocat, qua fuerit ab insita sapientia Tlepolemus tum abductus. Non potuit haec praetermittere, in persequenda Rhodi antiquitate: sed tamen more suo brevior est in malo commemorando, eamque memoriam simul mitigat humanae imbecillitatis cogitatione: copiosior vero in laudis et inventae postea felicitatis praeconio.

53. *θαλάμων*. Significatur domus. Cf. Ol. V 30, VI 2.

53. *Μιδέας*. Scholiasta vetus aut matrem Mideam aut urbem cognominem in Argolide sitam significari dicit: prius verum est. De urbe fit mentio Ol. X 77 *παῖς ὁ Λικυμνίου Οἰωνός· ἧκεν δὲ Μιδέαθεν στρατὸν ἐλαύνων*.

56. *Μαντεύσατο*. Homerus illum effugisse dicit filiorum et nepotum Herculis minas, de oraculo silet. Quum Pindarus illas minas sileat, credibile est, illum voluisse, Tlepolemum protinus sua sponte caedis expiationem quaesivisse, quum praesertim ejus moderationi et sapientiae illa caedes non conveniret: Dei autem responso profectioni Tlepolemi et Rhodiorum origini divinum decus et consecrationem adjunxisse.

59. *εὐώδεος*. Potest suavitas odoris tribui thuri, quod Deo sacrum ferrent homines: sed praestare videtur Dissenii explicatio, odorem suavem ex adyto tamquam ex fonte spirare: secundum Plutarchum, qui eo afflari Pythiam memorat, De def. Orac. 50: *ὁ γὰρ οἶκος εὐωδίας ἀναπίμπλαται καὶ πνεύματος, οἵας ἂν τὰ ἥδιστα καὶ πολυ-*

τελέστατα τῶν μύρων ἀποφορὰς ὥσπερ ἐκ πηγῆς τοῦ ἀδύτου προσβάλλοντος.

62. *ἔνθα.* Descriptio loci, quo proficisci Tlepolemum oporteret, non est Apollinis, sed Poetae: Rhodum significavit Apollo iis verbis quibus voluit, Pindarus vero, ad antiquiora de Rhodo narranda transiturus, hac descriptione copulat illa cum ea narratione, quam institutam habebat.

63. *βρέχε.* Ol. X 2 *βρέχετο πολλᾷ νιφάδι* Homerus Il. II 670

καί σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων.

Quem versum scholiasta vetus ad h. l. spurium judicat: utitur tamen eo Strabo, L. XIV p. 654. Aristides, Rhod. I 354: *καὶ Ὅμηρος μὲν πλοῦτον ἔφη καταχέαι τὸν Δία τῇ νήσῳ καὶ τοῖς περὶ Τληπόλεμον προγόνοις ὑμῶν, καὶ Πίνδαρος παραλαβὼν ὖσαι χρυσὸν νεφέλην ξανθὴν ἐπιστήσαντα.* Scholiasta vetus ad Ol. II 16 ex Pindari carmine deperdito affert de Theronis majoribus Rhodo oriundis: *ἕσπετο δ' ἀενάου πλούτου νέφος*: Fragm. Heyn. Incert. 167, Boeckh. 84 Encom. VIII 2.

65. *ἀνίχ'.* Dicens Poeta, tum auream pluviam a Jove datam, quum nasceretur Minerva, hoc ita intelligendum est, non continuo in ipsis Deae natalibus hoc factum esse, sed quamprimum post natam Deam, quum ei sacra Rhodii tulissent: vide vs 79.

65. *Ἀφαίστου.* Alii Prometheum adfuisse Jovi Minervam parienti dixere, alii alium: vide scholia: Lucianus Vulcanum: dial. Deor. 8.

70. *μάτηρ.* Mater omnium, rerum procreatrix.

73. *μέλλον ἔντειλεν.* Liberi cari Solis sunt ipsi Rhodii, Tlepolemo antiquiores: quos sic nominando praeparat

denuo Poeta narrationem de primis ipsis Rhodi originibus, quam instituturus est vs 100. Conf. quae monuimus ad vs 36. Illis autem Sol suasit, ut observarent futurum officium, Minervae praestandum: est enim χρέος debitum, velut Ol. III 12. Quod illud debitum fuerit, porro exponitur, ut ara consecranda sacrisque faciendis et Jovi et Minervae praeberent gaudia. Narrat vetus scholiasta, apud illos habitaturam fuisse Deam, qui primi ei sacra fecissent: exstitisse autem de ea re inter Rhodios et Athenienses aemulationem. Quumque in sacris Rhodiorum ignis defuisset, apud Athenienses quidem ideo habitasse Deam, verum Rhodiis tamen tribuisse honores. Eadem narrat, sed paulo aliter, Diodorus Sic. L. V C. 56. Pindarus quidem vs 82 seqq de sacris Rhodiorum ita exponit, ut ignem per quandam oblivionem defuisse dicat: nec tamen ex iis, quae porro narrat Rhodiis a Jove et Minerva contigisse, praemiis efficias, illam oblivionem Rhodiis fraudi fuisse.

79. ἐν δ' ἀρετάν. Est sententia ad quosvis pertinens, tamen respectu Rhodiorum posita. Προμαθέος nomen ita ponitur, ut vs 32 Δίκα, 19 Χάρις, ut virtus divinam personam induat. Hanc Prudentiam si quis revereatur eique obtemperet, hunc et officio fungi et laudem invenire et frui gaudiis: quomodo Rhodii Solis prudenti consilio obtemperarunt. De Promethei nominis usu conf. Aesch. Prom. 85

Ψευδωνύμως σε δαίμονες Προμηθέα
καλοῦσιν, αὐτὸν γάρ σε δεῖ προμηθέως.

Et Supp. 700

προμαθεὺς εὐκοινόμητις ἀρχά.

82. ἐπὶ μὰν. Haec quoque universa sententia est:

facile fieri posse, ut inconsulto aliqua oblivio fiat: id quod in Rhodiis apparuit, vs 85 *καὶ τοὶ γάρ.*

83. *παρέλκει πραγμάτων ὀρθὰν ὁδὸν ἔξω φρενῶν.* Audacior haec constructio videri posset, si exspectavisses: *παρέλκει φρένας ἔξω ὀρθᾶς πραγμάτων ὁδοῦ.* Sed retinenda videtur ipsius constructionis sententia: *παρέλκει*, abstrahit, viam a mente aufert, occulit, efficit ut mens eam non videat.

86. *τοί.* Conf. Ol. VI 87.

86. *καὶ τοὶ γάρ.* Ex hoc instituto mansisse narrat Diodorus Siculus morem apud Rhodios sacra Minervae sine igne faciendi: L. V C. 56: hoc enim significare videtur, scribens: *διόπερ φασὶ διαμένειν μεχρὶ τοῦ νῦν τὸ κατὰ τὴν θυσίαν ἴδιον ἐν τῇ Ῥόδῳ.* Idem affert scholiasta vetus, qui ab Apollonio Rhodio aliam causam narratam fuisse hujus moris dicit, quippe odium Vulcani, propterea quod is Minervam amare ausus fuisset. Quodsi haec fama antiqua fuit et innotuit Pindaro, facile est intelligere, illum, semper de Diis meliora dicere studentem, aut aliam traditionem sequi maluisse, aut fortasse illam famam ita emendasse, ut nunc apud eum legitur. Vide hujus studii exemplum Ol. I 54. Conf. dissertatio nostra de Pindari Sapientia, p. 7.

89. *ἄλσος.* Conf. annotatio ad Ol. III 31.

89. *ἐν ἀκροπόλει.* Affirmat Boeckhius, arcem significari Lindiam, laudans Meursii Rhod. I 6. Quo libro nondum uti potui. Certe Minerva Lindia apud Rhodios fuit celebratissima, inque ejus templo etiam hoc carmen consecratum est: et memoratur id templum a Strabone L. XIV p. 655, et a Diodoro Sic. L. V C. 58, con ditum, secundum illum, a Danaidibus, secundum hunc

a Danao, cum filiabus profugo. Arx autem Lindi, quantum scio, non memoratur, sed arx Jalysi, Ochyroma vocatum, apud Strabonem ibidem. Verum credibile est, haec a Pindaro referri ad ea tempora, quum Lindus nondum suum nomen haberet, a nepote Solis postea datum: vide vs 140.

90. *ξανθὰν ἀγαγὼν νεφέλαν.* Fere expressum ex Homerico *νεφεληγερέτα Ζεύς.* Ceterum subjectum facile abest, quum repetatur hic narratio, quae jam posita fuit vs 63. Strabo, laudans versum Homeri *καί σφιν θεσπέσιον κ. τ. λ.*, affert etiam Pindarum, respiciens hunc locum: *καὶ χρυσὸν ὑσθῆναί φασιν ἐν τῇ νήσῳ κατὰ τὴν τῆς Ἀθηνᾶς γένεσιν ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διὸς, ὡς εἴρηκε Πίνδαρος.* Conf. annotatio ad vs 63.

95. *ἔργα δὲ ζώοισιν.* Conf. Theocrit. Id. XV Adoniaz. 80

Πότνι' Ἀθαναία ποῖαί σφ' ἐπόνασαν ἔριθοι,
ποῖοι ζωογράφοι τἀκριβέα γράμματ' ἔγραψαν;
ὡς ἔτυμ' ἑστάκαντι καὶ ὡς ἔτυμ' ἐνδινεῦντι,
ἔμψυχ', οὐκ ἐνυφαντά· σοφόν τι χρῆμ' ἄνθρωπος.

98. *δαέντι.* Hae igitur a Jove acceptae divitiae et praeclarae artes Minervae fuerunt illa *ἀρετὰ καὶ χάρματα*, quae Rhodii debuere suae obtemperantiae imperio patris. *Δαῆναι* intelligentiam significare videtur, magisque convenire cum *εἰδέναι* quam cum *μαθεῖν*: conf. vs. 168 et Ol. II 154. Magnam gloriam tribuit Rhodiis, eorumque magnam sapientiam fraude carere dicit, propterea quod eam non haberent quasi mutuo sumtam aut adscitam, sed indita ab ipsa Minerva mentis vi propriam comprehenderent. Fuerat Rhodi Telchinum antiqua fama artificii magni cum praestigiis juncti: his opposuisse Helia

dum gloriam Pindarum quidam existimant. Verum Telchines habiti fuere Heliadis antiquiores: ut narrant Strabo, L. XIV p. 654, et Diodorus Sic. L. V C. 55, 56. Pindarus ipsos Heliadas primigenitos Rhodi incolas celebrat. Quodsi ergo respexit Telchines, famam illorum putavit obscurandam, et clarae insulae pro illa praestigiarum fama incorruptam infucatamque artium gloriam vindicandam. Ceterum sententia universe posita est, fraudem non cadere in sapientiam majorem, si is, qui eam habet, est intelligens: tamen maxime ad Rhodios pertinet.

102. *δατέοντο.* Comparat Heynius Hesiod. Theog. 885, ubi Jupiter devictis Titanibus honores Diis dividit:

ὁ δὲ τοῖσιν εὖ διεδάσσατο τιμάς.

104. *ἐν πελάγει ποντίῳ.* Recte Tafelius tum alia exempla affert, tum Py. IV 69 *ἐναλίᾳ ἄλμᾳ*, et Fragm. Pind. apud Boeckhium 259, apud Heynium Inc. 49, ex Plut. Symp. L. VII. Quaest. V C 2 *ἐν πόντου πελάγει.*

106. *ἀπεόντος.* Dum lucem ferebat terris, ut patet vs 113.

110. *ἄμπαλον.* Ad illustrandam vocabuli etymologiam recte collata sunt *ἄνοδος*, *ἀνάπαυλα*, *ἀνάπνευμα*, *ξύμβολος*.

118. *χρυσάμπυκα.* Epico more regium divinitatis epitheton. Cf. Py. III 158 *χρυσαμπύκων Μοισᾶν.*

119. *θεῶν ὅρκον.* Magnum jusjurandum, quo Dii uti solebant, Stygem invocando. Hoc igitur Lachesin uti neque id fallere Sol voluit. Scholiasta vetus ad vs 111 scribit: *τὴν Λάχεσιν — ἐκέλευσεν αὐτῷ ἐπικρῖναι τὴν Ῥόδον. Τοὺς δὲ θεοὺς ὀμόσαι πεποίηκε μηδένα παρερεῖν μηδὲ ἀναπεῖσαι τὸν Δία γενομένης τῆς χώρας ἄλλῳ τινὶ δοθῆναι*

αὐτήν: ex emendatione Boeckhii: codex, ex quo ea sumta sunt, Urat. A, habet ὀνομάσαι et παραιρεῖν. Quae vix intelligo: nisi θεῶν putavit esse genitivum activum, et ὅρκον subjectum verbi παρφάμεν: postulasse Solem ut Lachesis manus extenderet, et postulasse, ut Deorum jusjurandum non falleret, i. e. ut Dii jurarent idque jusjurandum verum esset. Aut fortasse ille scholiasta legit θεοὺς δ' ὅρκον.

121. νεῦσαι. Hujus etiam verbi subjectum est Lachesis.

122. ἐς αἰθέρα πεμφθεῖσαν. Conf. Ol. II 37 πέμπειν ἀνεκὰς ὑψηλόν.

123. ἑᾷ κεφαλᾷ γέρας. Conf. Ol. VI 103 τιμὰν ἑᾷ κεφαλᾷ.

125. λόγων κορυφαί. Saepe κορυφὴ a Pindaro dicitur de parte cujusque rei praestantissima, velut Ol. I 21. Hoc loco significantur κύρια τέλη: summa capita eodem modo dicunt Latini. Ceterum in his et sequentibus attende narrationis brevitatem et gravitatem, et confer Py. IX 119.

128. ὀξειᾶν ἀκτίνων. Ol. III 43 ὀξείαις αὐγαῖς ἁλίου.

129. γενέθλιος. Potest ita referri ad πατήρ, ut significetur pater radiorum, qui eos procreat: praestat absolute dictum putare, genitorem rerum, auctorem fertilitatis, velut vs 70 Γαῖα μάτηρ.

131. ἔνθα. Ubi? certe in insula Rhodo. Nec facile dici potest, quomodo Nympham Rhodum Poeta vel ab insula separaverit vel conjunxerit cum ea. Versu quidem 26 ipsam insulam dicit Solis uxorem: hoc loco in insula Rhodo dicit illum cum Nympha Rhodo coiisse. Conf. Ol. VI 145 et quae ibi annotavimus.

132. ἑπτὰ Recensentur eorum nomina in scholiis et

a Diodoro L. V C. 57: sed non in omnibus est consensio.

134. *παραδεξαμένους*. A Minerva: reditur ad vs 92. Laus sapientiae ac disciplinarum Heliadis etiam tribuitur a Diodoro, L. V C. 58. Atque ibi in maximis eorum laudibus ponuntur *περὶ τῆς ναυτιλίας πολλά*: quas quidem si habuit Palladis cultor populus, fortasse etiam hinc confirmantur ea, quae de Minervae cultu apud Camarinaeos scripsimus ad Ol. V 20.

135. *εἷς*. Dicitur in scholiis Cercaphus, uxore ducta Cydippe. Idem est apud Diodorum, c. 57.

136. *πρεσβύτατον*. Quia Camirum primum nominavit, addit, Jalysum fuisse natu maximum: fortasse etiam, ne Diagorae patria debito honore carere videretur. Apud Diodorum memorantur hoc ordine: Lindus, Jalysus, Camirus.

140. *σφιν*. Dativus ponitur, quia nominatio ad illorum honorem pertinebat.

141. Ibi ergo Tlepolemus invenit felicitatem. *Λύτρον* proprie est pretium redimendi captivi: sed facile de laboris praemio vel de compensatione calamitatis dicitur, velut de luctationis mercede *πυγμᾶς ἄποινα* vs 30, quum id vocabulum in redemtione ponatur ab Homero Il. I 13: Chryses venit

λυσόμενός τε θύγατρα φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα.

Simile est ipsum vocabulum *ποινή*: apud Homerum memorantur equi praestantissimi, quos Troi dederit Jupiter, pretium Ganymedis rapti: Il. V 265

Τρωί περ εὐρύοπα Ζεὺς
δῶχ' υἷος ποινὴν Γανυμήδεος.

Et noster idem vocabulum, plane eodem modo atque hoc

loco λύτρον de Tlepolemo, ponit in laudando eximio praemio laborum, quod sit tributum Herculi, Nem I 107

καμάτων μεγάλων ποινὰν λαχόντ' ἐξαίρετον —
θαλερὰν Ἥβαν ἄκοιτιν.

Praeclare autem, etiam ipso ordine verborum, inter se opposita sunt λύτρον et συμφορᾶς, et οἰκτρᾶς et γλυκύ.

Tlepolemus in bello Trojano a Sarpedone occisus est, et corpus ejus ex proelio abductum, ut narrat Homerus, Il. V 659, 668. Ejus ossa in patriam Rhodum reducta fuisse tradit scholiasta recentior.

Quae autem est haec apud Pindarum compensatio data Tlepolemo? si ipsa verba spectamus, nihil de ejus reliqua Rhodi peracta vita memoratur, nec recte in uno scholio vetere est λυτήριον τῆς συμφορᾶς τὴν μετοίκησιν φησι καὶ τὴν αὐτόθι τοῦ βίου διατριβήν. Neque enim ita dici potuerit λύτρον ἵσταται ὥσπερ θεῷ. Nihil a Poeta in ea re memoratur praeter honores tributos mortuo. Sed certe ii non tributi fuissent, nisi vivus condenda civitate inclaruisset. Atque ea laus vs 54 jam memorata est, et hoc loco repetitur vocabulis Τιρυνθίων ἀρχαγέτᾳ. Facile igitur est, quasi ex posterioribus iisque majoribus laudibus, quippe divinis, laudes vitae magnas fuisse intelligere: sed si grammatice locum explicamus, silentur hae. Nec vs 145 conjunctio τε sacrificia copulat et certamina cum compensatione, quae vs 141 memoratur: ea ipsa compensatio fuit sacrificiorum et certaminum: τε conjungitur cum καὶ, et his conjunctionibus copulantur inter se μάλων πομπὰ et κρίσις. Πομπὰ h. l. idem est ac θυσία, per synecdochen, ut facile intelligitur.

Similia sunt alia exempla, velut Miltiadi mortuo Χερσονησῖται θύουσι, ὡς νόμος οἰκιστῇ, καὶ ἀγῶνα ἱππικόν τε

καὶ γυμνικὸν ἐπιστᾶσι. Herod. VI 38. Et Brasidam Amphipolitani servatorem suum judicatum conditoris numero colere instituerunt, et illi *τιμὰς δεδώκασιν ἀγῶνας καὶ ἐτησίους θυσίας.* Thuc. V 11. Conf. quae pag. 293 ad Ol. II memoravimus de Therone ex Diodoro XI 53.

Memoratur in scholiis veteribus festum Tlepolemo institutum, *ἀγὼν Τληπολέμειος*, et in altero *Τληπολέμεια*, cui quidem adjicitur: *οἱ δὲ Ἡράκλεια.* Verum in duobus laudantur festa Solis, *Ἡλίεια*, et in horum altero etiam auctor ejus commemorationis appellatur Ister in libro *περὶ τῶν Ἡλίου ἀγώνων*: in altero ipsius ejus festi tempus definitur, Gorpiaei mensis dies vicesimus quartus: etiam apud Athenaeum L. XII 561 Rhodiorum Heliea memorantur. Nec ulla causa est, cur illa fuisse dubitemus. Quod vero in illis duobus scholiis praeterea dicitur, Pindarum usum esse mendacio poetico, et memoriam Helieorum transtulisse ad Tlepolemum, ex eo quidem effici potest, scripturam eam, quam memoravi, *οἱ δὲ Ἡράκλεια*, fortasse errore quodam ortam esse ex nomine Helieorum: verum id ipsum quidem, Pindarum mentitum esse in ea re, verum esse non potest. Quodsi de re remota ageretur, dubitationi ac disputationi locus esse poterat: verum quomodo deinceps Poeta mentiri posset, duas Diagorae fuisse victorias in Tlepolemeis, quum non essent Tlepolemea, equidem non intelligo. Nec ullam probabilem causam video, cur Boeckhius Tlepolemo honorem deminutum et ludos ad Solem translatos, Pindari tamen aetate denuo Tlepolemo actos existimet.

148. *κλεινᾷ τ' ἐν Ἰσθμῷ.* Isthmum Corinthium semper, quantum memini, Pindarus ponit genere feminino: velut Ol. VIII 64 *ἐπ' Ἰσθμὸν ποντίαν*, Nem. V 69, Ist. I 45.

At Herodotus masculino, velut IX 10, pariterque Thucydides, ut II 13.

150. ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ. Intelligitur εἷλε νίκαν vel ἔσχε vel simile. Significatur Tlepolemus duas non intermissas victorias Nemeaeas reportasse.

151. κρανααῖς ἐν Ἀθάναις. Scholiastae memorant Olympia, Panathenaea, Eleusinia, Heraclea: quorum duo priora ipsa in urbe Athenis celebrabantur: Eleusinia Eleusine, Heraclea Marathone. In quibus eorum vicerit Diagoras, incertum esse dicunt scholiastae, et fortasse eum vicisse in omnibus. Neque equidem definivero, quae fuerint Diagorae victoriae: sed certe Panathenaeorum vel Olympiorum: nam haud recte scholiastae κραναὰς Ἀθάνας pro tota Attica dictas putant, propterea quod ea regio saxosa fuerit. Manifesto ludi Athenienses et Marathonii inter se distinguuntur Ol. IX 133, et similiter in hoc nostro carmine Thebani et Boeotii, 154, 155. Praeterea ex praecedentibus intelligi credo ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ, ut Athenis quoque duae victoriae Diagorae fuisse significentur. Κρανααὶ etiam dicuntur Athenae Ol. XIII 62, Ne., VIII 19: et secundum Herodotum, VIII 44, tempore Pelasgorum ipsi Athenienses nomine proprio Cranai dicti fuerunt.

Panathenaea autem videntur eadem, quae Athenaea appellata sunt in Inscriptione 245 apud Boeckhium, et apud Athenaeum L. XII 561, praesertim quum ea dicantur maxime honorata Atheniensibus festa. Legimus apud Suidam: τὰ δὲ Παναθήναια πρότερον Ἀθήναια ἐκαλοῦντο: sed apud eundem: Χαλκεῖα, ἃ τινες Ἀθήναια καλοῦσιν.

Praeterea memorantur in uno scholio recentiore Pan-

hellenia, pariterque in scholio vetere, sed in hoc quidem id nomen a Boeckhio praetermissum est, quia abest in cod. Urat. A, et quia et ipse et Muellerus, Aeginet. p. 157, non ante imperatorem Hadrianum ea Athenis celebrata fuisse existimant: quam equidem quaestionem nondum dijudico. Exstat in Inscriptionibus apud Boeckhium 247 Πανελλήνια, et 1068 Πανελλήνια ἐν Ἀθήναις.

152. Argis ahenea praemia data fuisse, et certamina dicta fuisse Heraea eademque Hecatombaea, est in scholiis. Conf. J. H. Krause, die Gymnastik und Agonistik der Hellenen, II p. 701.

154. ἔργα. Dubitatur, utrum significentur praemia manu et arte facta, an ipsa certamina: posterius unice verum credo: eodem modo ἔργον ponitur Ol. VIII 24, IX 127, X 75. In Arcadia clarissima fuere Lycaea, de quibus memoria est Ol. IX 145, XIII 153. Etiam alia certamina Arcadica in scholiis ad h. l. memorantur.

154. Θήβαις. In Heracleis, iisdem Iolaeis dictis: conf. Ol. IX 149.

155. Βοιώτιοι. In Boeotia memorantur in scholiis haec: Thespiis Erotia vel Erotidia, quae etiam memorantur a Pausania L. IX C. XXX 3, et apud Athenaeum L. XII 561: Plataeis Eleutheria, in memoriam victoriae de Medis reportatae instituta: Oropi Amphiaraia: Delia Delii: tandem Lebadeae Trophonia vel Basilia: quae tamen Diagorae aetate posteriora fuisse recte ostendit Boeckhius ex Diodoro Siculo L. XV C. 53. Nam post Leuctricam pugnam instituta sunt Jovi Βασιλεῖ.

156. Αἴγινα. Praetermissae in enumeratione copiosiore copulae exempla recte afferuntur a Boeckhio Hom. Il. II 559

οἳ δ' Ἄργος τ' εἶχον Τίρυνθά τε τειχιόεσσαν,
Ἑρμιόνην Ἀσίνην τε, βαθὺν κατὰ κόλπον ἐχούσας,
Τροιζῆν', Ἠιόνας τε. Et 497, 501.

Memorantur a vetere scholiasta ad h. l. Aeginetici ludi Aeacea et Amphorites: cujus quidem originem tradit Apollonius Rhodius, Argon. IV 1766: Argonautas in reditu Aeginam appulsos certasse περὶ ὑδρείης, de aqua in navem portanda, propter necessitatem et properationem: inde ibi mansisse currendi certamen repletas aqua amphoras portantium. De ipsis Argonautis eadem narrat Apollodorus L. I C. 9. Mentionem eorum ludorum fuisse apud Callimachum scholiasta vetus tradit. Nec institutioni incongruum praemium fuit, si id crater fuit, secundum scholiastam recentiorem.

Recte autem Muellerus, Aegin. p. 24, haec eadem fuisse existimat, quae Hydrophoria appellantur a scholiasta ad Nem. V 81. Reliqua, quae ad ludos Aegineticos pertineant, disputabimus ad Ol. XIII 155 et Py. VIII 114.

155. Πελλάνα. Memorantur in scholiis Hermaea et Theoxenia: quae videntur eadem fuisse: de qua re disputabimus ad Ol. IX 148.

157. Μεγάροισιν. Fuisse ibi Dioclea, Pythia, Nemea, est in scholio vetere: Alcathoea memorantur a Pindaro Ist. VIII 149 et a scholiasta ad Nem. V 84. In scholiis ad nostrum locum etiam traditur, morem Megaris fuisse videri nomina victorum inscribendi columnae lapideae: eam autem columnam vix aliud nomen habuisse nisi Diagorae, sed ejus victoriis quasi fuisse repletam. Verum οὐχ ἕτερον non id significat, sed potius non diversum a Pellenensibus victoriis in illo Megarensi lapide numerum fuisse: ergo Diagoram sex quoque Megaris

victorias reportasse. Illum morem non opus est Megarensibus omnino putare fuisse proprium: fieri potuit, ut Diagorae victoriae propter multitudinem aut propter magnam viri gloriam inscriptae sint in columna, quamvis id non soleret semper fieri. Recte Dissenius simile exemplum affert Chionidis Lacedaemonii, cujus fuit Olympiae columna *λέγουσα τὰς νίκας*: Pausan. L. VI C. XIII 1.

159. *ψᾶφος*. Decretum, sententia: vel calculus in numerando. Utraque significatio hoc loco esse posse videtur: si priorem admittimus, significantur decreta, quibus a certaminum arbitris victoriae tributae sunt Diagorae, incisa lapidi: eamque in interpretatione Latina secutus sum. At denuo meditatus, calculum significari credo, enumerationem, computationem. *Λιθίνα* tamen significat enumerationem in lapide incisam fuisse.

159. *Ἀλλ' ὦ Ζεῦ πάτερ*. Multa apud poetas similia: velut Aesch. Sept. c. Th. 118.

160. *Ἀταβυρίου*. Atabyris appellatur Straboni, L. XIV p. 655, pone Lindum situs, mons altissimus, sacer Jovi Atabyrio. Templum ibi ab Althaemene Jovi conditum esse narrat Diodorus Siculus, quod etiam sua aetate coleretur impense: L. V C. 59.

161. *Μεδέων*. Similiter cum dativo est apud Hesiodum Theog. 54

Μνημοσύνη γουνοῖσιν Ἐλευθῆρος μεδέουσα.

At saepius cum genitivo, velut Hymn. Hom. X in Venerem 4

Χαῖρε θεὰ Σαλαμῖνος ἐϋκτιμένης μεδέουσα

et XVIII in Mercurium 2

Κυλλήνης μεδέοντα καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου.

Cum praepositione apud Sophoclem, Ant. 1119

μέλεις δὲ
παγκοίνοις Ἐλευσινίας Δηοῦς ἐν κόλποις.

Cum nostro loco etiam convenit Nem. IV 81

Θέτις κρατεῖ Φθίᾳ.

162. τεθμόν. Solemne institutum: ὕμνου τεθμὸν Ὀλυμπιονίκαν, solemne carmen victoriae Olympiae praeconium. Conf. Ol. XIII 39 στεφάνων ἐγκώμιον τεθμὸν, Ol. III 4 Ὀλυμπιονίκαν ὕμνον. Fuere, qui Ὀλυμπιονίκαν cum ἄνδρα conjungerent et post τεθμὸν interpungerent: verum ita ut nos fecimus jam voluit Heynius.

166. ὕβριος ἐχθρὰν ὁδόν. Convenit haec laus cum illa, quae vs 32 patri Diagorae tribuitur.

169. ἐξ ἀγαθῶν. Triplex, quantum scio, hujus orationis construendae modus propositus est: ἅτε οἱ φρένες ὀρθαὶ ἐξ ἀγαθῶν πατέρων ἔχραον: vel: quae illi mens recta e patribus progenita bonis dedit: quae explicatio hanc habere difficultatem videtur, quod vix dici possit aliquis recte intelligere illa monita, quae sua ipsius mens ipsi dederit. Vel, ut ἀγαθῶν sit neutro genere substantive positum: quae illi mens patrum recta dedit ex bonarum rerum copia. Vel, ut conjungatur ἐξ cum ἔχραον: quae ratio nobis vera videtur. Diagoras recte intellexit ea monita, quae illi patrum bonorum mentes dederunt instar oraculorum. Conf. Soph. Oed. Col. 87 de Phoebo:

ὅς μοι τὰ πόλλ' ἐκεῖν' ὅτ' ἐξέχρη κακά.

170. Μὴ κρύπτε κοινὸν σπέρμ' ἀπὸ Καλλιάνακτος· Ἐρατιδᾶν. Memoratur a Pausania, L. VI C. VII 1, Callianax maritus Callipatirae filiae Diagorae. In scholiis veteribus traditur, Callianactem fuisse clarum virum, ex Diagorae majoribus: et fuisse in Rhodo phylen Erastidarum, ab Erastide, vel Erasto, vel Erasteo nominatam: ex qua

fuerit Diagoras. De scriptura nominis monui in notis criticis, sed praetermisi monere, Ἐρατιδᾶν in recentioribus scholiis, reliquas scripturas in veteribus agnosci: quapropter non pugno, si cui praestare videtur Ἐραστιδᾶν.

Est autem in veteribus scholiis haec explicatio: Poetam appellasse semet ipsum et incitasse, ne silendo genus Callianactis obscuret, sed laudando decoret: illud autem genus esse ipsorum Diagorae majorum: κοινὸν appellari, illustre, notum omnibus. Quae singula mihi videntur omnino rejicienda. Manifesto sunt preces ad Jovem. Quodsi autem Callianax fuit unus ex Diagorae majoribus, genus ejus sane ipsum quoque Diagoram complectitur. Tum autem Κοινὸν dici credo totam gentem, cui sit origo a Callianacte communis. Verum aliter esse suspicor. De Callipatira memoravimus in introductione hujus carminis, pag. 405. Credo eam jam tum nuptam fuisse Callianacti: et hunc ipsum hic significari, et fuisse e tribu Erastidarum. Fortasse Callipatira fratribus suis major natu fuit, et ex ea prima a Diagora progeniei propago exspectari potuit aut fortasse jam tum orta fuit. Est igitur κοινὸν σπέρμ' ἀπὸ Καλλιάνακτος soboles ex patre Callianacte, sed eadem ortu materno communis illustri victori. Praeclarae ergo preces in fine carminis funduntur de futura gentis perpetua gloria. Callianactem significari Diagorae generum etiam Heynius voluit: interpunxit autem non post Καλλιάνακτος, sed post χαρίτεσσιν.

172. ἔχει θαλίας. Theocrit. XVII 22 Hercules

ἔνθα σὺν ἄλλοισιν θαλίας ἔχει οὐρανίδαισι.

174. ἐν δὲ μιᾷ. Boeckhius existimat, Poetam jam avertere voluisse pericula, quae postea Diagoridis acci-

derint. Certe Dorieus filius Diagorae, et Pisirodus, Diagorae ex filia nepos, ab adversariis Rhodo expulsi fuere: Pausan. L. VI C. VII 2. Verum ea certe satis longo post hoc carmen temporis intervallo acciderunt: nam si jam nunc filii Diagorae fuissent adulti aut aliquis eorum jam victor, certe id Poeta non silentio praetermisisset. Neque futura mala Pindarum jam auguratum fuisse contendit Boeckhius, sed tamen jam tum exstitisse fautores populi, qui genti Demageti inviderent. Illos ut admoneret, memoratam esse a Poeta totius laetitiam civitatis et Demageti ipsiusque Diagorae aequitatem atque justitiam: et simul ut Diagoram admoneret, ne felicitate sua fretus exsurgeret altius, ambiguam sententiam adjecisse de rerum instabilitate. Verum ea quidem mihi videntur argute nimis disputari. Potius more suo meminit Pindarus fragilitatis rerum humanarum, imperiique potentis Jovis, qui facile brevi tempore cuncta mutet: laeto victori non praetermittendam esse eam cogitationem existimans. Scholiasta vetus putavit, contineri his verbis consolationem propter aliquam calamitatem, quae antea Diagorae domui accidisset, nunc autem praesenti laetitia obruenda esset. Quae explicatio mihi non magis sententiae hujus loci convenire videtur quam opinio Boeckhii.

OLYMPIA VIII.

Orditur Poeta a laudatione Olympiae et oraculi, quod ibi erat. Tum praedicat felicitatem Alcimedontis et fratris ejus Timosthenis, qui Nemeae victoriam reportaverat,

Porro laudat Aeginam, justitiae fama inclytam, et veterem Aeaci gloriam, Deorum socii in condendis Trojae moenibus, factumque jam tum vaticinium de Aeacidarum in diruendis iisdem gloria. Inde rediens ad praesentia laudat Melesiam, palaestrae magistrum, praeceptorem Alcimedontis, iterumque ipsum Alcimedontem: avi ejus extollit gaudia, totiusque tribus Blepsiadarum, ex qua victor erat, excitat memoriam, praesentem vero laudem etiam ad mortuos pertinere vult. Addit vota pro incolumitate tribus et civitatis.

Apparere existimat Boeckhius e vs 12, carmen hoc cantum esse Olympiae, instituta ibi comissatione et pompa, qua corona in sacrum Olympiae lucum deferretur. Scholiasta vetus ad vs 66 annotat, δεῦρο dici a choro, et carminis cantationem fuisse Aeginae. Credo equidem, hoc non nimis urgendum esse: est certe ibi de Aegina sermo, et recte monet Boeckhius, in ejusmodi sententia id adverbium etiam poni de eo loco, ubi is, qui loquatur, tum non praesens adsit: velut apud Platonem, Phaedon. 58 b, Phaedo, Phliunte colloquens cum Echecrate: πρὶν ἂν εἰς Δῆλον ἀφίκηται τὸ πλοῖον καὶ πάλιν δεῦρο: id est Athenas. Verumtamen illam appellationem luci Pisae vs 12 continuationem esse existimo exordii carminis, quo ipsa Olympia invocata est: huic victoria debebatur, huic acceptae laudes referuntur, ad hanc Poeta vertit animum: victoris decus appellat σὸν γέρας ἀγλαόν. Atque illa coronae in Altin portatio commenticia est: cum festo carmine simul coronam a Poeta laudari, certe ipsi rei ita convenit, ut argutiore explicatione non opus sit. Conf. quae ad Ol. III monuimus pag. 322. Mihi carmen Aeginae destinatum

videtur: tum quia consentaneum est, victoriam celebrari in victoris patria: tum etiam, quia et ipsa Aegina et laudes ejus vetustae celebrantur impense: et quae de domo victoris et tribu in extrema parte carminis canuntur, etiam apprime sunt ejus patriae convenientia.

Fuisse autem magna videtur Alcimedonti victoriae felicitas: nam solebant luctatores sorte in paria dividi, ut quisque unum haberet adversarium, quocum contenderet: quodsi vero certatorum numerus fuerat impar, unus debebat sorte sine adversario relinqui: hic vocabatur ἔφεδρος, et exspectabat, donec reliquorum certamina essent finita. Erat igitur haec et existimabatur egregia felicitas: nam sic recentibus ipse viribus habebat fessos jam certando adversarios. Conf. J. H. Krause, Olympia, p. 112. Haec autem nunc Alcimedonti felicitas contigisse videtur. Nec sane magnopere in hoc carmine labor Alcimedontis laudatur: μόχθων ἀμπνοά vs 9 universe dicitur, non singulariter de Alcimedonte: contra vero felicitas ejus impense memoratur, maxime vs 19 seqq et 88 seqq. Conf. quae annotabimus ad vs 90. Ceterum in reliquis rebus haud laeta admodum victoris fortuna fuerat: nam, ut ex extrema hujus carminis parte merito conjicitur, Callimachus, qui pater ejus fuisse videtur, aliquanto ante mortuus, nuperrime vero cognatus ejus Iphion exstinctus erat: quo dulcior sane et magni instar solatii victoria erat, aucta etiam honore fratris. Reportavit victoriam Alcimedon Olympiade LXXX.

Sunt, qui ex oraculi commemoratione, quae continetur initio carminis, non tantum efficiant, promissum esse ab oraculo Alcimedonti prosperum eventum certaminis, verum etiam propter hanc causam narrari vs 53 vaticinium de Aea-

cidarum in capiendo Ilio gloria. De oraculo Olympico videbimus ad vs 10: verum illud Apollinis vaticinium eam certe causam non habet, neque id alio pertinet nisi ad vetustum decus Aeginae et Aeacidarum illustrandum.

1. Μᾶτερ ὦ χρυσοστεφάνων. Comparat Poeta olivae splendorem et gloriam auro, cujus praestantiam laudat Ol. I 2, III 76. Conf. Nem. I 26 Ὀλυμπιάδων φύλλοις ἐλαιᾶν χρυσέοις. Scholiasta vetus χρυσοστέφανα ἄεθλα dicta putat quaevis praeclara certamina: Olympiam autem matrem eorum dici, quasi caput, quia ibi essent clarissima. Potius vero ἄεθλα sunt ipsa Olympica certamina, et Olympia quasi proprie dicitur eorum mater et parens, quae donet ea et proferat.

3. δέσποιν' ἀλαθείας. Interseritur appellationi Olympiae oraculi veritas: reditur ad ipsam appellationem vs 12. De oraculo ac de ministris ejus satis multa diximus ad Ol. VI. Memorat etiam Strabo L. VIII p. 353 τὸ μαντεῖον τοῦ Ὀλυμπίου Διός.

6. πέρι. Solet, quantum scio, praetermissa praepositione dici λόγον ἔχειν τινός, habere rationem alicujus, curare aliquem: velut Aesch. Prom. 231

Βροτῶν δὲ τῶν ταλαιπώρων λόγον
οὐκ ἔσχεν οὐδέν'.

Tamen in simili dictione est apud Sophoclem Ant. 283

δαίμονας λέγων
πρόνοιαν ἴσχειν τοῦδε τοῦ νεκροῦ πέρι.

Et Plat. De Legg. XII 952 d ξένοι ὧν δεῖ πέρι λόγον τινὰ ποιεῖσθαι. Similis color est sententiae apud Xenophontem, Mem. L. I C. IV 18 τῶν θεῶν πεῖραν λαμβά-

νης. εἴ τί σοι θελήσουσι περὶ τῶν ἀδήλων ἀνθρώποις συμβουλεύειν. Cf. Anab. L. VI C. IV 33.

8. ἀρετάν. Significat Poeta ipsam victoriae Olympicae laudem, quam deinceps vocat laborum respirationem: similiter laus, ἀρετὰ, et labor conjunguntur Ol. V 34 et VI 14.

8. θυμῷ. Copiose hoc additum est participio μαιομένων. Frequenter sic poetae antiqui, maxime epici, velut Hesiod. Theog. 443 ἐθέλουσά γε θυμῷ, et ibidem 446.

10. ἄνεται. Verbum medium h. l. esse existimo activa significatione, quemadmodum Py II 89

Θεὸς ἅπαν ἐπὶ ἐλπίδεσ-
σι τέκμαρ ἀνύεται.

Ἄνεσθαι λιταῖς ergo est perficere precibus, nempe id quod per eas petitur: id autem est satisfacere precibus.

10. πρὸς χάριν εὐσεβείας. Similiter Sophocles, Antig. 900, τίνος νόμου πρὸς χάριν, cujus legis gratia. Ceterum totus hic de extispicio Olympiae locus aliquam habere videtur difficultatem: Krausius quidem, Olympia pag. 94, non putat consuetudinem fuisse extispicia ob certatores consulendi, propterea quod nullum exemplum exstet certaminis propter adversa extispicia destituti: igitur aut facta praeter consuetudinem extispicia hoc loco significari, aut potius aliquid significari, quod universum fuerit: vult, nisi fallor, extispicia facta esse de toto ludorum eventu. Verum diserte Pindarus dicit, voluntatem Jovis explorari de hominibus laudem quaerentibus: horum autem cura non erat in eo potissimum posita, forentne ludi sine clade et Graecis prosperum eventum habituri, sed an ipsi essent praemium habituri: nec, quae memoratur, eorum pietas, alia fuisse videtur nisi sacrificiorum. Quam-

quam ergo nullum ejusmodi exemplum novimus, quale postulatur a Krausio, tamen certe in diserta Pindari oratione acquiescendum est. Neque quidquam ejus oratio habet, quo aliquid praeter consuetudinem factum significare videatur: hoc tamen moneo, quamquam apparet, non fuisse extra morem et consuetudinem, ut certatores victimas afferrent et extispicia ob eos fierent, non inde necessario consequi, semper hoc factum esse ab omnibus: potuit esse mos, quem qui vellet sequeretur: quod quidem si ita est, facilius etiam fieri potuit, ut sit silentium de certatoribus extispicio a certamine subeundo deterritis.

23. *στεφαναφορίαν.* Solebant quidem Graeci et in sacris faciendis ornari coronis, velut apud Platonem Cephalus, De Rep. L. I 328 c, et in epulis, quemadmodum Hercules apud Euripidem, Alc. 776, et quasi in omni laetiore negotio: vid. Soph. Oed. Ty. 82, Trach. 178. Quapropter fieri potuit, ut omnes, qui celebrandae victoriae interessent, coronati essent: verumtamen quae hoc loco dicitur *στεφαναφορία*, non ad aliam nisi ipsius victoris coronam pertinere mihi videtur. Memoratur etiam hoc vocabulum in vocabulis victoriarum propriis a Julio Polluce, L. III C. XXX 7.

16. *Ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλον.* Jam significavit Poeta universe victorum gloriam: priusquam vero ad Alcimedontis victoriam progrediatur, interponit sententiam de variis felicitatis viis: quod quidem facere videtur consolandi causa, quum domus Alcimedontis clade afflicta esset. Erigit ergo ejus mentem, commonens, non omnia bona contingere omnibus, sed multifaria tamen a Diis provenire gaudia, praeclarum vero Olympicae victoriae gau-

dium ipsi contigisse. Cernere licet singularem Poetae in consolando et commonendo humanitatem, quum luctum praesenti laetitia ita superari velit, ut illum neque cogitatione omittat, nec tamen apertius nominando renovet.

19. Τιμόσθενες ὔμμε δέ. Timosthenis laudem Nemeaeam cum Alcimedontis victoria Olympica copulat, illumque prius appellat, quippe, ut videtur, natu majorem. Jovem γενέθλιον appellari existimat Boeckhius propter genus Aeaci, nam Blepsiadas ab Aeaco duxisse originem: verum de ea origine nihil, quantum scio, compertum est. Apud Aesch Sept. c. Th. 639 Polynices

θεοὺς γενεθλίους
καλεῖ πατρῴας γῆς.

Sunt ibi Dii gentilitii. Verum γενέθλιον est etiam id, quod ad ipsa alicujus natalia pertinet: velut apud eundem Eum. 7 Phoebe donat Delphicum oraculum Phoebo γενέθλιον δόσιν. Et apud Euripidem Jon 655 θῦσαι γενέθλια est facere sacra propterea quod infans natus sit. Ipse dies natalis appellatur γενέθλιος ἡμέρα: Ammonius: τάσσεται ἐπὶ τῶν ζώντων, καὶ ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ ἐγενήθη, αὕτη καλεῖται γενέθλιος ἡμέρα. Atque ea significatione apud Platonem dicuntur θεοὶ γενέθλιοι, De Legg. V 729 c εὔνους γενεθλίους θεοὺς εἰς παίδων σποράν, et IX 879 d. Ita hoc Pindari loco non Jupiter gentilitius significari videtur, sed natalium Praeses, qui curavit vitae originem, et cui nunc jam ipsos tutandos et adjuvandos Fortuna tradidit patre orbatos. Ita, injecta modo luctus cogitatione, non tantum praesens gaudium confirmat laude fratris, verum ipsi quoque patris morti medetur divino solatio, Jovis nempe amore, qui has victorias adolescentibus dedisset et orbitatem compensaret: neque

enim attendenti Jovis epitheton obscura videtur Pindari sententia, divinam curam in patris desiderio pro cura paterna praedicantis: quum tamen eximia quadam suavitate, quemadmodum modo fecerat, silendo Callimachum, Jovem vero memorando, non luctui subjungat solatium, sed ipsam luctus cogitationem submittat solatii magnitudini.

21. *πρόφατον.* Simili forma *ὑπέρφατον* Ol IX 98.

23. *θῆκεν.* Fortasse hoc verbum positum est, quo luculentius significetur singulari divino beneficio data Alcimedonti victoria. Apud Hom. Il. XIX 407 alloquitur Achillem ejus equus,

αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.

Apud nostrum Py. IX 13 Apollo Cyrenen *θῆκε δέσποιναν χθονός*, et 93 ei praedictum fuerat, *νιν ἀρχέπολιν θήσεις.* Ad eandem significationem pertinere videtur modesta laudatio vs 25 *ἔργῳ οὐ κατὰ εἶδος ἐλέγχων*, si ei victoria non admodum difficilis fuit, ut ad vs 90 disputabimus.

24. *Ἦν δ' ἐσορᾷν καλὸς, ἔργῳ κ. τ. λ.* Conf. Nem. III 32

εἰ δ' ἐὼν καλὸς
ἔρδων τ' ἐοικότα μορφᾷ.

29. *ἀσκεῖται.* Est sane hoc loco Themis Dea, ut manifesto apparet ex epitheto. Potest autem *ἀσκεῖν* significationem habere colendi, honorandi aliquem: velut apud Eurip. Rhes. 944 Musa Minervam alloquitur: urbem tuam honoramus et Musaeum, civem tuum, magni fecimus: *πόλιν σὴν πρεσβεύομεν, Μουσαῖόν τε σὸν πολίτην ἠσκήσαμεν.* Sic etiam hoc loco id verbum in adoratione numinis significanda poni poterat. Verumtamen saepe Pindarus miscet copiose significationes numinum et virtutum earum, quibus illa praesint, et contra: cf. Ol.

I 48 et 145. Vide quae annotavimus ad Ol. VI 145. Igitur in ἀσκεῖται credo esse significationem exercendae ipsius justitiae: velut Nem. XI 9

ξενίου Διὸς θέμις ἀσκεῖται ἀενάοις
ἐν τραπέζαις.

Soph. Oed. Col. 913 δίκαι' ἀσκοῦσαν πόλιν. Plato Gorg. 527 e τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἄλλην ἀρετὴν ἀσκοῦντας. Dicitur autem Themis Σώτειρα solenni quidem nec tamen proprio cognomine: eodem enim insignitur ejus filia Eunomia Ol. IX 25.

30. ὅ τι γὰρ. Particula causalis in protasi posita est, versu 33 δὲ in apodosi. Similiter Ol. IX 158, 162, ἐντὶ γὰρ — τοῦτο δέ.

31. πολὺ καὶ πολλᾷ. Πολὺ est nomen adjectivum, sed pariter ac πολλᾷ referendum est ad ῥέπει. Plutarchus, Fab. 9, ἐνέκειτο τῷ δήμῳ πολύς. Philop. 17, ἡ δ' ἰσχὺς πολλὴ ἐχώρει. Πολὺ significat multitudinem rerum, quae vergunt, πολλᾷ magnitudinem inconstantiae, qua in varias partes vergunt. Notat Poeta commoda et jura, causas et negotia peregrinorum et mercatorum, quorum erat Aeginae ingens multitudo. Mutatio mercium ibi tanta fuit, ut merces, quae aliis mercibus potius permutarentur quam pecunia venderentur, omnino nomine appellativo merces Aegineticae dictae fuerint, et cunctarum rerum mercatores Aeginopolae. Certe tale emporium sine summa aequitate et justitia florere non potuit. Disputat de jure peregrinis dicundo Plato, De Legg. XII p. 952, 953, et de ejus rei difficultate, IV 705. Et ita Aegina floruit, ut ibi fuerint quadringenta et septuaginta millia servorum, secundum testimonium Aristotelis. Vide scholia et Athenaeum, L. VI p. 272. Etiam Nem. III

3 Aeginam Poeta appellat *πολυξέναν*, et Nem. V 15 *φίλαν ξένων ἄρουραν*.

33. *τεθμὸς*. Appositum fuisse signum *χ* memorat scholiasta vetus, causam adjiciens, *ὅτι τεθμὸν νῦν τὸ δόγμα καὶ τὴν δόκησιν εἴρηκεν*. Quod tamen non satis assequor.

34. *καὶ*. Fortasse hac particula Poeta Aeginam comparare vult Olympiae, et ipsi justitia advenarumque frequentia gloriosae.

36. *δαιμονίαν*. Py. II 5 Syracusae

ἀνδρῶν
ἵππων τε σιδαροχαρμᾶν
δαιμόνιαι τροφοί.

39. *Δωριεῖ λαῷ ταμιευομέναν ἐξ Αἰακοῦ*. Scholiasta vetus aliquanto post Aeacum Aeginam a Triacone Argivo occupatam esse dicit, ideoque Aeginetas vocari Dorienses: Herodotus L. VIII 46 Aeginetas Dorienses ex Epidauro esse affirmat: conf. L. V 83; et Strabo, L. VIII p. 375. Quae quidem testimonia Herodoti et scholiastae inter se congrua efficiuntur et confirmantur a Pausania, L. II C. XXIX 5, partem Argivorum narrante eorum, qui Epidaurum haberent, in Aeginam transiisse et veteribus Aeginetis mixtam Doriensium mores et sermonem intulisse. Conf. Mueller, Aeginet. p. 43. Verum illam post Aeacum coloniam h. l. non significat Pindarus, neque *ἐξ Αἰακοῦ* ita positum est, quemadmodum scholiasta vult, pro *μετὰ τὸν Αἰακόν*: *ἐξ* non significat aliquanto post, et ita demum significat post, ut, si qua res narrata sit vel certo tempore facta esse intelligatur, alia, quae ejus rei tempus consecuta sit, dici possit fieri *ἐκ τούτου*. Hic vero non narratum est Aeaci regnum quasi

praecedens regno Doriensium, nec praecessisse intelligitur: verum quo tempore initium ejus regni factum sit, declaratur. Pindarus h. l. originem Doricam usque ad ipsum laudatissimum gentis Aegineticae conditorem Aeacum refert. Nem. III 5 appellat Δωρίδα νᾶσον Αἴγιναν, et 21: Μυρμιδόνες ἵνα πρότεροι ᾤκησαν. Nec tamen ibi Doricum nomen et Myrmidonas ita significat, ut hi sejuncti ab illo esse debuerint, sed πρότεροι tantummodo antiqua tempora notat. Significat autem Myrmidonum nomine vetustos Aeacidas. Quos quum in illo Nemeaeo carmine non e numero Doriensium eximat, hoc vero loco diserte in eum numerum referat, nomen Doricum ad antiquiora tempora retulit et ad ea, quibus nondum in Aegina invaluisset. Verum nomen illud, quod omnino posterius in Graecis invaluit, retulit ad priora gentis tempora, et Doricam gentem appellavit eam, quae postea Dorica nominata est. In catalogo Graecorum apud Homerum Doriensium nomen non est, neque in toto Homero, si bene memini, praeterquam quod Od. XIX 177 numerantur in Cretae incolis. Herodotus, I 56, gentem Doricam jam Deucalionis tempore in Phthiotide fuisse tradit, ac tum demum Doricam eam nominatam esse, quum post multas migrationes Peloponnesum occupavisset. Atque quum antea Achaeorum nomen fuisset ceteris majus, id quod ostendit Homerus, qui saepe omnem Graecorum exercitum hoc nomine declarat, Pindarum eos, qui antea Achaei fuissent jure suo appellati, Doriensium nomine complexum esse puto. In catalogo autem vs 684 recensentur Phthiae incolae,

Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί·

et vss 559 seqq Argivi memorantur Epidauriique,

οἵ τ' ἔχον Αἴγιναν Μάγνητά τε κοῦροι Ἀχαιῶν·
tribus praeterea locis, vss 530, 702, 722, cunctos Graecos significat Achaeorum nomine: sed duobus his locis, quos apposui, nomen id magis proprium gentibus et insigne tribuit. Sunt autem in his et Myrmidones et Aeginetae. Atque hos ipsos, sedibus quidem postea diversos, origine vero et gente eosdem fuisse cognovimus, Peleo ex Aegina in Phthiam egresso. Et eandem Phthiotidem, Myrmidonum sedem, Herodotus antiquissimam sedem fuisse memorat ejus gentis, quae postea Dorica dicta est. Legimus etiam apud Platonem, De Legg. III 682 e: Achaei Trojam oppugnarunt, tum multa mutata sunt, et postea rursus *κατῆλθον μεταβαλόντες ὄνομα, Δωριεῖς ἀντ' Ἀχαιῶν κληθέντες.* Commisit ergo Pindarus, si velis, anachronismum, Aeacum Myrmidonem vel Achaeum ad Dorienses referendo, sed non alium ac nos committimus, Pindarum poetam Graecum vocando, si quidem gentium nomina pariter ac, secundum Horatium, verba valent usu. Certe illum

πρόφαντον σοφίᾳ καθ' Ἕλλανας ἐόντα παντᾷ

miratum magnopere fuisse credibile est, si quis eum appellasset *πρόφαντον σοφίᾳ κατὰ Γραικοὺς ἐόντα.* Verum, quum Dorienses et Achaeos attigi, praeterire non possum, de gentium earum discrimine jam dissensionem fuisse videri inter sacerdotem Atticam et Cleomenem regem Lacedaemonium: Herod. V 72.

43. *καλέσαντο συνεργόν.* Ipsi non poterant facere opus nisi immortale: moenia vero Trojae quum perire deberent, mortalis opera iis addere debebat fragilitatem. Conf. De Pindari Sapientia, p. 18.

47. *λαβρόν.* Proprie esse videtur prehendens multa

et occupans. Similiter de igne dicitur Py. III 70, de vento Hom. Il. II 148, Aesch. Pers. 110.

49. *πύργον*. Similiter de moenibus dicitur Eur. Hec. 1185.

50. *οἱ δύο*. Praepositum est totius sententiae subjectum *γλαυκοὶ δράκοντες*: quod nunc dividitur, *οἱ δύο μὲν* — *εἷς δέ*. Ejusdem generis exempla sunt, Hom. Il. V 27

Τρῶες δὲ μεγάθυμοι ἐπεὶ ἴδον υἷε Δάρητος
τὸν μὲν ἀλευάμενον τὸν δὲ κτάμενον παρ' ὄχεσφι·

Soph. Ant. 561

τὼ παῖδέ φημι τώδε τὴν μὲν ἀρτίως
ἄνουν πεφάνθαι, τὴν δ' ἀφ' οὗ τὰ πρῶτ' ἔφυ.

Sic etiam apud Latinos Livius IX 12: Consules, Papirius ad Luceriam pergit, Publius in Samnio substitit: et XXIV 20: Consules, Marcellus Nolam redit, Fabius in Samnium processit.

50. *κάπετον*. Id quod *κατέπεσον*. De mutatione Dorica, ut *τ* ponatur pro sigma, conferatur Ahrens, De Dialecto Dorica, pag. 64. Praepositionis vero *κατὰ* si posterior syllaba perit, solet sequens consonans duplicari: scribendum sic fuerat *κάππετον*: verum formae *κάπετον* anctoritatem vindicavimus in notis criticis.

55. *Πέργαμος ἀμφὶ τεαῖς*. Scilicet quum tres serpentes insilirent, duobus vero mortuis unus clamorem ederet et progrederetur, in Apollinis et Neptuni opere aggrediendo irritus futurus erat hostium impetus: idem vero Aeaci opus victurus erat. Spectare huc videntur, ut monet Boeckhius, quae sunt apud Homerum Il. VI 438, ubi Andromache memorat partem moenium, quam ter fortissimi Graecorum aggressi fuerint,

ἤ πού τίς σφιν ἔνισπε θεοπροπίων εὖ εἰδώς,
ἤ νυ καὶ αὐτῶν θυμὸς ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει.

56. *ἁλίσκεται.* Graviter in vaticinio tempus praesens in re futura ponitur.

59. *ἀλλ' ἅμα κ. τ. λ.* Sunt haec brevius enunciata. Subjectum verbi *ἄρξεται* est *ἀλίσκεσθαι* Πέργαμος: dativus *πρώτοις* personam efficientem significat: in *τετράτοις* zeugmate praedicatum ex antecedente oratione supplendum est *ἁλώσεται*. Dicit ergo: Pergamus capietur, non sine liberis tuis, sed capi incipiet, id est primum capietur, simul a tua prima progenie, et capietur a quarta. Ἅμα additum est ad copulanda arcte *ἄρξεται* et *πρώτοις*, quia nulla prior futura erat Trojae eversio quam ea, quae facta foret a prima Aeaci progenie: fuit autem ea Telamon, Herculis in Pergamo vastanda socius:

ξὺν ᾧ (Ἡρακλεῖ) *ποτε Τρωΐαν*
κρατερὸς Τελαμὼν πόρθησε,

Nem. IV 40. Quarta progenies fuit Neoptolemus, eversor Trojae,

Πριάμου πόλιν Νεοπτόλεμος πράθεν,

Nem. VII 52: sed in hujus computatione ipse gentis auctor Aeacus assumendus est: fuit enim Neoptolemus filius Achillis filii Pelei filii Aeaci. Ceterum quam notavimus horum verborum brevitatem, est haec magnopere divini vaticinii gravitati conveniens: quae gravitas etiam augetur eo, quod celerrime post Apollinis vaticinium narratur ejus abitus.

61. *σάφα.* Adjicitur, quia non erat hoc vaticinium ambiguum, *κίβδηλον*, ut quandoque esse solebat. Herod. I 66, 75.

62. *Ξάνθον.* Heynius existimat Xanthum in Troade fluvium significari: affert autem, apud Homerum equos Apollinis ad illum fluvium pabulum carpere: affirmat

idem Boeckhius: verum equidem me id apud Homerum legere non memini. Melius, ut credo, scholiastae Xanthum Lyciae fluvium significari existimant. Erat ille etiam longius a Trojae moenibus remotus, et memorantur praeterea Amazones et Ister, diversa et longinqua loca: ut divina Apollinis celeritas appareat. Ludens respexit fortasse hunc Pindari locum Lucianus, Bis Accus. I: ubi Jupiter querens de difficili et laboriosa vita Deorum Apollinis labores deplorat in adeundis multifariis locis. Amazones vero arciferae, quae ad Thermodontem habitarunt, fuere cultrices Dianae, eique templum ab illis Ephesi conditum fuisse affirmavit Pindarus, ut testatur Pausanias, licet ipse id factum esse neget: L. VII C. II 4. Idem est apud Callimachum, Hymn. in Artem. 237

Σοὶ καὶ Ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτειραι
ἔν κοτε παῤῥαλίῃ Ἐφέσου βρέτας ἱδρύσαντο.

Diana autem Ephesia quamquam a Graecorum Diana sorore Apollinis distinguenda est, Pindarus tamen eam non distinguit, quum Amazonas etiam in Apollinis amorem adsciscat. Hyperborei, Istri accolae, quam fuerint secundum Pindarum Apollini dilecti, intelligitur etiam ex Ol. III 29, ubi Poeta illum populum appellat Ἀπόλλωνος θεράποντα. Quum vero cantata Deli in sacris ab Hyperboreis acceptis carmina ab Olene Lycio facta essent, tumulusque sacerdotum Hyperborearum Deli fuerit pone templum Dianae, secundum Herodotum L. IV 35, vide, an non Amazonas et Hyperboreos et Lyciam commemorando Pindarus ejusdem alicujus vetustae fabulae partes respexerit, quae ad Apollinis ac Dianae cultum pertinuerit. Quo magis adducimur, ut assentiamur Brouwero, cultus Dianae Graecae et Dianae Ephesiae com-

munem originem esse statuenti: Histoire de la civilisation des Grecs, II 340, 351, VII 303. Ceterum celeritas itineris exprimitur et brevitate dictionis, et verbis ἤπειγεν ἐλαύνων, et repetita particula καί.

62. ἤπειγεν. Intransitive etiam ponitur Soph. El. 1435 ἔπειγέ νυν, et Eurip. Or. 787 ἀλλ' ἔπειγε.

62. Ἀμαζόνας εὐίππους. Eurip. Hippol. 307 τὴν ἱππίαν Ἀμαζόνα, 581 τῆς φιλίππου Ἀμαζόνος. Cf. Ol. III 47.

67. δεῦρο. in Aeginam. Cf. vs 34 τάνδε.

68. δειράδ'. Pro δειράδι: propter praepositionem ἐπὶ vs 64. Collum Corinthi est jugum, quod, ab Isthmo incipiens, urbem in se sitam habet: cf. Ol. III 48, IX 89: Eurip. Phoen. 206 ὑπὸ δειράσι νιφοβόλοις Παρνασοῦ. Quo autem pertineat Neptuni iter in Isthmum, exprimitur clarae coenae commemoratione: nec sane quaequam facile ei Deo sacra jucundiora fuere quam Isthmia, tum reliquis rebus tum certaminibus gloriosa. Jucunda vero est haec antiquissimorum poetarum ratio, ut sacra epulas aliquas esse velint, ad quas ipsi Dii veniant. Hom. Il. I 423

Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
χθιζὸς ἔβη κατὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

Cf. quae annotavimus ad Ol. III 72.

70—78. Est hic quidem locus mea sententia admodum difficilis, nec certam habeo explicationem: tamen ea proponam, quae mihi videntur probabilia. Melesiam constat fuisse magistrum palaestrae ingenti gloria et discipulorum victoriis quam plurimis clarum. In illis discipulis fuere et alii Aeginetae, et Alcimedon ac Timosthenes. Alcimedontis quidem victoriam Olympiam hoc carmine celebrat, Timosthenis vero Nemeaeam vs 21 verbo attigit, postea hanc carmine integro celebra-

turus. Et sperat, huic adolescenti etiam aliquando, quum vir factus esset, fore ut contingat summus honos victoriae in pancratio reportatae: quandoquidem et ipse, praeclaro jam tirocinio facto, viam optime progrediendi cognoverit experiendo: tum quia etiam porro usurus sit magistro eruditissimo et solertissimo. Verum magna Melesiae gloria non caruit obtrectatione: nec quidquam solet placere pariter cunctis mortalibus: ergo Poeta, in tali viro laudando copiosus, nonvult invidiae metu se cohiberi, verum eam avertit a se. Quod scripsi, pancratii virilis victoriam Pindarum sperare Timostheni, habet id hanc causam, quod eam spem pronunciat continuo post memoratum illius Nemeaeum decus: et, quia ille, ut ad vs 19 annotavi, fratre major fuisse videtur: tum vero, quia sic optime convenit vs 86 reditus ad praesentem laudem Alcimedontis, ipsis vocabulis *νῦν μὲν* a digressione ad propositum revocantibus.

70. *Τερπνὸν κ. τ. λ.* Rediens ab antiquis Aeaci et Aeacidarum laudibus praeponit universam sententiam, justum debitumque meritis daturus honorem, et humanum tamen, neque ita supra sortem mortalium, ut omni obtrectatione careat. *Τερπνὸν* est instar nominis substantivi, estque orationis positio haec, ut significetur, *τερπνὸν οὐδὲν ἔσσεται τερπνὸν ἶσον ἐν ἀνθρώποις*, nulla res jucunda erit res pariter jucunda in hominibus.

71. *Μελησίᾳ.* Egregie laudatur hic idem Nem. IV 151 et VI 110: quorum utrumque carmen etiam Aegineticis ejus discipulis scriptum est. Tamen scholiasta ad Nem. IV 155 illum dicit genere Atheniensem fuisse.

71. *ἐξ ἀγενείων κῦδος.* Gloriam ipsi partam ex imberbibus: ex discipulorum victoriis redundantem ad ipsum.

72 *ἀνέδραμον*. Solet esse fere intransitivum. Tamen praeter hunc locum etiam habet accusativum loco Simonidis, servato a Scholiasta ad Eurip. Phoen. 515 *κατενάσθην*: *ἀντὶ τοῦ καταναςθήσομαι. καὶ Σιμωνίδης ἐν ἰάμβοις*

τί ταῦτα τῶν μακρῶν λόγων ἀνέδραμον;

ἀντὶ τοῦ ἀναδραμεῖν μέλλω. Quam quidem scholiastae explicationem nunc non moror: exemplum ipsum attulisse sufficit. Memorabile tamen est, ad hunc quoque Pindari locum a scholiasta vetere annotari, secundum quosdam *ἀνέδραμον* significare *ἀναδραμοῦμαι*.

74. *Νεμέᾳ*. Conjungendum est cum *χάριν*, decus Nemeae partum vel potius domesticum, decus Nemeaeum: similiter 109 *κόσμον Ὀλυμπίᾳ*. Cf. quae annotavimus ad Ol. I 151 *τὸ κλέος τᾶν Ὀλυμπιάδων ἐν δρόμοις*.

76. *μάχαν*. Vocabulum hoc in certamine gymnico poni quidam negant. Et certe Ol. II 78 distinctio est, *νέοις ἐν ἀέθλοις ἐν μάχαις τε πολέμου*: similiter Py VIII 36 *νικαφόροις ἐν ἀέθλοις καὶ θοαῖς ἐν μάχαις*. Et reliquis omnino Pindari locis *μάχα* est proelium, velut de ipsis Aeacidis, qui hoc quoque carmine celebrantur, *σὺν μάχαις δὶς πόλιν Τρώων πράθον*, Ist. V 45. Tamen Diagoram, pugilatu clarissimum, appellavit *εὐθυμάχαν πελώριον ἄνδρα*. Et *μάχεσθαι* de ipso pugilatu, qui sane e gymnicis certaminibus ad proelium accedit proxime similitudine, est apud Homerum, Il. XXIII 621

οὐ γὰρ πύξ γε μαχήσεαι οὐδὲ παλαίσεις.

Et apud Hesiodum, Sc. Herc. 302

οἱ δ' ἐμάχοντο πύξ τε καὶ ἑλκηδόν.

Igitur *μάχα* quidem de certamine pancratii, quod etiam pugilatum continebat, dici posse videtur, nec dubito, quin ita hoc loco dictum sit. Verum, si certamen gym-

nicum significatur, jam deinceps de sententia inquirendum est. Dixit Poeta, se celebraturum esse Nemeaeum decus: jam dicit, se postea celebraturum esse certamen virorum: certamen autem, quod celebratur, non est nisi victoris: ergo verbo ἐρέω expletur vocabuli μάχαν quasi significatio ea, ut sit fere synonymum ejus, quod modo positum fuit, χάριν: sic quidem recte addita sunt ἐκ παγκρατίου: parta foret e pancratio illa canendi materia in certamine virili posita. Quae quidèm explicatio si vera est, difficultas ea, quae nobis est hujus loci, Graecis non fuit, continuo Poetae sui sententiam eam assequentibus, ut optaret, Timostheni, quum vir factus foret, partum iri pancratii victoriam: et tamen illis quoque, quamquam certaminis nomine nunc victoriam designari intelligentibus, certamen proprie non idem esse visum est atque victoria: verum hanc quasi quandam nubem levem orationi Poeta imposuit, ut tamen, quid vellet, appareret, propterea quòd rem futuram optat: est enim a rerum futurarum fiducia alienus, quamvis plenus spei et semper incitans: illa μάχα nondum erat χάρις, neque fidentius eam ita jam vocandam putat, et tamen mente eam carminis materiem praecipit. Nec tamen haec ita disputari volo, quasi Poeta accurate cogitateque verba quaesiverit: potius partam ingenio et naturae impetu sententiam verba non invita secuta sunt: sed aliud est, dirigere mentem et perfectum condere opus: aliud, adhibere artem, ut in perfecto opere praeclarum decus intelligas. Similiter IX 129 χάρμαι quidem dicuntur, sed laudantur propter victorias.

77. ἐκ παγκρατίου. Pancratium fuit grave certamen, compositum ex lucta et pugilatu.

77. τὸ διδάξασθαι. Scholiastae veteres et alii interpretes memoratam vs 74 Nemeaeam in pueris victoriam et 76 virile pancratium ad Melesiam ipsum ita referunt, ut harum utramque victoriam illi obtigisse existiment: idcirco illum expertum optimum esse magistrum: nam διδάξασθαι significare id quod διδάξαι. Sunt ejus significationis tum alia exempla, tum Lucian. Vit. Auct. 3 τί με διδάξεις; διδάξομαι μὲν οὐδέν. Cron. 12 ἐγὼ ἦ δ' ὃς διδάξομαί σε· κᾆτα ἀρξάμενος ἐδίδασκεν. Saepe vero significat aliquem erudiendum curare: Aristoph. Nub. 1338

ἐδιδαξάμην μέντοι σε νὴ Δί' ὦ μέλε'
τοῖσιν δικαίοις ἀντιλέγειν.

Xenoph. Mem. L. IV C. IV 5 σκυτέα διδάξασθαί τινα ἢ τέκτονα. — αὐτὸς μαθεῖν τὸ δίκαιον ἢ υἱὸν ἢ οἰκέτην διδάξασθαι. Cf. Lucian. de Saltatione 25. Tamen etiam significat discere: Soph. Ant. 356: Homo

καὶ φθέγμα καὶ ἠνεμόεν
φρόνημα καὶ ἀστυνόμους
ὀργὰς ἐδιδάξατο, καὶ
δυσαύλων πάγων αἴθρια
καὶ δύσομβρα φεύγειν βέλη.

Eurip. Hel. 1426

οὐ νῦν διδαξόμεσθα τοὺς φίλους φιλεῖν.

Atque haec hujus loci significatio mihi esse videtur. Duas ergo Poeta causas affert, quare Timostheni majorem illam gloriam fore speret: alteram, quia jam peritiam ostenderat eoque facilius plura discere poterat et ad majora pervenire, 77—80: alteram, quia sapientissimo utebatur magistro, 81—85.

48. ἄγνωμον. Certe proprie de hominibus dicitur: Soph. Trach. 473 ἐπεί σε μανθάνω οὐκ ἀγνώμονα. Hic

tamen de re: etiam apud Lucianum, Abdic. 24 ὡς παντάπασιν ἄγνωμον ποιεῖς. Aliter apud Aeschinem adv. Ctesiph. C. 90 τὰ ξύλα καὶ τοὺς λίθους καὶ τὸν σίδηρον, τὰ ἄφωνα καὶ ἀγνώμονα.

79. προμαθεῖν. Quippe puer lucta antea experiendo praeparatur ad virile pancratium. Soph. Phil. 538

ἐγὼ δ' ἀνάγκῃ προὔμαθον στέργειν κακά,

necessitas me exercuit et erudivit.

83. ἄνδρα. Fortasse diligenter hoc vocabulo usus est, non τινά, intentus futurae laudi adolescentis, quum vir factus foret. Et tamen facile id est argutius: cf. 96.

82. περαίτερον. Valde proprie et significanter hoc vocabulum positum est, quum sequatur προβάσει. Aesch. Prom. 247

μή πού τι προὔβης τῶνδε καὶ περαιτέρω.

83. προβάσει. Plato, Protag. 328 a ὅστις διαφέρει προβιβάσαι εἰς ἀρετήν, qui melius quam ceteri ad virtutem provehere possit. Xen. Mem. L. I C. V 1. προβιβάζειν εἰς ἐγκράτειαν.

87. νίκαν τριακοστάν. Erat quippe haec Alcimedontis victoria tricesima earum, quas reportaverant discipuli Melesiae.

90. ἀπεθήκατο. A se avertendi, arcendi significationem habet. Conf. Ol. X 47. Quum autem Alcimedonti, si ei contigit ut ephedrus esset, contendendum fuerit cum adversariis jam certando defatigatis, vss 22 et 88 celebratur Jupiter auctor victoriae ac τύχα δαίμονος, ipsius vero adolescentis fortitudo modeste laudatur, nec quasi magno quodam labore ejus gloria parta praedicatur: eam vero ignominiam, quae victo fuisset, sed quam a se avertit, acriter Poeta depingit, quo luculentius appareat

ejus felicitas: neque enim antiqui eas laudes, quas a Diis acceperant, postponebant iis, quas sua ipsi opera quaesiverant: quemadmodum apud pium Herodotum Themistocles de Xerxe pulso: τάδε γὰρ οὐκ ἡμεῖς κατεργασάμεθα ἀλλὰ θεοί τε καὶ ἥρωες, VIII 109. Sic vero maxime Homerus, apud quem neque Hector Patroclum neque Hectorem Achilles sine praesenti Deorum auxilio vincunt. Quam antiquitatis sententiam pulcherrime expressit Schillerus in Poemate Das Glück: velut his:

Ein erhabenes Loos, ein göttliches, ist ihm gefallen,
Schon vor des Kampfes Beginn sind ihm die Schläfe bekränzt. —
Zürne dem Glücklichen nicht, das den leichten Sieg ihm die Götter schenken.
Gedichte, Th. I p. 9.

90. ἐν τέτρασιν παίδων γυίοις. Παίδων γυῖα ex antiqua sermonis ratione dicuntur, quemadmodum apud Homerum initio Iliadis αὐτοί dicitur de corporibus et distinguuntur ab illis ψυχαὶ ἡρώων, et apud Herodotum ἀνθρώπου σῶμα ita dicitur ut nos recentiores individuum hominem vel personam dicere solemus, I. 32: similiter Soph. Oed. T. 643 τοὐμὸν σῶμα: Eurip. Iphig. Aul. 407 Κλυταιμνήστρας δέμας: Or. 107 Ἑρμιόνης δέμας: Heraclid. 89 οὐ γὰρ σῶμ' ἀκήρυκτον τόδε: Hec. 1027 παίδων τε δισσῶν σώματα: Xenoph. Anab. L. IV C. VI 10 ὡς ἐλάχιστα σώματα ἀνδρῶν ἀποβάλωμεν. Et Ovid. Fast. IV 553, 556 pueri corpus vivente favilla obruit, — membraque ab igne rapit: Horat. L. I Od. XXXV 3 mortale corpus. Neque igitur absurda sententia fuisset in glossemate Ol. X 89 σᾶμ' Ἁλιῤῥοθίου, σῶμα: quod memoravimus in notis criticis ad eum locum: eoque etiam pertinere potuit scholion vetus, ἐὰν δὲ γράφηται Σᾶμ' Ἁλιῤῥοθίου, ἔσται αὐτὸς ὁ Ἁλιῤῥόθιος, cui tamen alia admixta sunt, ex explica-

tione vocabuli σῆμα desumta: ut ex incongruis conflatum videatur. Significantur ergo ipsi παῖδες praesentes, ut conspicerentur. Praepositio ἐν non ita cum verbo conjuncta est, ut verbi objectum etiam huc referendum sit: sed arcuit Alcimedon a se ignominiam, idque fecit in quatuor pueris. Verum diserte eum numerum exprimens Poeta non significat, tantum adfuisse eos: sic enim ignominiam averterat victor etiam in omnibus spectatoribus: verum verba ipsa persequentibus apparet, aliquem ignominiam a se avertere in quatuor adolescentibus, si et ipsi et his de ea certandum est: ergo cum quatuor adolescentibus conflixit Alcimedon. Apud Lucianum, Hermot. 40, legimus, certatores sortibus fuisse divisos in paria: quodsi autem numerus esset impar, iisdem sortibus unum relinqui sine adversario: nec de repetito certamine vel de iteratis sortibus quidquam memorat: illum vero exspectare, donec reliqui certamina peregerint, et esse tam magnam felicitatem, integrum certare cum defessis: ἐφεδρεύει περιμένων, ἔστ' ἂν ἐκεῖνοι ἀγωνίσωνται· καὶ ἔστι τοῦτο οὐ μικρὰ εὐτυχία τοῦ ἀθλητοῦ, τὸ μέλλειν ἀκμῆτα τοῖς κεκμηκόσι συμπεσεῖσθαι. Ergo nunc quidem videntur novem fuisse adolescentes: quatuor victi certaminibus singularibus: reliquos quatuor profligavit Alcimedon. Credibile tamen esse mihi videtur, non uno cum cunctis victoribus certamine certasse ephedrum, sed cum singulis certamine singulari: neque enim lucta unius cum pluribus quomodo facta foret intelligo: et ita sane magna pars felicitatis decessisset. Simillimus autem huic loco est Py. VIII 117

τέτρασι δ' ἔμπετες ὑψόθεν
σωμάτεσσι κακὰ
φρονέων· τοῖς οὔτε νόστος ὁμῶς

ἔπαλπνος ἐν Πυθι-
άδι κρίθη.

Conf. Plut. Sylla XXIX τὸν μὲν τελευταῖον ἀγῶνα καθάπερ ἔφεδρος ἀθλητῇ καταπόνῳ προσενεχθείς.

93. πατρὶ δὲ κ. τ. λ. Avo, quem senectus jam mortis admonebat, tale gaudium Alcimedon dedit, ut ille quasi vitae redderetur.

96. ἄρμενα πράξας. Πράσσειν in sorte significanda non tantum habet adverbia εὖ, καλῶς, alia, verum etiam quemvis accusativum: Aesch. Pers. 727

καὶ τί δὴ πράξασιν αὐτοῖς ὧδ' ἐπιστενάζετε;

Agam. 1442, apud Heusdium 1351,

ἄτιμα δ' οὐκ ἐπραξάτην.

Eurip. Hec. 1000 πάντα πράξας ὧν σε δεῖ. Alc. 621 κεδνὰ πράττειν. Ἄρμενα autem, proprie aptata, accommodata, ejus jucunditatis habent significationem, quae vel corpus vel animum tum maxime juvet: velut in educationis cura ponitur, Nem. III 99, ubi Chiron Achillem

ἀτίταλλεν ἐν ἀρμέ-
-νοισι πάντα θυμὸν αὔξων·

Theogn. 269

παῖδας ἐπεὶ θρέψαιο καὶ ἄρμενα πάντα παράσχοις·

in cibis Hesiod. Theogon. 639

ἀλλ' ὅτε δὴ κείνοισι παρέσχεθεν ἄρμενα πάντα
νέκταρ τ' ἀμβροσίην τε τάπερ θεοὶ αὐτοὶ ἔδουσι·

Scut. Herc. 84

οἵ ῥά μιν ἠσπάζοντο καὶ ἄρμενα πάντα παρεῖχον·

in omni rerum quae optantur fructu Theogn. 703

οὐ δύναμαί σοι θυμὲ παρασχεῖν ἄρμενα πάντα·

in verbis Hesiod. Scut. Herc. 116, Hercules ridet et laetatur verbis Iolai

μάλα γάρ νύ οἱ ἄρμενα εἶπεν.

Exquisite ergo Poeta hoc vocabulum posuit, significans, Alcimedontis laudem avo ejus nunc maxime instar esse cujusdam apti et jucundi nutrimenti, quo quasi novum vitae fructum recuperaret. Conf. ann. ad 106.

97. *ἀλλ' ἐμὲ.* Jam carminis gloria totam, ex qua Alcimedon erat, tribum contingit. *Μναμοσύνα* est memoria earum victoriarum, quae Blepsiadis jam contigerant. Dativus *Βλεψιάδαις* ita cum *ἄωτον* conjunctus est, ut significetur flos, qui flos est Blepsiadis, i. e. qui ornat eos. Eurip. Phoen. 88

ὦ κλεινὸν οἴκοις Ἀντιγόνη θάλος πατρὶ.

Cf. Matthiae Gramm. II p. 714. De Blepsiadis cf. Mueller, Aeginet. p. 139.

102. Singularem silentio praeterire non possum Poetae humanitatem, qui jam antea, vss 16 et 19, mortuorum memoriam cogitatione attigerit, sed hoc demum loco aperte ac diserte celebret, quum jam ita mentes evexit in magnum gaudium, ut funerum mentio nunc non ad vivorum tristitiam pertineat, sed contra ea viventium decus redundet ad mortuos.

103. *κὰν νόμον ἐρδόμενον.* *Νόμος* et *ἔρδειν* solennia vocabula sunt in sacris, velut Hes. Theog. 416

καὶ γὰρ νῦν ὅτε πού τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
ἔρδων ἱερὰ καλὰ κατὰ νόμον ἱλάσκηται.

Quemadmodum vero mortuorum honor in primis ad religionem pertinuit, in eodem etiam vocabulum *νόμος* ponitur, velut Thucyd. L. II 34, 35. Significat Poeta, non interitu deletos esse mortuos, verum esse aliquam partem, quae ad eos pertineat, nempe parentalia. Conf. Ol. I 146. Cicero e pontificio jure et e caerimoniis

sepulcrorum intelligi docet, unum illud insitum fuisse priscis, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem vitaeque commutationem: Tusc. L. I 12. Verum inferiarum haec mentio quae alia est nisi decoris Olympici, quo parando Alcimedon mortuos consanguineos honoravit et animas eorum oblectavit, ut praeclara perpetrando ipsum pietatis officium expleverit?

105. *συγγόνων κεδνὰν χάριν.* Potest significari gratia et honos, qui mortuis tribuitur: ita Hesiod. Op. 190

οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται οὐδὲ δικαίου.

Verum etiam active explicari potest gratia et amor, quo consanguinei perseverent etiam mortui meminisse eorum, quos reliquerint. Ita Thucyd. III 95 *Δημοσθένης τῶν Μεσσηνίων χάριτι πεισθεὶς*: Plut. Cat. min. 34 *χάριτι τῆς πόλεως*, Lucull. 35 *χάριτι τοῦ δήμου*, favore vulgi. Atque ita mihi videtur hic Pindarus significare, eum amorem, qui consanguineorum erga suos fuerit, pulvere non obrui. Adjectivum *κεδνὸς* non semper certam eandemque significationem habere creditur: certe tribuitur ei etiam prudentiae significatio, velut Py. X 111 *κεδναὶ πολίων κυβερνάσιες*: verum de ea significatione suo loco disputabimus. Certe persaepe est significatio caritatis gratiosae et amabilitatis, veneratione quadam adjuncta. Velut Hom. Il. IX 586 de amicis, *ἑταῖροι*

οἵ οἱ κεδνότατοι καὶ φίλτατοι ἦσαν ἁπάντων.

De matre Od. X 8 *παρὰ πατρὶ φίλῳ καὶ μητέρι κεδνῇ*, Hesiod. Theog. 169. De uxore Hesiod. Op. 699

παρθενικὴν δὲ γαμεῖν ἵνα ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς.

Eur. Alc. 97 *κεδνῆς γυναικός*. Chorus vero, 620, laudata domestica Admeti hospitalitate omnisque generis virtute,

πρὸς δ' ἐμᾷ ψυχᾷ θράσος ἥσται
θεοσεβῆ Φῶτα κεδνὰ πράξειν·

quo significari videtur, virum pium et hospitalem nacturum esse sortem dignam eo amore, quem aliis praestiterit. Atque hoc Pindari loco *συγγόνων κεδνὰ χάρις* est dulcis et pie colendus amor nostri, quem consanguinei mortui servant.

106. *Ἰφίων.* Qui fuerint Iphion et Callimachus, non certo apparet: in scholiis nihil affirmatur: secundum quosdam dicuntur ambo fuisse consanguinei, secundum alios Iphion pater Alcimedontis, Callimachus patruus. Neque ego quidquam affirmavero: vero simile tamen mihi esse videtur, Iphionem Alcimedontis patruum fuisse et nuperrime mortuum: patrem Callimachum, et aliquanto antea obiisse: ut Iphion etiam tum vixerit, quum Alcimedon certamen parabat, nunc vero, quasi quodam recentiore cum rebus viventium commercio, prior nuncium audiat. Quae si ita sunt, tanto majus certe patri patris, duobus filiis amissis, e nepotis victoria solatium exstitit. Similis autem huic loco est Ol. XIV 28. Et apud Euripidem, Heraclid. 320, Iolaus Demophonti affirmat, adjuvanti liberos Herculis, se mortuum aliquando Theseo narraturum ea omnia, et affirmaturum, illum dignum esse patre suo.[1])

107. *Ἀγγελίας.* Hoc uno loco, quantum scio, est Deae instar. Videtur ea nuncium ferre in inferos, fortasse idcirco Mercurii filia dicta: tamen eodem modo Echo id facere dicitur Ol. XIV. Heynius existimat, Iphionem mortuum esse eo tempore, quod fuit inter

---

1) Si quidem ibi legendum est *ὅταν θάνω.*

victoriam et hoc carmen: verum id minime mihi videtur conveniens verbis Pindari.

109. κόσμον Ὀλυμπίᾳ. Dativus est instar nominis adjectivi: cf. annotatio ad Ol. I 151.

109. σφιν γένει. Hic quidem est id quod αὐτῶν γένει. Cf. Ol. I 106, II 28, 74. At convenit Ol. IX 24.

110. ἐσλὰ δ' ἐπ'. Finitur carmen in piis precibus et in averruncando Nemesin infestam, quemadmodum solebant veteres in praestantibus bonis alteram timere fortunam, maxime vero Pindarus solet omnis rei eventum reponere in Diis. Et nunc praesertim, quum post clades funestas lux esset data domui, incrementa felicitatis et morborum propulsationem precatur.

112. νόσους ἀπαλάλκοι. Hesiod. Theog. 527 Hercules Prometheo

κακὴν ἀπὸ νοῦσον ἄλαλκεν.

114. διχόβουλον. Cogitantem alia, i. e. mala, per euphemismum. Sic Nem. VIII 5 ἁμέροις χερσὶ — ἑτέραις, placida manu et alia, i. e. immiti.

114. θέμεν. Nempe Ζῆνα.

116. αὐτούς. Alcimedontis gentem.

OLYMPIA IX.

Epharmosti, solenni carmine jam honorati Olympiae, nunc Olympicam victoriam et Pythicam Poeta celebrare instituit hoc carmine, pariterque claram ejus patriam Opuntem, 1—37: tum suam poesin laudat: et omnino sapientiam ac fortitudinem Diis deberi dicit: 38—43:

idque confirmat exemplo Herculis, qui etiam ope divina adjutus adversus Deos pugnam sustinuisset, 43—54: sed continuo eam fabulam, utpote impiam et Diis indignam, rejicit, 54—62. Ad Opuntem revertitur, olim Deucalionis et Pyrrhae sedem post terrarum inundationem, et ab illis claras Opuntiorum regum origines repetit: 62—84. Vetustum regem Opuntem, filium Jovis at Locro datum celebrat: 85—100. Hospites laudat, qui ad illum venerunt, in primis Menoetium, 101—106: hujus filii Patrocli fortitudinem commemorat et cum Achille necessitudinem, 107—119. Verum revocat se, et Lampromachi Epharmostique victorias canit, et hujus quidem permultas: 119—151. Ideo autem eum claro carmine celebrari oportere praedicat, quia id, quod tam in poesi quam in reliquis laudibns debeatur naturae, sit optimum, et ille divinitus fortis sit: 152—168.

Est hujus carminis fervor et grandis ac robusta oratio, conveniens, nisi fallor, eximiae ipsius Epharmosti fortitudini, quasi nati et facti ad certamina. Factum videtur a Pindaro propter necessitudinem et amicitiam Lampromachi, Thebanorum apud Opuntios proxeni, quum hic esset ipsius Epharmosti amicissimus: et datum victori in patriam reduci, quum hic in festo Ajacis herois indigetis aram coronasset. Qua Olympiade haec victoria Olympica ab Epharmosto reportata fuerit, ignoramus. In scholio vetere ad vs 17 est: ἐνίκησε δὲ ὁ Ἐφάρμοστος καὶ Ολύμπια, ὡς προεῖπε, καὶ Πύθια, ἑβδομηκοστῇ τρίτῃ Ὀλυμπιάδι. Et in altero: καὶ γὰρ Πύθια ἐνίκησεν ὁ Ἐφάρμοστος τὴν τριακοστὴν Πυθιάδα: ibique in Urat. A est λγ΄. Quae computationes manifesto pugnant inter se. Boeckhius pro ἑβδομηκοστῇ τρίτῃ Ὀλυμπιάδι legen-

dum putat τριακοστῇ τρίτῃ Πυθιάδι, eamque suam conjecturam non audacem sed certam esse affirmat.

1. Monemur in scholiis, morem fuisse ut victoribus adhiberetur carmen Archilochi, vespere Olympiae victoriam reportatam celebrantibus: exemplum hujus moris hoc loco cernimus. Venisse autem Archilochum ipsum Olympiam, ibique illum hymnum composuisse in honorem Herculis, ludorum conditoris. Fuit ejus initium hujusmodi:

Τήνελλα,
ὦ καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεις,
αὐτός τε καὶ Ἰόλαος αἰχματὰ δύο.

Et primo quidem sono poeta usus fuerat pro exordio citharae, propterea quod tum non aderat citharoedus. Affert scholiasta etiam versum Aristophanis, Eq. 276

ἀλλ' ἐὰν μέντοι γε νικᾷς τῇ βοῇ τήνελλος εἶ.

3. καλλίνικος ὁ τριπλόος. Aristarchum legimus in scholiis triplex carmen ita exposuisse, quod trium stropharum fuisset: Eratosthenem vero, quod ter accineretur callinici nomen Herculi: atque aliae etiam explicationes afferuntur. Equidem sententiam Eratosthenis sequor, propterea quod Pindarus, ipsum quasi hymnum callinicum vocans, arcteque conjungens καλλίνικος ὁ τριπλόος κεχλαδώς, luculenter ostendit, ter sonuisse illud vocabulum.

3. κεχλαδώς. Maxime de ebullitione et fervore dici videtur: quemadmodum καχλάζω Ol. VII 2 de rore uvae: Aesch. Sept. C. Th. 114 vis hostium cum impetu maris ventis agitati comparatur

κῦμα γὰρ περὶ πτόλιν
δοχμολόφων ἀνδρῶν

καχλάζει πνοαῖς
Ἄρεος δρόμενον.

Et similis comparatio est malorum molis, 758

κακῶν δ' ὥσπερ θάλασσα κῦμ' ἄγει
ὃ καὶ περὶ πρύμναν πόλεως καχλάζει.

Ipsum Pindarum velut monte decurrentem amnem fervere dicit Horatius, L. IV Od. II 7. Hoc autem loco de voce ampla et canora dicitur.

5. ἀγεμονεῦσαι κωμάζοντι. Si κωμάζειν de festa et solenni pompa dicitur, ἀγεμονεύειν habebit propriam ducendi significationem, quomodo Py. I 4, 6, Φροίμια dicuntur ἀγησίχορα, et incessus dicitur obtemperare citharae. Verum convivium significari existimo: neque id facile in Graecis cantu caruit: conf. Ol. I 24, et Py. III 158. Ergo ipsi cantui primas in convivii gaudio partes Poeta tribuit, et ita quidem, ut in festo propter victoriam instituto ipsa gaudia a carmine regi praedicet. In interpretatione Latina scripsi cantum: scribere debueram festum. Ἑταῖροι hoc loco non sunt choreutae, ut Ol. VI 145, sed victoris amici et convivae.

8. Nunc quidem hoc carmine se eandem victoriam ornaturum esse Poeta pollicetur. Musarum arcui additum epitheton ἑκαταβόλων ita quidem ex loci sententia explicari potest, quia Poeta, honorans Opuntem et victorem Opuntium, facile tamen etiam attingat Olympiam et Pythonem: verum ea quidem argutior et nimis subtilis explicatio nunc mihi videtur: credo non sententiae proposito, sed tantum ornatu poetico hoc ita dici, quemadmodum vs 10 Δία φοινικοστερόπαν: Conf. annotatio ad Ol. VII 2.

11. ἐπίνειμαι. Se ipse adhortatur. Verbum maxime

de pecore dicitur, agros depascente: tum universe invadendi notionem habet, ac de igne dicitur, velut Herod. V 101 ἀπ' οἰκίης ἐς οἰκίην ἰὸν τὸ πῦρ ἐπενέμετο τὸ ἄστυ ἅπαν. De tubere progrediente III 133 φῦμα ἐκραγὲν ἐνέμετο πρόσω. De morbo Thucyd. II 54, ἐπενείματο Ἀθήνας μάλιστα. De aliis rebus progredientibus et grassantibus, Aesch. Agam. 486, apud Heusdium 487 ὁ θῆλυς ὅρος ἐπινέμεται ταχύπορος: Plut. Galb. 16 τοῦ δὲ πράγματος ὅρον οὐκ ἔχοντος ἀλλὰ πόῤῥω νεμομένου καὶ προϊόντος ἐπὶ πολλούς. Conf. Heusd. ad Agam. Hoc autem loco non hostiliter invadendi sed tamen fortiter feriendi habet significationem. Si cui videtur fortis oratio, ejusdem modi est 34. Ἀκρωτήριον Ἄλιδος est mons Cronius: conf. Ol. I 179, X 60. Ad epitheton σεμνὸν cf. Ol. V 43. Jovem autem vs 10 canendum esse monet, quippe Olympiae praesidem: Ol. I 16, II 4.

13. τοιοῖσδε βέλεσσιν. Suum hoc carmen significat. Tela saepe de poesi dicit: Ol. I 180: Py. I 21 κῆλα δὲ καὶ δαιμόνων θέλγει φρένας. Cf. Eurip. Troad. 444: Cassandra in praedicendis Ulyssis fatis:

ἀλλὰ γὰρ τί τοὺς Ὀδυσσέως ἐξακοντίζω πόνους;

Plato, De Leg. IV 717 a, etiam pietatis officia telis comparat, ad Deos missis.

14. De Pelopis laude Olympica nuptiisque Hippodamiae vid. Ol. I.

18. Πυθῶνα. Quum hoc loco, pariter atque vss 28, 29, Pythiorum laudem Poeta conjungat cum laude Olympica, postea, vero, inde a vs 126 ad 151, reliquas fere Epharmosti commemoret victorias, potuit id quidem facere propter majorem illorum duorum gloriam, sed veri tamen simile est, fuisse Epharmosti partam in iis

laudem recentiorem, et paulo ante Olympicam ei Pythicam victoriam contigisse.

17. χαμαιπετέων. Dicitur quidem de voce irrita, ut Py. VI 37 Nestor filium in auxilium advocans

χαμαιπετὲς δ' ἄρ' ἔπος οὐκ ἀπέριψεν·

et similiter caducus apud Ovidium Fast. I 181

nec lingua caducas
concipit ulla preces, dictaque pondus habent.

Sed tamen, nisi fallor, huic vocabulo et verbo ἐφάψεαι hoc loco etiam subest comparatio telorum. Recte scholiasta vetus: χαμαιπετῆ δὲ κυρίως ἐστὶ δόρατα ἢ βέλη, ὅτε ἀποτυχόντα τοῦ σώματος χαμαὶ ἔπεσεν.

23. αἰνήσαις. De forma participii monui ad Ol. VI 10, pag. 378. Et conjunguntur quidem in eadem sententia participium praesens et aoristi Ol. III 3 γεραίρων ὀρθώσαις. Verumtamen αἰνήσαις hoc loco, ut existimo, est optativus: pergit Poeta semetipsum alloquens.

25. Σώτειρα Εὐνομία Cf. annotatio ad Ol. VIII 20.

25. λέλογχεν. Conf. quae annotabimus ad Ol. XIV 1.

27. θάλλει. Civitatem inclytam justitia multorum quoque in ludis victorum laudibus floruisse.

32. ματέρ'. Locrorum Opuntiorum Opuntem fuisse metropolin etiam Strabo, L. IX p. 425, diserte affirmat: ἐπεκαλοῦντο δ' οἱ μὲν Ὀπούντιοι ἀπὸ τῆς μητροπόλεως, οἱ δ' Ἐπικνημίδες ἀπὸ ὄρους τινὸς Κνημῖδος. Et deinceps: ἀρκτέον δ' ἀπὸ τῶν Ὀπουντίων, — ὁ δ' Ὀποῦς ἐστι μητρόπολις. Quem locum respiciens Eustathius ad Il. II 531 non satis diligenter eandem ab eo Locrorum Epicnemidiorum metropolin dictam esse perhibet.

32. ἀγλαόδενδρον. Secundum Strabonem ibidem inter Opuntem et Cynum situm est πεδίον εὔδαιμον.

34. *μαλεραῖς ἐπιφλέγων ἀοιδαῖς.* Py. V 60

σὲ δ' ἠΰκομοι φλέγοντι χάριτες.

XI 69: *τῶν εὐφροσύνα τε καὶ δόξ' ἐπιφλέγει.*

Nem. X 4 *Ἄργος φλέγεται δ' ἀρεταῖς μυρίαις.*

Ist. VII 33 *Στρεψιάδας φλέγεται δ' ἰοβοστρύχοισι Μοίσαις.*

Verum in sermone Graeco affinitas quaedam mihi esse visa est vocabulorum, quibus significaretur vel lucis et incendii vel clamoris et sonitus magnitudo. Id quod maxime apparet loco Aeschyli, ubi dictio est plane similis huic loco Pindari, Pers. 395:

σάλπιγξ δ' ἀϋτῇ πάντ' ἐκεῖν' ἐπέφλεγεν·

nam *πάντ' ἐκεῖνα* sunt illa loca. Estque fortasse eadem significationum affinitas in adjectivo *μαλερός*. Si quidem est apud Aeschylum, Choe. 325 *πυρὸς ἡ μαλερὰ γνάθος*, et apud eundem, Pers. 62

πᾶσα χθὼν Ἀσιῆτις πόθῳ στένεται μαλερῷ.

Atque Homerus flagrandi verbo maximum clamorem significat, Il. II 93

μετὰ δέ σφισιν ὄσσα δεδήει.

Et Soph. Oed. Ty. 187

παιὰν δὲ λάμπει στονόεσσά τε γῆρυς ὅμαυλος.

Hesychius habet: *Μαλερὸν, καυστικόν. μαραντικὸν, ὀξὺ, λαμπρὸν, ἰσχυρὸν, ἀσθενές. Μαλερὰς φρένας, ἀσθενεῖς. καί ξηρὰς, καυστικάς.* Verum quomodo idem vocabulum significet *ἰσχυρὸν* et *ἀσθενὲς*, difficile est dicere: at in Scholio vetere ad h. l. est Didymi explicatio, *μαλεραῖς* esse pro *μαλακαῖς*, et alio loco Pindarum dixisse *μαλακοφώνους ᾠδάς*: est autem Ist. II 14 *μαλθακόφωνοι ἀοιδαί.* Et potuit debilitatis significatio esse affinis significationi mollitiei et dulcedinis.

Ceterum Boeckhius carmen in convivio cantatum esse

existimat, et idcirco laudari a Poeta vetus vinum, vs 73: Dissenius, eam laudationem etiam pompae post epulas convenire existimans, in pompa id factum esse arbitratur inter faces ardentes, eoque pertinere verbum ἐπιφλέγειν vs 34. Verum uterque praetermisit remigium et equum, 35, 36. Debuerant addere navium in portu pompam et equites prope in litore, eoque hortis consito, propter κᾶπον, vs 40.

36. ναὸς ὑποπτέρου. Hom. Od. XI 124

εὐήρε' ἐρετμά, τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται.

38. εἰ σύν τινι. Persuasum Poetae est, se non sine ope divina sua carmina pangere. Παλάμη, proprie manus, h. l. est praesens auxilium. Nec μοιριδίῳ παλάμᾳ differre videtur a θεοῦ παλάμᾳ, Ol. X 25.

39. ἐξαίρετον Χαρίτων κᾶπον. Hortum Gratiarum, qui ipsis proprius ac dilectus est. Poesin epiniciam etiam Nem. IX 129 ad Gratias refert, eandemque hoc loco significare videtur, non universam poesin, sed eam, quae suavissimum decorandarum victoriarum officium habeat: ἐξαίρετον: quas ipsas quoque victorias iisdem Deabus acceptas referre solet: vid. Ol. II 90, IV 14. Ad easdem victorias earumque praeconia respicit, memorans τὰ τερπνά vs 41. Conf. Ol. VII 19.

41. ἀγαθοί. Spectat ad victorias ludicras, σοφοὶ ad poesin.

43. ἐπεί. Quod nisi ita esset, ut divinitus viri fortes et sapientes exsisterent, quo modo Hercules tantam virtutem praestare potuisset, ut adversus ipsos Deos pugnam sustineret? Hujus ergo exemplo id quod dixit confirmat. De Herculis autem ad Pylum proelio scriptum est in veteribus scholiis, factum id esse, quia Neleus,

ipsi expiationem occiso Trachinio quodam petenti negavisset: Neleo patrem Neptunum auxiliatum esse: pugnarum vero, quas Hercules cum Apolline et cum Plutone habuerit, alia fuisse tempora. Tamen Homerus, Il. V 397, Plutonem ab Hercule vulneratum dicit ἐν πύλῳ ἐν νεκύεσσι: verum id Didymus, ut est in veteribus scholiis ad hunc Pindari locum, explicat τὴν ἐν ᾅδου πύλην νεκύων. Non recte, ut nunc mihi videtur: ἐν νεκύεσσι ita dictum videtur ut strages quaedam significetur: neque usquam, quantum scio, πύλος vel πύλον reperitur pro nomine appellativo significatione πύλης. Et Apollodorus, L. II C. VII, et Pausanias, L. VI C. XXV 3, ab Hercule Pylum oppugnante Plutonem vulneratum esse commemorant: et Pausanias quidem a Pyliis, Herculem exosis, Plutonem impensius adoratum fuisse exponit, et ab ipsis illum locum Homeri in testimonium vocatum esse. Etiam sermo Jovis, qui Venerem a Diomede vulneratam consolatur, vix admittere videtur inferos, verum in narrandis reliquorum Deorum injuriis, quas a mortalibus passi fuerint, loca tantum humana significasse videtur Jupiter: praesertim quum Plutonem post vulnus acceptum querendi causa in Olympum venisse exponat. Ergo ab Homero quoque proelium ad Pylum factum significari existimandum est. Quidquid est, trium Deorum impetum eodem fuisse tempore aperte ostendit Pindarus, Pylo subvenientium. Neque alienum ab hoc loco est, quod Pausanias ibidem tradit, Minervam in eo proelio Herculi adfuisse: nam laudat quidem Poeta datam divinitus fortitudinem et sapientiam, vs 41, verum ea ipsa in vetustis heroibus non aliunde a poetis derivatur nisi ab adstantibus in proelio Diis: tum vero,

si legas vs 61 *ἴα πόλεμον κ. τ. λ.*, videas, certo consilio a Pindaro Minervam praetermissam esse, ne narraretur factum ipsorum Deorum inter se proelium, et tamen ea Pindarum attigisse, quibus subesset hujusmodi proelii mentio. Proelium Herculis adversus Martem circa eandem Pylum memoratur ab Hesiodo, Sc. H. 359.

45. *τίναξε χερσίν*. Nem. I 79 *ἐν χερὶ τινάσσων φάσγανον*.

46. *ἀμφὶ Πύλον σταθείς*. Similiter *ἀμφιβαίνειν* de tutela et auxilio Dei Hom. Il. I 37 *ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας*, Aesch. S. c. Th. 174 *δαίμονες λυτήριοι ἀμφιβάντες πόλιν*.

51. *ῥάβδον*. Solet hujusmodi virga Mercurio tribui: Hom. Od. XXIV 1 Mercurius deducit animas procorum Penelopes

Ἑρμῆς δὲ ψυχὰς Κυλλήνιος ἐξεκαλεῖτο
ἀνδρῶν μνηστήρων, ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσί.
τῇ ῥ' ἄγε κινήσας· ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο.

Virg. Aen. IV 242

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub Tartara tristia mittit.

Eandem virgam Plutoni tribui non alibi me legere memini.

52. *βρότεα σώματα θνασκόντων*. Id est *σώματα βροτῶν θνασκόντων*. Cf. quae annotabimus ad vs 166. Mirabiliter quodammodo *σώματα* hic appellantur mortuorum, quae solent *ψυχαὶ* dici vel *εἴδωλα*: apud Homerum quidem in inferis Ulyssi obviam venit *ψυχὴ* Elpenoris, nam *σῶμα* in domo Circes relictum erat: Od. XI 53. Ipsum *βροτοὶ* de mortuis dicitur Aesch. Choe. 130: vide quae ad eum locum annotavimus.

54. *ἀπό μοι λόγον*. Conf. De Pindari Sap. pag. 9. Ceterum Pindarus Platoni viam praeivit, cujus est sen-

tentia, οὐδέ γε τὸ παράπαν ὡς θεοὶ θεοῖς πολεμοῦσί τε καὶ ἐπιβουλεύουσι καὶ μάχονται. De Rep. II p. 378.

62. Φέροις δέ. Redit ad laudes Opuntis et ejus antiquitatem celebrare instituit, continuo appellans eam Protogeniae urbem: quippe Protogenia Deucalionis et Pyrrhae filia fuit, ut narrat Apollodorus L. I C. VII: et testatur scholiasta vetus ad vs 64, narrasse eundem, illam in regione Opuntiorum, nempe Cyni, educatam esse.

64. ἴν'. Secundum Strabonem, L. IX p. 425, in editione Almelovenii p. 651, et, ut testatur scholiasta vetus ad hunc locum, secundum Apollodorum, non ipsa Opunte, sed Cyni sedem posuere suam Protogeniae parentes Deucalion et Pyrrha: verum fuit, ut ibidem monet Strabo, Cynus et valde vicina Opunti et ejus portus: cf. Eust. ad Il. II 531.

66. Παρνασσοῦ. Eo enim appulerat in diluvio Deucalion: vid. Apollod. L. I C. VII.

69. ὁμόδαμον. Nisi fallor, consilio hoc epitheton posuit Poeta, non ὁμογενῆ, ut significaret prolem ἄτερ εὐνᾶς quaesitam.

71. λαοὶ δ' ὀνόμασθεν. Apollodorus: ὅθεν καὶ λαοὶ μεταφορικῶς ὀνομάσθησαν ἀπὸ τοῦ λάας. Ovid. Metam. I 414

Inde genus durum sumus experiensque laborum
Et documenta damus, qua simus origine nati.

72. οἶμον. Melodiam. Hymnus Homericus in Mercurium 451 ἀγλαὸς οἶμος ἀοιδῆς. Callim. Hymn. in Jovem 78 λύρης οἴμους.

73. αἴνει δὲ παλαιὸν. Homerus, Od. I 351

τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Verum Pindarus aliquid interius magisque reconditum

significare videtur, quod pertineat ad rejiciendas veteres de Diis Deorumque proeliis fabulas.

75. λέγοντι. Referenda haec sunt ad ea, quae vs 64 proponere instituit: ibi quippe antiquam Deucalionis Pyrrhaeque sedem et mirabilem prolem memoravit et Jovis moderamini acceptam retulit: nunc vero exponit, quomodo Deucalioni sedis ejus sumendae et faciendae prolis opportunitas exstiterit ejusdem Jovis consilio: neque enim diluvium potissimum canit, sed inventum munere Jovis repente et inopinato ejus mali remedium.

76. κατακλύσαι. Usitatum verbum in ejusmodi re: Plat. Tim. 22 a τὸν κατακλυσμὸν περὶ Δευκαλίωνος καὶ Πύῤῥας: ibidem d: Strabo I p. 59, Alm. 102. Etiam ἄμπωτις: Aristot. De Mundo C. IV πολλαὶ δὲ ἀμπώτεις καὶ κυμάτων ἄρσεις: Strabo L. I p. 4, Alm. 9, τὰς πλημμυρίδας τοῦ Ὠκεανοῦ καὶ τὰς ἀμπώτεις. Conf. L. V 212, Alm. 325. Ἄντλος autem apud Aeschylum, S. c. Th. 795, est aqua marina, quae in navem irruat eamque mergat,

πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ τε καὶ κλυδωνίου
πολλαῖσι πληγαῖς ἄντλον οὐκ ἐδέξατο·

et apud Euripidem, Troad. 692

ὁ μὲν παρ' οἴαχ', ὁ δ' ἐπὶ λαίφεσιν βεβὼς,
ὁ δ' ἄντλον εἴργων ναός.

Ipsam aquam marinam aut ipsum mare significare videtur Heraclid. 168, Argivus nuncius Demophonti pericula belli demonstrans,

ἐς ἄντλον ἐμβήσεις πόδα,

et Hec. 1003

ἀλίμενόν τις ὡς ἐς ἄντλον ἐμπεσών.

Hoc igitur loco mihi significari videtur aqua marina, quae terras invasit et inundavit: et ἑλεῖν ἄμπωτιν esse

refluere et relabi. Flumina subsidunt, decrescunt undae, Ovid. Metam. I 344.

76. *μέλαιναν*. Propter nubes atras tenebrosam. Homerus Il. XVI 384

ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν
ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεύς.

Ovidius, Metam. I 264

madidis Notus evolat alis
Terribilem picea tectus caligine vultum.

79. *κείνων*. Possunt significari Lai, et genitivus pendere a *βασιλῆες*. Quod quidem moneo, ut eorum adjuvem studia, quibus fortasse mea sententia displicebit, propterea quod est aliqua harum rerum obscuritas et explicandi difficultas. Verum ego *κείνων* refero ad Deucalionem et Pyrrham, eoque genitivo originem significari arbitror. Similiter Soph. Antig. 38

εἴτ' εὐγενὴς πέφυκας, εἴτ' ἐσθλῶν κακή·

Utrum generosa sis an ex bonis mala. Eurip. Hec. 376

δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
ἐσθλῶν γενέσθαι.

80. *ὑμέτεροι*. Statuendum esse cernimus, Epharmostum fuisse e regia Opuntiorum stirpe.

81. *ἀρχᾶθεν κ. τ. λ.* Pluralem numerum, *κορᾶν* et *Κρονιδᾶν*, Poeta posuit, ut dignitatem stirpi Opuntiae regiae addat, universas gentes significando, ad quas ejus refert origines. Ipsam originis significationem si forte non satis perspicue in interpretatione Latina exprimere potuimus, est ea hujusmodi: habuere vestri majores maternam originem ex gente Japeti, paternam ex gente Croni: nam fuerunt filii puellarum, quae puellae erant ex gente Japetionide, iidemque fuerunt filii Cronidarum.

De plurali numero jam monui: significari autem originem ex Pyrrha et Jove jam deinceps disputabo.

Nam varie de hac originis memoria disputatum video: quumque commemoretur vs 86 filia Opuntis Epei, hanc scholiastae fere esse voluerunt Protogeniam eam, quae vs 63 laudata est: alii a Pindaro dicentes Opuntem nominatum esse eundem qui esset Deucalion: fuit etiam, qui Epimetheum eundem fuisse diceret atque Opuntem: alii generis memoriam a Poeta esse commutatam: Boeckhius vero vs 86 alteram aliquam Protogeniam significari conjicit, cujus pater fuerit prioris Protogeniae filius: quarum quidem sive sententiarum sive conjecturarum partes exquirere non attinet, propterea quod non assentior totarum principio: neque enim Pindari oratio nos assentiri sinit. Quidquid enim est, illa Opuntis Epei filia fuit mater Opuntis ejus, cui Locrus regnum tradidit: quodsi igitur in illa posuit Poeta regiae gentis principium, eximit ex ea saltem ipsum Locrum, neque igitur dicere potuit esse eam ἀρχᾶθεν e filia stirpis Japetionidis et ex Cronida, neque eos, quorum origo Epeis debita fuit, potuit appellare indigenas semper reges. Ergo hoc docet Pindarus, non interruptam fuisse Locrorum regum seriem, eamque inde ab origine ex illis divinis gentibus ortam. Laudat autem ex illa serie mox Locrum: atque Opus quidem, a Jove ei pro filio datus, postquam et in Locride natus et a Locro pro filio habitus est, in eandem seriem adscisci et indigena rex haberi debet. Igitur quaestio est unice haec, quomodo Locrus ad gentes divinas referendus sit.

Locrum jam ab Hesiodo celebratum fuisse Strabo docet, L. VII p. 321, 322, Alm. 495, 496, et ducem

appellatum Lelegum, quos aliquando e terra Deucalioni dedisset Jupiter:

Ἦτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,
Τούς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς
Λεκτοὺς ἐκ γαίης λαοὺς πόρε Δευκαλίωνι.

Idemque geographus ibidem docet, eos, qui tunc Locri essent, ab Aristotele Lelegas vocatos esse. Haec ergo antiqua Locri memoria huic Pindari loco convenit. Eustathius autem ad Il. II 531 hanc ponit genealogiam veterem: Amphictyonem, Physcum e Chthonopatra, Locrum. Scholiasta vetus ad hujus carminis vs 96 Locrum dicit filium Amphictyonis, filii Jovis: atque in scholio vetere ad vs 79 legimus, Locrum fuisse Jovis. Verum hoc parum diligenter scriptum videtur, neque Amphictyonis negligenda memoria. Hunc Deucalionis filium fuisse et post Cranaum regnasse Athenis narrant Pausanias L. X C. VIII 1, L. I C. II 5, et Apollodorus L. I C. VII. Sit ergo Locrus Amphictyonis progenies, sive filius, sive e Physco nepos.

Amphictyonem Apollodorus Deucalionis et Pyrrhae fuisse tradit: de matre nulla difficultas: de patre aliter is scholiasta, qui eum Jovis fuisse dicit. Dicam quod sentio. Fuit secundum Pindarum e Pyrrha et Jove, habitus vero est Deucalionis. Idem prorsus in Hellene, fratre ejus, factum esse cernimus, quem secundum nonnullos Jovis fuisse Apollodorus docet. Jam vero stirpis originem retulimus ad Pyrrham et Jovem: igitur Pyrrha significata est a Pindaro puella gentis Japetionidis, filia Epimethei, filii Japeti: Cronida vero ipse Jupiter.

Verum una restat difficultas: quomodo potuerint a Pindaro appellari indigenae semper reges, quum Am-

phictyon regnum Athenis habuerit. Sed fuit illud ad tempus, ut docet Pausanias, L. I C. II 5, et potuit Locrensium retinere imperium filioque tradere vel relinquere. Ipsius Deucalionis tumulus, ut Strabo memorat L. IX p. 425 Alm. 651, Athenis ostendebatur, quum Pyrrhae tumulus esset Cyni in Locride: nec tamen propter eam rem Deucalionem ad Atheniensium potius quam ad Locrensium antiquitatem retuleris.

85. Satis, nisi fallor, docui, quomodo Pindarus origines regum Locrorum consecraverit. Jam quae sequuntur, de Opunte adscito Locri filio, eo non pertinent, sed ad laudandum divinum beneficium in stirpem illam collatum et ad celebrandam unius ex ea clarissimi herois memoriam: quippe quum Locrus videretur sine progenie moriturus, huic a Jove donatum esse filium, eumque praestantissimum exstitisse. Rem igitur novam quum ordiatur, copulam non adhibuit. Πρὶν antiquum tempus notat cum posteriore comparatum: nam praecedentibus complexus fuit Poeta omnem regum seriem: igitur quae narraturus est, ea ad hujus seriei antiquitatem pertinere significat.

86. Θύγατρ' Ὀπόεντος. Hujus Opuntis genus ignoramus: Opuntem Eleum memorat scholiasta ad Apoll. Rhod. L. I 69, Elidis regem appellat scholiasta ad hunc Pindari locum. Et ex ipso quidem Pindaro satis apparet, regem Epeorum significari. Nomen ejus filiae Pindarus silet: fuisse eam pariter ac Deucalionis filiam Protogeniam appellatam contendit Boeckhius: et in scholiis quidem veteribus ad h. l. dicitur Pindarus hic Protogeniam appellare filiam Opuntis eam, quae secundum reliquos Deucalionis fuisset: atque in scholio vetere ad vs 64 dicitur Protogenia secundum quosdam fuisse filia

Promethei, secundum nonnullos Opuntis in Elide fluvii. Affert ad sententiam suam confirmandam Boeckhius in notis criticis pag. 399 etiam scholion ad Apoll. Rhod. IV 1780: quae autem ibi sit vel regis Opuntis vel Elidis vel Protogeniae mentio, me quidem latet: est enim hujusmodi: Ὀπούντιά τ' ἄστεα: τὰς ὑπὸ τοῦ Ὀποῦντός ποτε περιεχομένας· Ὀποῦς δὲ ποταμὸς Λοκρίδος ἡ πόλις. Ab Aristotele illam Cambysen appellatam fuisse, est in eodem, quod memoravimus, scholio ad hunc locum Pindari: at per errorem Boeckhius, Explic. pag. 191, patrem ejus regem Elidis Opuntem ab Aristotele Cambysen dictum fuisse dicit, usus ejusdem scholii testimonio.

86. ἀπὸ γᾶς Ἐπειῶν. Traditur aliqua conjunctionis Opuntiorum et Eleorum memoria a Strabone, L. IX p. 425, Alm. 651: et memoratur etiam urbs Opus in Elide, Diod. Sic. XIV 17, Steph. Byzant. Atque ipsam Protogeniae Deucalionis filiae progeniem in Elide regnasse tradunt Pausanias L. I C. I, et Apollodorus L. I C. VII: Conf. Schol. ad Apoll. Rhod. IV 57.

87. ἴκαλος. Deo dignum epitheton, habens significationem gaudii sine vi: conf. Nem. VIII 10.

92. ὀρφανὸν. Refertur ad μιν, non ad πότμον.

96. μάτρωος. Μάτρως apud Homerum est frater matris, hoc vero loco et saepius apud Pindarum avus maternus: vide Dammii Lexicon in voce.

99. πόλιν δ' ὤπασεν. Paulo aliter Eustathius, ad Il. II 531, Locrum, orta inter ipsum et Opuntem discordia, concessisse illi imperium, ipsum vero Parnassum versus recessisse. Cur Pindarus discordiae mentionem praetermiserit, facile intelligitur.

101. Similem Aeaci laudem hospitum multorum adventu celebratam praedicat Nem. VIII 15.

103. *Πισᾶται*. Fortasse propter cognationem, ex Opuntis Epei filia repetitam.

104. *υἷα δ' Ἄκτορος*. Menoetium quidam ex Actore et Damocratia Aeginae filia fuisse dicunt: alii Aeginam post partum Aeacum abiisse in Thessaliam et nuptam Actori peperisse Menoetium: vide scholia vetera. At certe sedes Menoetii Opunte fuit: inde eum Actor vocat ad Argonautarum societatem, ut est apud Apoll. Rhod. I 69. Adduxit quidem filium Patroclum Phthiam ad Peleum, Il. XXIII 85, ibique etiam ipse fuit tum, quum hic ad bellum cum Achille proficisceretur, Il. X 766: sed tamen ipsi ita sedes Opunte mansit, ut ibi etiam filii ad se reditum exspectaret: Il. XVIII 326: fere eadem traduntur a Strabone, L. IX p 425, Alm. 651.

108. *Τεύθραντος πεδίον*. Regis nomine regio significatur. Aesch. Sup. 549 *Τεύθραντος ἄστυ Μυσῶν*.

112. Achillis virtutem Telephi sanguine conspicuam laudat etiam Ist. V 52, Ist. VIII 109. Telephum Herculis filium fuisse dicit Tzetzes, Antehom. 269: idem dicit scholiastes Pindari, sed adscitum a Teuthrante rege, a quo urbs Mysiae nomen acceperit Teuthraniae. Diodorus Sic. IV 33 filium Herculis, Teuthrantis generum et successorem. De proelio autem adversus illum difficillime a Graecis sustentato consentit in Achille laudando cum Pindaro Tzetzes eo loco, quem commemoravi, de Patroclo silet.

114. *Πατρόκλου*. Cum emphasi ipsum nomen positum est pro *ἑαυτοῦ*.

117. *μήποτε*. Achilles apud Homerum, Il. XVI 89,

Patroclum mittens, statim post pulsos Trojanos redire jubet:

μή σύγ' ἄνευθεν ἐμεῖο λιλαίεσθαι πολεμίζειν
Τρωσὶ φιλοπτολέμοισιν.

119. Εἴην εὑρησιεπής. Dicit, se in canendis his rebus, quae ad Opuntis antiquas laudes illustrandas pertineant, eo enim etiam pertinuit Patrocli memoria, Opunte nati atque etiam post fugam ad Peleum Opuntii habiti, longius procedere posse, nec sibi defuturum vel consilium vel vim et audentem animum: nam omnino hoc carmine ipsam Opuntem laudare voluit, ut jam dixit vs 23, laudandam esse claram Opuntem ejusque filium: verum jam orationi huic frena inhibenda esse monet et filii laudes deinceps decorandas. Pro ἀναγεῖσθαι aliquis scholiasta recentior legit ἐναγεῖσθαι. Πρόσφορος directionis significationem habet, qua non vagetur, sed vehatur certo consilio ad ea, quae velit attingere. Musarum currum etiam memorat Ist. II 8. Audentem vero animum, poetae sane decorum, sibi ipse etiam tribuit Ol. XIII 14.

123. προξενίᾳ. Proxenia est munus publicum, quo quis in sua civitate tueatur ejus civitatis res, cujus sit proxenus, maxime vero iis, qui ex illa civitate veniant, praestet officia: deferri plerumque et mandari solebat ab illa ipsa civitate, idque magis honoris causa proxeno quam ad utilitatem suam, sed haec consequebatur, conjunctique fere cum eo munere etiam alii fuere honores: Vid. M. H. E. Meier, De Proxenia, Halis Saxonum, 1843. Et vero ejus vel muneris vel dignitatis et honoris maximam fuisse caritatem et necessitudinem, pulcerrime apud Platonem videmus expositum, De Legg. L.

I 642, ubi Megillus Lacedaemonius, avitus Atheniensium proxenus, jam puero sibi Athenas juxta Lacedaemonem carissimas fuisse profitetur, sibique nunc dulcissimam accidere hominis Atheniensis consuetudinem ipsamque vocem. Lampromachum autem ex Pindaro intelligimus fuisse Thebarum apud Opuntios proxenum: hanc autem civitatis suae cum illo necessitudinem Poeta dicit sibi causam fuisse hujus donandi carminis, tum vero ipsam quoque ejus viri virtutem, Isthmiis probatam victoriis. Verum quum hoc carmen Epharmosto factum sit, idque tamen Poeta Lampromachi causa fecerit et ad hujus quoque laudem pertinere voluerit, hunc Epharmosti apparet vel familiarissimum fuisse vel consanguineum. Dativi *προξενίᾳ* et *ἀρετᾷ* causam verbi *ἦλθον* ostendunt: dativus *μίτραις* adjunctus est vocabulo *τιμάορος*.

124. *ἦλθον*. De hujusmodi dictione poetica saepe monuimus, velut ad Ol. I 16 *ἐς Ἱέρωνος ἑστίαν ἱκομένους*, I 179 *παρ' εὐδείελον ἐλθὼν Κρόνιον*, VII 24 *σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν*.

124. *τιμάορος*. Quantum fuerit in Graecorum moribus ulciscendi studium mortuos, ex Achillis sane exemplo apparet apud Homerum: neque tamen id studium ex aliqua crudelitate repetendum est, verum ex adjuvandi opinione, quum eos, quos vivos tueri jam non possent, tamen caros haberent. Hinc explicari potest incredibilis in Hectoris corpore vexando Achillis crudelitas, ejusdemque in Priamo alloquendo et consolando eximia humanitas et caritas. Verum ex eo more repetendam existimo in sermone Graeco vocabulorum, quae vindictam, et eorum, quae auxilium significant, permutationem. Velut apud Soph. Oed. T. 141 Oedipus caedis Laji vindicem se strenuum fore profitetur:

κείνῳ προσαρκῶν οὖν ἐμαυτὸν ὠφελῶ.

Ibidem Chorus, 496

Λαβδακίδαις ἐπίκουρος
ἀδήλων θανάτων.

Utque ibi προσαρκῶν et ἐπίκουρος ultorem et vindicem, sic contra hoc loco τιμάορος adjutorem significat. Plura exempla sunt, velut Thucyd. L. IV C. 2 Πελοποννησίων νῆες τοῖς ἐν τῷ ὄρει τιμωροί. Conf. Aesch. Choe. 376, et quae ibi annotavimus. Μίτραι proprie sunt vittae, quibus coronae implicabantur vel alligabantur: hic autem, velut aliis locis ἄνθεα vel στέφανοι, ut signa victoriarum quasi pro ipsis ponuntur victoriis. Ergo adjutor vittis venit is, qui laudando decus affert victoriis.

126. ὅτ' Adverbium relativum refertur ad μίτραις, quum in eo vocabulo insit significatio victoriarum reportatarum, adjuncto praesertim ejus nomine, qui reportaverat: ergo Λαμπρομάχου μίτραι ὅτε sunt coronae a Lampromacho reportatae tum, quum. Uno autem eodemque die ab ambobus reportatas victorias apparet ambas fuisse Isthmias, propterea quod Lampromachi vittae diserte hoc nomine appellantur: neque igitur Poeta eodem Epharmosti victoriam retulisset, nisi ibidem reportata fuisset.

127. ἔργον. Certamen, ut Ol. VIII 24 et saepius. Ipsum autem certamen hoc loco objectum est verbi vincendi: conf. annotatio ad Ol. I 142.

128. ἄλλαι δὲ δύ'. Utrius hae fuerint, dubitari potest, vel etiam an altera earum fuerit alterius. Puto fuisse eas Lampromachi. Oratio aliquo modo abrupta est: sed posuit Lampromachi nomen et Isthmias victorias vs 125: vs 126 ei adjunxit Epharmostum: at demum vs 130

ταὶ δὲ καὶ diserte transit ad Epharmostum: igitur quum sententia interposita ὅτε ἀμφότεροι Isthmiis quidem Lampromachi laudibus Epharmostum adjunxerit, hoc vero in his duabus, quae consecutae sunt, non faciat, redit in iis ad priora, id est ad Epharmosti decora. Atque hujus Isthmiae victoriae fuerant numero plurali positae. Fuisse ergo mihi apparet tres: primam eodem die reportatam, quo die etiam ab Epharmosto: postea duas.

128. ἐν Κορίνθου πύλαις. Significatur ipsa Isthmus: Aesch. Prom. 727

Ἰσθμὸν δ' ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις
Κιμμερικὸν ἥξεις.

129. χάρμαι. Proprie contentiones: conf. ann. ad Ol. I 35. Hoc loco significantur victoriae: conf. ann. ad Ol. VIII 76 μάχαν.

131. κόλπον. Conf. Ol. XIV 33. Quid autem est ταὶ δὲ? An plurali numero usus Poeta instituit porro Epharmosti recensere victorias, quarum una fuerit Nemeaea? Non credo, at hujus pariter duas fuisse Nemeaeas, quemadmodum duae Isthmiae Lampromachi vs 128 propositae fuerant.

132. Ἄργει. In Heraeis, quae etiam Hecatombaea dicta fuerunt: conf. ad Ol. VII 52. Praeter clypeum aheneum etiam coronam myrteam in iis praemium fuisse docet ibi scholiasta vetus.

133. ἐν Ἀθάναις. Alterum vetus scholium: τὰ Παναθήναια, alterum ἢ τὰ Παναθήναια ἢ τὰ Ὀλύμπια. Conf. ad Ol. VII 151. Intelligitur autem ex praecedentibus ἔσχεθε κῦδος praetermisso ἀνδρῶν: idque hoc quidem loco satis apertum est, verumtamen memoravi ad adjuvandam abruptae quandoque Pindari orationis intelligentiam.

134. *οἷον*. Scholiastae veteres testantur, alios legisse *οἶον*.

134. *ἐν Μαραθῶνι*. In Heracleis.

134. *συλαθεὶς ἀγενείων*. Fuit aetas certatorum tripertita, *παίδων*, *ἀγενείων*, *ἀνδρῶν*, qui quidem etiam, ut hoc loco, *πρεσβύτεροι* vocabantur. Exstant autem exempla, aliquoties praeter aetatem corporis faciem et vel debilitatem vel robur valuisse ita in partiendis certaminibus, ut aliquis ab eo certamine, cui interesse volebat, arceretur: atque etiam sua aliquem voluntate gravius certamen subiisse quam sua aetas ferebat: atque adeo aliquem uno die plurium aetatum certamina subiisse: Pausan. L. VI C. XIV 1. Conf. J. H. Krause, Die Agonistik der Hellenen, B. I p. 266. Epharmostum autem ereptum ex imberbibus fuisse videmus et virorum interfuisse certamini: quod sic exponendum puto: fuisse eum aetate imberbem, sed jam tum robusta facie fortique corpore, ut eum ab imberbium certamine arcuerint: illum autem tum petiisse et sustentasse certamen virile. Sunt qui existiment, illum furtim semetipsum ab imberbibus separasse et viris immiscuisse: verum id mihi ex Pindari verbis apparere non videtur. *Συλαθεὶς ἀγενείων* proprie significat spoliatus vel privatus imberbibus, id est certamine imberbium destitutus. Non mirum autem est, victorem ingentibus spectantium exceptum esse clamoribus. Fuit Marathone in Heracleis patera argentea pro praemio.

138. *ὀξυρεπεῖ δόλῳ ἀπτῶτι*. Exquisita verborum conjunctione exprimitur Epharmosti ars et virtus, tam celeritate quam firmitate eximia. *Δόλος* autem non ipsum est malae significationis: velut Il. III 202 Ulysses

εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά.

140. ὄσσᾳ βοᾷ. Conf. Ol. X 88.

143. Lycaea fuerunt certaminum Arcadiae clarissima: conf. Ol. VII 153. Vide Krause, Agon. II p. 734. Fuerunt etiam in Asia a Graecis celebrata, instituente Xenia Arcade, quum cum Cyro essent in itinere adversus Artaxerxem: Anab. L. I C. II 10. Στρατὸς i. q. populus: conf. Ol. V 28.

146. Scholiasta vetus ad Ol. VII 156: τελεῖται δὲ ἐν μὲν Πελλήνῃ τῆς Ἀχαΐας ἀγὼν ὁ καλούμενος Θεοξένια, τινὲς δὲ καὶ τὰ Ἕρμαια· τὸ δὲ ἆθλόν ἐστι χλαῖνα. Ex adjuncto articulo ad Hermaea effeceris, duo ea diversa significari certamina: attamen ex praemii unius commemoratione apparere credideris, fuisse eadem. Similiter in scholiis ad eundem locum recentioribus: ἐτελεῖτο τὰ Θεοξένια καὶ τὰ Ἕρμαια: et: ἀγῶνές εἰσι Θεοξένια καὶ Ἕρμαια: sed in utroque pariter unum idemque lacernae praemium commemoratur. In scholio recentiore ad hunc nostrum locum tantum Hermaea memorantur: in altero τὰ Ἕρμαια ἢ τὰ Φιλοξένια πρὸς Ἀπόλλωνα. In veteribus: ὁ δὲ ἀγὼν ἐν Πελλήνῃ Ἕρμαια καλεῖται· ἄγεται δὲ Ἑρμοῦ καὶ Ἀπόλλωνος ἑορτή, Θεοξένια λεγομένη. Et: ἤγετο δὲ ὁ ἀγὼν ἐν Πελλήνῃ τὰ Θεοξένια ἐν χειμῶνι, διὸ καὶ χλαμὺς (Boeckhius χλανὶς) ἐδίδοτο. Scholion vetus ad Ol. XIII 155: ἡ Πελλήνη πόλις τῆς Ἀχαΐας, ὅπου τὰ Φιλόξενια, καὶ αἱ χλαῖναι δίδονται. Et in uno scholio ad Nem. X 82 memorantur eadem praemia, at: ὁ δὲ ἀγὼν Διός· καλεῖται δὲ Δῖα. Et in altero: ἐκ τῆς Πελλήνης δὲ τὰ Θεοξένια νικῶντες χλανίσιν ἐπιτηδειοτάταις κοσμηθέντες ἀνεχώρησαν. Apud Pausaniam vero L. VII C. XXVII 1 memorantur Theoxenia Pellenae Apollini consecrata, in quibus argentea praemia data fuerint, et cives tantum ejus civitatis

certarent. Difficile est ex his testimoniis explorare veritatem. Philoxenia quidem credibile est fallente scholiastae memoria scripta fuisse, quum significaret Theoxenia, vel eadem fuisse nomine duplici. Fortasse haec olim cum Hermaeis conjuncta fuerunt, postea ab iis separata. Pindarus certe et hic, et Nem. X 84, palliorum laneorum praemia commemorat. Conf. Krause, Agon. II p. 715.

146. ψυχρᾶν φάρμακον. A scholiastis vel frigida eorum locorum temperies, vel tempus ludorum hiemale pro causa ponitur. Strabo L. VIII p. 386, Alm. 593, intra Aegas et Pellenen vicum Pellenen fuisse dicit, unde essent lacernae, quas etiam praemia dederint in certaminibus: et Hesychius Pellenicas lacernas optimas esse dicit, ideoque pro praemiis datas. Et hanc vel causam vel certe unam ex causis fuisse arbitror.

148. σύνδικος. Proprie adjutor accusati in judicio. Hoc loco testis et adjutor. Conf. 124 τιμάορος. Aesch. sup. 726

ἐγὼ δ' ἀρωγοὺς ξυνδίκους θ' ἥξω λαβών.

Plato De Legg. XI 929 e γιγνέσθωσαν τῷ γραφομένῳ μάρτυρες ἅμα καὶ ξύνδικοι. Plut. De Defectu Orac. c. 47 ἀπολογήσομαι μάρτυρα καὶ σύνδικον ὁμοῦ Πλάτωνα παριστάμενος.

149. Ἰολάου τύμβος. Thebis, in ludis Jolaeis iisdemque Heracleis dictis: fuit ibi praemium tripus aeneus. Conf. Ol. VII 154.

150. Ἐλευσίς. Ludos Eleusinios omnium antiquissimos ibique praemium farreum fuisse affirmant scholiastae veteres.

151. αὐτῷ ἀγλαΐαισιν. Duplicem hujusmodi dativum amat Pindarus: conf. Ol. II 28, VIII 109.

152. τὸ δὲ φυᾷ. Postquam magno numero victorias

Epharmosti Poeta laudavit, ejus exemplo adducitur, facti natura ad certamina, ut naturae praestantiam celebret, idque semper optimum esse judicet, quod ejus ope fiat: multos quidem sine natura conatos esse artes perdiscere et quaerere gloriam, verum illos non ea peperisse, quae praeconio digna essent. Διδακταὶ ἀρεταὶ opponuntur naturae: quum vero vs 156 facta sine Deo opera memoret, apertum est, eum illa significare, quae quis, deficiente natura, tamen efficere voluerit. Ordo autem sententiae ibi est hujusmodi: χρῆμ' ἕκαστον ἄνευ θεοῦ οὐ σκαιότερον σεσιγαμένον: quaeque Deo destituta res non est deterior, si siletur, non accipit a silentio detrimentum: silentium ei est conveniens. Quam enim praeclara facinora praeconium carmenque desiderant, tam est injustum laudem rebus humilibus impertire. De natura Deique ope virtutum effectrice conf. vs 42.

156. ἄνευ δὲ θεοῦ κ. τ. λ. Similis orationis constructio est Eurip. Heraclid. 352

νικωμένη γὰρ Παλλὰς οὐκ ἀνέξεται.

158. ἐντὶ γὰρ ἄλλαι Conjunctio γὰρ haec non cum praecedentibus copulat, sed est ad causam sequentis sententiae significandam in protasi posita. Similiter apud Herodotum in epistola Harpagi ad Cyrum I 124: ὦ παῖ Καμβύσεω, σὲ γὰρ θεοὶ ἐπορέωσι· οὐ γὰρ ἄν κοτε ἐς τοσοῦτον τύχης ἀπίκευ· σὺ νῦν Ἀστυάγεα τὸν σεωυτοῦ φονέα τίσαι. Et multa hujusmodi exempla sunt: conf. Matthiae, Synt. p. 1242. Est autem non simplex protasis, verum maxime duplex, quum primum sententiam universam Poeta proponat, ἐντὶ — μελέτα: tum vero de re singulari pronunciet, σοφίαι μὲν αἰπειναί. Apodosis autem quum ad totam quidem sententiam, sed magis tamen

ad proxima respondeat, idcirco posteriori protasi adjecta est particula μὲν, cui respondet apodosis τοῦτο δέ.

Ceterum alias vias esse aliis longius producentes non ideo dicit Pindarus, ut aliquas deprimat, sed ut ostendat, in magna rerum optimarum praestantia alium natura sua ad aliam esse factum: potuerat dicere plenius, ἄλλαι ὁδοὶ ἄλλοις, verum id non erat necessarium, quum brevius dictam sententiam ipse porro explicet, μία δ' οὐχ ἅπαντας. In verbo τρέφειν aliquam evehendi gloriaeque impertiendae significationem inesse existimo: conf. Ol. I 180, X 115. Versu 160 τοῦτο ἄεθλον hoc ipsnm carmen esse, et verbo ὤρυσαι Poetam se ipsum appellare, facile intelligitur..

Respicit autem Pindarus, de variis viis gloriae dicens, non magis ad Epharmostum quam ad se, quum in Epharmosto quidem robur admiraretur, ipse autem ad poesin natus esset: estque totius loci sententia hujusmodi: juvante Deo et natura gloria paritur, cetera debilia: idcirco tantae tamque multae Epharmosto fuere victoriae: verum quum alius alia virtute excellat, inque artibus gloriosis poesis quidem sit ardua, ut haec quoque profecto divinitus contingat: tu quidem, cujus fortissima tela Musa nutrit, fortiter tua tela mitte, et carmen hoc audente animo fer forti viro.

161. σοφίαι. Hoc uno loco plurali numero apud Pindarum: at τέχναι Ol. VII 65, Nem. I 36. Apud Platonem, Epinom. p. 797 d τὰς πρόσθεν σοφίας, sapientiae vel peritiae genera.

163. ὤρυσαι. De fremitu leonis dicitur Apoll. Rhod. Argon. IV 1339, Epist. Petri I c. V 8. De magno clamore flentium Herod. III 117, laetantium IV 75,

Anthol. Gr. XI 31 ὀρύον στυφελῷ κῦμα περὶ σκοπέλῳ. Hic magni clamoris significatio etiam augetur addito ὄρθιον.

164. δαιμονίως. Recte in veteribus scholiis θείᾳ μοίρᾳ. Nec frustra denuo haec maxime laus tribuitur Epharmosto, postquam modo laudata est naturae praestantia. In uno autem vetere scholio est δαιμονίᾳ, λείπει μοίρᾳ: et in Aldina et quibusdam libris scriptis est δαιμονίᾳ: idque recepit Boeckhius: quod in annotatione critica commemorare praetermiseram.

165. ὁρῶντ' ἀλκάν. Conf. annotatio ad Ol. I 152. Similiter Aesch. S. c. Th. 53 λεόντων ὡς Ἄρην δεδορκότων.

166. Αἰάντεον Οἰλιάδα βωμόν. Aram Ajaceam Iliadae s. Oiliadae, i. e. aram Ajacis Oiliadae. Sic Κρόνιε παῖ Ῥέας Ol. II 22: maxime vero conveniunt Ἡρακλέος ἀριστογόνῳ ματέρι Py. XI 5:

Νεστορέῃ παρὰ νηΐ Πυλαιγενέος βασιλῆος,

Il. II 54: ἀνδρὸς βασίλεια πάθη Aesch. Choe. 1070. Vellejus Paterc. II 7 Fabius Aemilianus Pauli.

166. ἐν δαιτὶ. Significantur epulae Ajacis: non quo genitivus Οἰλιάδα cum hoc vocabulo conjungendus sit: id quod vult scholiasta vetus: nam quomodo ille cum βωμὸν conjunctus sit ostendimus. Sed semel Ajace laudato, facile intelligi poterat, hujus significari sacra: recte enim scholiasta δαῖτα exponit πανήγυριν. Similiter Corinthia Neptuni sacra Poeta vocat δαῖτα κλυτάν, Ol. VIII 69.

167. νικῶν. Significari existimo Epharmosti in sacris Ajacis reportatam victoriam: Heynius quidem victoriam Olympicam significari putat, sed si ita erat, scripserat Poeta, ut credo, νικάσας, aut praetermiserat ejus jam laudatae a se victoriae mentionem, aut adjecerat Olympiae nomen, ut Ol. VII 16, 156, X 21, XIII 42.

Fuere cum sacris Ajacis Opunte certamina conjuncta, nomine Ajantia, ut docet scholiasta.

168. ἐπεστεφάνωσε. Fieri potest, ut ipsam in Ajantiis reportatam coronam Ajaci victor consecraverit: Plato, De Legg. XII 943 c legem proponit, ut is, qui in bello sit optime meritus, coronam accipiat frondeam, eamque cum titulo consecret in templo alicujus Deorum bellicorum. Verumtamen id hic apud Pindarum non apparet, et si ita erat, disertius Poetam dicturum fuisse credo: ergo victorem agentem gratias aram θυσίαις καὶ στέμμασι, ut scholiasta ait, ornasse existimo. Frequentia hujus generis exempla sunt, velut sacerdos Apollinis apud Hom. Il. I 39

εἴ ποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα:

Herculis liberi supplices Jovis apud Athenienses, ἱκέται κάθηνται βωμὸν καταστέψαντες, Eurip. Heraclid. 124, Conf. 71: βιαζόμεσθα καὶ στέφη μιαίνεται. Ceterum, reliquis antea laudatis victoriis, praeclarum hunc facit Poeta carminis exitum, copulandis Herois indigetis ipsiusque Opuntis et Epharmosti honoribus, et, si haec postrema fuit Epharmosti victoria, cumulo laudum ejus in domestica laude ponendo.

OLYMPIA X.

Agesidami Locri Epizephyrii victoria a scholiasta vetere ponitur Olympiade LXXIV: at in Urat. A scriptum est ἐνίκησεν ἕκτην καὶ ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα: pro ἑβδόμην Boeckhius edidit ἑβδομηκοστήν. De tempore victoriae et carminis ac de his scholiis disputabimus ad vs 19.

Sero hoc carmen a Poeta victori datum esse, apparet et ex exordio, et e vs 101 et vs 122. Eidem victori scriptum est carmen breve Ol. XI. Jam vero comparans in hoc carmine Poeta poesin cum debito, eam ignomiam, quam debito non soluto in se admisisset, foenore reddendo deleri affirmat, vs 12: ideo in veteribus scholiis est explicatio haec, Olympium undecimum huic decimo a Poeta quasi foenus adjectum fuisse. Hinc etiam in inscriptione Ol. XI ortum est in libris additamentum τόκος, quod in annotatione critica memoravimus. Verum id non ita esse videtur. Hoc ipsum carmen decimum, arte egregia elaboratum, a Poeta credo significari debiti solutionem cum foenore. Undecimum autem recte scribit Heynius potuisse ad aliam victoriam pertinere, potuisse ad eandem: potuisse cum decimo mitti, tamquam epistolam quae illud commendaret, potuisse etiam prius mitti. Postremum verosimillimum esse statuo: quippe accepto recentis victoriae nuncio Pindarum undecimum carmen donavisse victori: at tempore interposito decimum. Atque etiam Boeckhius et post illum editores ordinem mutarunt, et carmen XI, quippe tempore prius, ante X posuerunt. Quod autem nonnulli existimarunt, in undecimo vs 14 carmen promitti, eamque pollicitationem dando decimo expletam esse, id quidem non ita esse arbitror, ac de ea explicatione suo loco disputabo.

In Inscriptione in quibusdam libris additum esse Ἀρχεστράτου παιδὶ πύκτῃ, in aliis παιδὶ πύκτῃ, suo loco monuimus. Fortasse posterius ex priore ortum est: certe Agesidamum in pueris certasse nec constat nec mihi videtur probabile, nec idonea causa ab Heynio efficitur

e vs 21. Potius fuisse illum credo, tum quum vinceret, illa aetate quae vocabatur ἀγενείων, de qua scripsimus ad Ol. IX 135, apparere existimo e vs 122

κεῖνον κατὰ χρόνον ἰδέᾳ τε καλὸν
Ὥρᾳ τε κεκραμένον.

Quae laudatio prorsus convenit cum laude Epharmosti, quum is eadem aetate Athenis vinceret, Ol. IX 141, ὡραῖος ἐὼν καὶ καλός. Conf. tamen ann. ad 122.

Exordium est in reminiscendo post longum tempus victore, in avertenda reprehensione, et in reddendo debito cum foenore, 1—16. Civitatis laudes justitiae, artium, militiae: 17—20. Laus victoris et gaudium Ilae, magistri palaestrae: 20—26. Gloria certaminis Olympii, ab Hercule instituti: 27—32. Victoriae Herculis de Cteato, Euryto, Augea, 32—50. Consecrat Hercules lucum Altin et montem Cronium appellat, 51—62. Sacra ab eo facta primitiarum et quinquennales ludi instituti, 62—71. Nomina laudesque primorum victorum: 72—89. Fulgor lunae laetique cantus, 90—93. Continuatio moris canendi victorias et Jovem, 94—98. Dulcissima carmina, quamquam sero, data victori, 99—116. Laus civitatis et victoris, 117—125.

1. ἀνάγνωτε. Scholiastae veteri videtur esse invocatio Musarum vel appellatio chori. Verum Musam demum invocat deinceps, vs 4, ὦ Μοῖσ' ἀλλὰ σύ: haec prior non, ut mihi videtur, ejusmodi invocatio est, sed quasi vel cujusvis vel nullius appellatio universa.

3. γέγραπται. Exquisite dictum: inscriptum enim menti suae victorem oblivio tegere, non delere incuria potuerat. Dictio autem etiam est Aesch. Choe. 450

τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσὶν γράφου.

Et ex Sophoclis Triptolemo scholiasta vetus affert: θὲς δ' ἐν φρενὸς δέλτοισι τοὺς ἐμοὺς λόγους. Ex vetere scholio etiam alteram scripturam fuisse apparet: γράφεται δὲ καὶ ἐγγέγραπται.

7. ὀρθᾷ. Ad arcendum erecta. Heynius existimat esse δικαίᾳ.

8. ἐνιπὰ ἀλιτόξενος est vituperium de laeso hospite: ἐνιπὰ ψευδέων vituperium mendacii: sed mendacium ipsum et promissi carminis fallacia hospitem laesura fuerat: igitur substantivo et adjectivum et genitivum separatim Pindarus addidit, quum tamen sententiae confluant. Similiter Ol. IX 166 Αἰάντεον Ἰλιάδα βωμόν, ubi vide annotationem.

9. ἕκαθεν γὰρ. Nempe tempus quod tum futurum erat, quum carmen promittebatur.

12. ὁ τόκος. Debitum cum foenore se soluturum significat, studiose elaborando carmine. Genitivus ἀνδρῶν cum ἐπιμομφὰν conjunctus est.

13. νῦν, ψᾶφον. Fuerat adhuc sententia divisa post ἀνδρῶν colo posito: in his, νῦν ψᾶφον, scholiastae aliquid intelligendum putabant, ἴδωμεν, θεωρήσωμεν. Sed omnino difficile erat sententiam elicere. Sententia ita interpuncta, ut nunc feci, mihi apte procedere videtur. Ὅπα non prorsus eandem retinet significationem: prius inservit comparationi: posterius eum modum, quo modo ipsa res fiat, significat. Nunc foenus poterit delere reprehensionem, quemadmodum maris undae volutum calculum obruunt: et quo modo reprehensio delebitur? ita quidem, si nos in jucundam gratiam persolvemus dabimusque honorem. Ingeniose in scholiis κῦμα ῥέον refer-

tur ad carmen, cujus quasi flatus undis lapillum obruat: verumtamen vereor, ne hoc nimis quaesitum sit et a Poetae sententia abhorreat. In comparatione futurum etiam ponitur Ol. VII 4 δωρήσεται, quomodo hic κατακλύσσει.

15. κοινὸν. Communem, victori ejusque patriae: cujus deinceps laudes commemorat vs 17. Conf. Ol. VII 38 ξυνὸν λόγον Ἡρακλέος εὐρυσθενεῖ γέννᾳ. Λόγος autem famam laudemque significat, quae ex carminibus proveniat: ut ibi Ol. VII, Ol. I 178 et saepius. Nescio quo errore in interpretatione Latina scripsi rationem. Τίνειν autem λόγον, persolvere honorem, est tribuere eum honorem, quem Poeta promisisset.

17. νέμει γὰρ Ἀτρέκεια. Fuit quidem in Locris clarissimus legum conditor Zaleucus, et creditum fuit, illos primos legibus scriptis usos fuisse: Strabo, L. VI p. 259, 260, Alm. 397, 398. Conf. C. G. Heyne, Opusc. II p. 12—73. Plato, Tim. 20 a, Locrida dicit urbem Italiae optimis legibus institutam. Conjungit autem Poeta cum Locrorum laude justitiae laudes artium et bellicas. Conf. Ol. XI 18. De bellicis magna fama fuit, devicto olim ad Sagram fluvium ingenti numero Crotoniatarum: Strabo, p. 261, Alm. 400: Heyne, Opusc. II p. 55, 184.

19. Τράπε δὲ Κύκνεια. Scholiastae et commentatores haec ad sequentia retulerunt: Agesidamum certamen initio aegre sustinuisse et paene profligatum fuisse, verum ab Ila palaestrae magistro incitatum recuperasse vires et animum et exstitisse victorem. Verum aliter existimo. Audiamus Pindarum, Hieroni accinentem, Py. II 34

σὲ δ' ὦ Δεινομένεις παῖ
Ζεφυρία πρὸ δόμων
Λοκρὶς παρθένος ἀπύει,

Πολεμίων καμάτων ἐξ ἀμαχάνων
Διὰ τεὰν δύναμιν δρακεῖσ' ἀσφαλές.

Atque ibi in scholiis legimus, Rheginos et Messenios duce Anaxilao grave bellum Locris intulisse, et hos ipsos non pares fuisse tanto certamini, sed auxilio Hieronis liberatos periculo. Factum id est paulo ante Ol. LXXVI a. I: conf. Heyne, Opusc. II p. 56. Eo respexisse Pindarum existimo. Quodsi autem Agesidamus victor fuit Ol. LXXIV, carmen autem a Pindaro missum LXXVI vel LXXVII, haud remotam sane memoriam cladis et periculi nunc Pindarus commemorando attingit: atque ita in altero scholio victoriae tempus recte indicatum est, alterum vero fortasse ortum est ex quadam carminis missi notatione: quumque id tempus incertum esset, et poneretur Ol. LXXVI vel LXXVII, ex eo ipso indicio per incuriam confusum scholion oriri potuit *οὗτος ἐνίκησεν ἕκτην καὶ ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα.*

Cernimus autem denuo singularem Poetae illam in malis amicorum commemorandis humanitatem, de qua monui ad Ol. VIII 16, 19, 102, pag. 443 seqq, 462. Neque enim verbo quidem ipsam Locrorum cladem commemorat, sed ita cum fortissimi herois fuga comparat, ut dolorem consolatio non mitiget, sed arceat omnino et opprimat ejusque locum occupet. Nec possumus orationem dilatando non ejus nocere praestantiae: sed tamen intelligentiae adjuvandae causa dicimus, sententiam hujusmodi pleniore oratione potuisse significari: carus est Locris Mars aeneus: cladem quidem bello passi fuere, sed manet tamen eorum bellica gloria, quemadmodum Herculem plurimis laudibus ornamus, licet eum aliquando Cycnea pugna fugaverit.

Proelium autem Herculis adversus Cycnum in Hesiodi scuto Herculis narrari notum est, nec tamen in eo carmine de Herculis fuga memoria est: verum refert scholiasta Pindari, Herculem, quum Mars auxilio venisset filio Cycno, primum fugisse timore, postea vero ab illo Cycnum ipsum, quum solus esset, proelio superatum esse: idque narratum esse a Stesichoro, in carmine inscripto Cycno.

20. *πύκτας δ'*. Non haec, ut modo monui, conjungenda sunt cum proximis *τράπε δὲ*, sed cum *νέμει γάρ*. Est *κοινὸς λόγος*, duplex laudandi materia, altera Locrorum virtutes, altera Agesidami victoria, quam quidem nunc celebrare instituit.

21. *Ἴλᾳ χάριν*. Tradunt scholiastae, Ilan fuisse palaestrae magistrum. Nec est causa idonea, cur de eo dubitemus. Etiam Melesiae similes laudes videmus Ol. VIII 76, 81. Ilan autem et instituendo et incitando Agesidamum ad certamen Olympicum acuisse et instruxisse, cernimus vs 22. Comparatio autem Achillis et Patrocli in eo mihi videtur posita esse, quod Achilles quasi armorum magister Patroclo fuerit. Olim plura quaedam magisque recondita hac comparatione significari arbitrabar: Agesidamum ab Ila amatum fuisse more Graecorum, fuisse inter eos armorum societatem, et vs 124 respici ad illorum amorem ita, ut Agesidamo forma et aetas cum Cypride mortem arcuerit, nempe in proelio hunc ab amatore servatum esse e mortis periculo. Verum ea quidem jam non probabilis mihi conjectura videtur.

25. *θεοῦ σὺν παλάμᾳ*. Conf. Ol. IX 38.

26. *ἄπονον*. Praecedens sententia ita magnae incitationis magnaeque divinitus datae virtutis laudem conti-

net, ut magnos a victore superatos esse labores appareat. Et saepe Pindarus labore decus parari ostendit, velut Ol. VI 15, XI 4. Similiter hoc loco: ἄπονον tam cum ἔλαβον quam cum χάρμα conjungendum est: rarum esse affirmat Poeta, ut aliquis gaudium inveniat, quod sine labore inveniat: respiciens ad laborem ingentem certaminis Olympii.

27. Hunc versum adhuc ad praecedentia retulerunt: nec cujusquam vidi explicationem, quae commoda videretur, praeter Heimsoethii, qui, pag. 17, ostendit, quomodo haec esset appositio non addita vocibus ἄπονον χάρμα, sed tantum voci χάρμα: quumque χάρμα de victoriae gaudio dictum sit, merito illud dici ἔργων πρὸ πάντων βιότῳ φάος. Malo tamen existimare, hanc esse appositionem sequentis vocis ἀγῶνα: eximium certamen Olympiae appellat lumen vitae supra reliqua opera omnia: quippe nihil esse, quod tam possit vitam illustrem efficere. Ne vero quis dicat, non ἀγῶνα, sed victoriam esse vitae lumen: ipsam Poeta significat certaminis maximi claritatem, cujus certaminis institutionem et primordia vetera jam celebrare aggreditur: quum etiam ad victores redundaret ea claritas: quam cecinit etiam Ol. I initio, ex eadem affirmans carminum quoque provenire materiem.

29. θέμιτες. Non frustra dicuntur jura Jovis, quae Poetam ad certamen canendum impulerint, quum fuerit ejus institutio Jovi consecrata: conf. vss 54, 97, Ol. II 4, IV 3.

30. σάματι Πέλοπος. Cf. Ol. I 149 ibique annotatio.

33. πέφνε Κτέατον. Cteatus et Eurytus filii fuere Moliones et Neptuni, habiti vero Moliones et Actoris. In scholiis veteribus narratio est, illos prius Augiae opi-

tulatos, mercedem neganti, Herculis Tirynthium sive Argivum exercitum delevisse: et memoratur de rebus illis scriptor Mnaseas Patareus.

34. *λάτριον μισθόν.* Mercedem, quam pro labore Hercules pactus fuerat. *Ὑπέρβιον* potest quidem ad Augiam referri, idque vult scholiasta recentior: sed praestat conjungere cum *μισθόν.* In scholiis veteribus explicatur *πλεῖστον ὄντα* et *τὸν πολύν.* Satis bene: sed est propter Herculem, ut arbitror, quaedam in eo epitheto dignitas, quemadmodum verbi causa dicitur *πλοῦτος μεγάνωρ*, Ol. I 4.

37. *ὑπὸ Κλεωνᾶν.* Narrantur in scholiis veteribus tum Eurytus et Cteatus in itinere fuisse ex Argolide ad certamen Isthmicum.

38. *ἐφ' ὁδῷ.* Significantur factae ab Hercule insidiae, ut monet vetus scholiasta, recte comparans *ὁδὸν ἐλθέμεναι*, Hom. Il. I 151, quod idem dicitur *λόχονδ' ἰέναι*, 227. Eodem pertinet *δοκεύειν*: quod etiam ab Hesiodo de Hercule dicitur in parando adversus Martem proelio, Sc. Herc. 333, 425. Conf. 480, et de Cerbero, Theog. 772.

46. *βαθὺν εἰς ὀχετόν.* Conf. Soph. Aj. 1072

ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ
ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν ἐς βυθὸν πεσεῖν.

47. *κρεσσόνων.* Genitivus est activus: bellum, quod fortiores gerant.

47. *ἀποθέσθ'.* Conf. Ol. VIII 90.

48. *ὕστατος.* Dubitavi, an significaretur, tandem tamen Augeam invenisse cladem, ut esset i. q. *τελευτῶν*, *τέλος*: conf. Heimsoeth p. 18. Verumtamen potius explico sic, ut post Cteatum Eurytumque etiam Augeas cladem invenerit. *Ἀβουλία* est ejusmodi imprudentia,

quam modo Poeta dixit, qua quis conetur fortioribus adversari: hac pariter Molionidae, Herculis exercitum delere ausi, perierant: hac postremus Augeas periit, eidem viro adversatus. Et vero, quae posterior occisione Molionidarum fuit, eadem postrema hujus quidem belli clades fuit, et hoc, qui restabat, hoste devicto, Hercules festum instituit.

49. *ἀλώσιος ἀντήσαις.* Aesch. Sup. 36

ἀγρίας ἀλὸς ἀντήσαντες ὄλοιντο.

Soph. Oed. Col. 1445 *ἀντῆσαι κακῶν.*

51. *ἐν Πίσᾳ.* Conjungo cum *σταθμᾶτο.*

53. *ἄλσος.* Fere lucum significare solet, sed hoc loco tantum locum sacrum, qui quidem etiam tum erat nudus arboribus: quod quidem tenuisse Pindarum, apparet mox, *ἐν καθάρῳ.* Idem copiosius proponit Ol. III 40, et postea arbores eo ab Hercule portatas esse. Conf. annotatio ad Ol. VI 39. Ibidem similis usus est adjectivi *ζάθεος.*

55. *Ἄλτιν.* Pausanias L. V C. X 1 *τὸ δὲ ἄλσος τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς παραποιήσαντες τὸ ὄνομα Ἄλτιν ἐκ παλαιοῦ καλοῦσι, καὶ δὴ καὶ Πινδάρῳ ποιήσαντι ἐς ἄνδρα Ὀλυμπιονίκην ᾆσμα Ἄλτις ἐπωνόμασται τὸ χωρίον.* De vocabuli etymologia conf. annotatio critica ad Ol. III 30. At quamquam *ἄλσος* et *ἄλτις* communis originis nec dissimilis significationis esse videantur, tamen facile hoc loco inter se distinguuntur, nec Pindarus etymologiam sed morem secutus est, quo Altis nomine proprio ille terminatus Jovis lucus Pisaeus appellabatur. Ceterum Altis continuit tum alia tum sanctissimum Jovis templum: atque hoc loco Pindari omnino tria significantur, totius loci consecratio, Altis terminatio, circumjacentis campi des-

tinatio: nec quod nunc Ἄλτιν dicit, idem est quod modo dixit ἄλσος: verum ἄλσος est locus universus, quem Jovi Hercules consecravit: in hoc loco terminavit Altin: reliquum vero campum, qui quidem esset sacri ἄλσεος pars, circum Altin sita, voluit esse deversorium. Atque ideo Pindarus postquam primum dixit de totius loci consecratione, reliquam orationem divisit conjunctionibus μὲν et δέ. Consecratione autem Herculem etiam Cronium et locum Alpheo ipsi proxime adjacentem complexum fuisse conjicio e vss 58—60.

57. τὸ κύκλῳ πέδον. Xenoph. Anab. L. V C. VI 20 τῆς κύκλῳ χώρας.

57. δόρπου λύσιν. Est quidem coenae deversorium: verum coenae vocabulo omnem festi hilaritatem certaminibus carminibusque conjunctis significari credo eam, quae vss 70—93 exponitur. Λύσις a scholiastis explicatur καταλυτήριον, καταγώγιον, deversorium: et recte omnino: nec tamen alibi, quantum scio, ea hujus vocabuli significatio est, sed κατάλυσις: velut Eurip. El. 392 δεξώμεθ' οἴκων καταλύσεις, Plat. De Legg. XI 919 a καταλύσεσιν ἀγαπητῶς δεχόμενος, et persaepe.

58. Ἀλφεοῦ. Alpheum recepit in Diis duodecim, quos honoravit aris: βωμοὺς ἓξ διδύμους Pindarus appellat Ol. V 10, ibique e vetere scholio nomina Deorum recensuimus: et Alphei quidem cultus cum Artemidis ara conjunctus fuit. Pausanias commemorat Alphei in Artemidem amorem, L. VI C. XXII 5: eandemque rem attingit L. V C. XIV 5, respiciens sane Pindari carmen nobis deperditum: Ἀλφειῷ καὶ Ἀρτέμιδι θύουσιν ἐπὶ ἑνὸς βωμοῦ, τὸ δὲ αἴτιον τούτου παρεδήλωσέ που καὶ Πίνδαρος ἐν ᾠδῇ. De fluviorum honóre scripsimus ad Ol. V, pag. 352 seqq.

61. ἆς. Scriptum esse dicitur a vetere scholiasta pro ἕως: idque simpliciter ita esse arbitror, mutata per dialectum forma. Hesychius habet ἆς, ἕως, ὅπως, μέχρις οὗ. Disputat de α Doricae dialecti pro ω Ahrens de dialectis Linguae Graecae L. II pp. 181, 182, sed hunc Pindari locum non memorat. Conferantur etiam, quae scripsimus de σᾶμα pro σῶμα in annotatione critica ad Ol. X 84 et in annotatione ad Ol. VIII 90. Regnum autem Oenomai quum dicatur a Poeta, significatur omnino tempus ante Herculem, ut intelligitur ex apposito πρόσθε: sed Oenomaus potissimum memoratur propter memorabilem pugnam Pelopis: conf. Ol. IX 15.

62. νιφάδι. Alii de silentio dictum putant, alii de ipsa nive. Posterius omnino verum esse credo: νώνυμνος fuerat tumulus, idemque incultu horruerat tempestatibus nivibusque obnoxius: Hercules nomen addidit, et, si hoc nobis fingere licet, ab illo inde tempore cultu amoenus factus est, εὐδείελος, Ol. I 178.

64. τελέτᾳ. Conf. Ol. III 74. Significatur haec tota loci consecratio, ararum exstructio, Cronii appellatio, quas inde a versu 51 Poeta exposuit. Cetera de Parcis ac de Tempore praeclara sunt, significantia, et effectum et perpetuam famam divinitus datam esse Herculis consiliis.

67. τὸ δέ. Instituitur nova pars narrationis: vs 31 memoratus est Hercules, conditor praeclari certaminis: vss 32—50 tempus significatum, quo hoc fecerit: tum inde a versu 51, quomodo Jovi reliquisque Diis consecratio locorum facta sit: jam vero narranda sunt ipsa prima sacrificia et certamina.

68. ὅπα. Cernimus, in indirecta oratione hanc par-

ticulam hoc quidem loco non differre ab ea, quae vs 70 ponitur, ὅπως. Plato Epin. 990 b ὡς φαμεν ὅπῃ δεῖ τε καὶ ὅπως χρεὼν μανθάνειν.

69. ἀκρόθινα διελών. Διαιρεῖν, ut credo, hoc loco non tantum est ipsum dividere, sed dividendo secernere: sacrificavit Hercules τὰν πολέμοιο δόσιν, nempe eam ejus partem, quam Diis secrevit et divisionis primordia esse voluit. De vocabulo ἀκρόθινα explicuimus ad Ol. II 7.

72. ποτχίνιον. Recte scholiasta vetus exponit πρόσφατον: sed immerito Doricum esse dicit: si quidem est apud Aeschylum, Choe. 1055 de recente Clytaemnestrae sanguine, Eum. 282 de recente ejusdem caede, Sept. c. Th. 239 de novo tumultu.

74. ἀγώνιον εὖχος. Est decus certaminis: ac fere εὖχος ab Homero de victoriae laude dicitur: velut Il. VII 81, XIII 327. Similiter apud Pindarum, Py. V 26 εὖχος ἑλών, Nem. VI 100 τοῦτο γαρύων εὖχος ἀγώνων ἄπο. Apud Tyrtaeum, III 36 edit. Brunckii

νικήσας δ' αἰχμῆς ἀγλαὸν εὖχος ἕλῃ·

Quamquam εὖχος etiam dicitur votum, velut Soph. Phil. 1203

ἕν γέ μοι εὖχος ὀρέξατε.

Qua quidem significatione plerumque εὐχὴ poni solet. Tamen decoris significationem hoc loco praefero. Est autem ἀγώνιον εὖχος appositum ipsis vocabulis ποταίνιον στέφανον. Scholiastae veteres significari existimant adversarii vota et gloriam, ut καθελὼν significet devictam a victore ejus, cum quo certaverit, gloriationem.

74. ἐν δόξᾳ θέμενος. Corona, decus certaminis, si non petetur certando nec reportabitur, sua ipsa gloria carebit: a victore demum in gloria ponitur et gloriosa

efficitur: tum vero ea gloria ad ipsum quoque victorem pertinebit: id quod significatur verbo medio.

75. *ἔργῳ καθελών.* Ἔργον est ipsius labor certaminis. Conf. annot. ad Ol. VII 154. Καθαιρεῖν a scholiasta de profligato adversario ac perdomita ejus gloriatione dictum esse putatur, ut monuimus: et saepe ejusmodi significatio est, velut Herod. I 71 Κροῖσος ἐλπίσας καταιρήσειν Κῦρόν τε καὶ τὴν Περσέων δύναμιν. Verum de confecto ipso certamine et de reportata victoriae gloria dictum esse videtur. Py. V 26 et Tyrt. III 36 est *εὖχος ἑλεῖν.* Soph. Oed. Col. 1148 *ἀγὼν μὲν οὗτος ᾑρέθη.* Apud Herodotum Xerxes Artabano de magnis majorum suorum rebus gestis, L. VII 50: *μεγάλα γὰρ πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλει καταιρέεσθαι.* Et de ipsis proeliis. IX 35, Tisamenus vates Spartanorum adjutor *πέντε σφι μαντευόμενος ἀγῶνας συγκαταιρέει.* Plutarchus, Cim. XIII de victoriis ad Eurymedontem ab ipsis ludis verba sumit: Κίμων δ' ὥσπερ ἀθλητὴς δεινὸς, ἡμέρᾳ μιᾷ δύο καθῃρηκὼς ἀγωνίσματα. Conf. annotatio ad eum locum Arnoldi Ekker, pp. 114 et 164, et annotatio nostra ad Ol. I 142.

76. *στάδιον ἀρίστευσεν.* Quum hoc loco certi generis certamen verbo additum sit, omnino late patet usus accusativi in verbis certandi et vincendi: velut apud Plutarchum, Phoc. XX, scribitur *ἀγωνίσασθαι ἀποβάτην*, in quo certator pro certandi genere atque ita pro objecto verbi ponitur.

79. *ὁ δὲ πάλᾳ.* Intellige *ἀρίστευσεν.* Participio *κυδαίνων* respicitur ad victoriae gloriam redundantem ad victoris patriam.

81. *τέλος.* Felicem exitum. Ist. IV 52

ἔστιν δ' ἀφάνεια τύχας

καὶ μαρναμένων,
πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι·
τῶνδε γὰρ δίδοῖ τέλος.

84. Σᾶμος. Eadem memoria affertur a scholiastis veteribus e Diphili Theseide:

τρέψας δὲ πώλους, ὡς ὁ Μαντινεὺς Σῆμος,
ὃς πρῶτος ἅρματ' ἤλασεν παρ' Ἀλφειῷ.

84. ἁλιῤῥοθίου. Nomen adjectivum esse videtur, appositum vocabulo Μαντινέας: significari autem Mantinea marina sive Neptunia. De ipso adjectivo vide Stephan. Thes. in voce. Scribitur etiam ἀλίῤῥοθος, velut Aesch. Pers. 367

ἔκπλους φυλάσσειν καὶ πόρους ἁλιῤῥόθους.

Halirrhothii, filii Neptuni, de quo scribit Apollodorus L. III C. XIV, memoria ad hunc locum non pertinere videtur: Halirrhothium vero ipsum Neptunum appellari putavit Didymus: neque id ipsum absurdum est, sed quomodo Pindarum explicaverit, non satis intelligo. Hoc vero non praetermittendum est, eundem dixisse, Mantineam fuisse sacram Neptuno, et Mantineenses in clypeis insigne gestasse tridentis Neptunii, idque ipsum a Bacchylide scriptum fuisse. Et dixerunt Neptunum sibi adjutorem fuisse Mantineenses eo proelio, quo Agidem et Lacedaemonios vicerunt: Pausan. L. VIII C. X 4. Et fuit Mantineae templum vetus Neptuni ita augustum et religiosum, ut Hadrianus postea summa cura et religione usus sit in ejus sanctitate servanda, quum novum templum circumjiceret: ibique fama fuit aquae marinae, quae quidem in regione tam procul a mari remota manifestissimam Dei voluntatem significaret: et eam aquam subito erumpentem caecitatis et mortis

causam exstitisse homini religionem violanti. Quam memoriam tradit Pausanias, L. VIII C. X. Nec sine causa ergo urbi datum nomen est a Pindaro illud, quo et Neptunus honoraretur et eruptio aquae marinae significaretur: atque ille Neptunus quum ἵππιος fuerit, ut tradit Pausanias ibidem, tanto aptius hoc loco cognomen est in quadrigariae victoriae laudatione.

85. ἔλασε. Feriendo tetigit. Nem. VII 61

ἵνα νιν ἔλασεν ἀντιτυχόντ' ἀνὴρ μαχαίρᾳ.

Eurip. Herc. fur. 347

τὰν καλλίφθογγον κιθάραν
ἐλαύνων πλήκτρῳ χρυσέῳ.

86. ἔδικε. Convenit huic structurae Eurip. Phoen. 662 de interfecto dracone

ὃν ἐπὶ χέρνιβας μολὼν
Κάδμος ὤλεσε μαρμάρῳ,
κρᾶτα φόνιον ὀλεσίθηρος
ὠλένας δικὼν βολαῖς.

Et fortasse aliquo modo Eurip. Or. 982

Πέλοψ ὁπότε Μυρτίλου φόνον
δικὼν ἐς οἶδμα πόντου·

si id est, Myrtili caedem persequens et in maris undas persequendo perficiens. Ceterum usitata structura foret ἐς μᾶκος ἔδικε πέτρον, velut Py. IX 218

πολλά μιν κεῖνοι δίκον
φύλλ' ἔπι καὶ στεφάνους·

Et Eurip. Phoen. 668 de satis a Cadmo draconis dentibus

γαπετεῖς δικὼν ὀδόντας
ἐς βαθυσπόρους γύας.

87. ὑπὲρ ἁπάντων. Nem. IX 129 ὑπὲρ πολλῶν, Ist. II 53 ὑπὲρ ἀνθρώπων..

90. ἐν δ' ἔφλεξεν. Plenilunio instituti ludi Olympici: conf. Ol. III 36. Praepositio autem non verbo adjungi videtur, sed ipsum φλέγειν habere collustrandi significationem, ut Py. V 60

σὲ δ' ἠύκομοι φλέγοντι Χάριτες.

'Εν adverbialiter positum est, ἐν τούτῳ, interea, tum. Conf. Ol. VII 9.

92. ἀείδετο. Κατείχετο ἀοιδῇ. Hom. Il. XVI 79

οἱ δ' ἀλαλητῷ πᾶν πεδίον κατέχουσι.

Hesiod. Scut. Herc. 284

πᾶσαν δὲ πόλιν θαλίαι τε χοροί τε
ἀγλαΐαι τ' εἶχον.

Eurip. Iphig. T. 367 αὐλεῖται δὲ πᾶν μέλαθρον.

92. πᾶν τέμενος. Id quidem, quod Hercules constituerat δόρπου λύσιν, vs 57.

93. Τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον. Τρόπος est modus carminum, velut Ol. XIV 25 Λυδίῳ ἐν τρόπῳ, Ol. III 8 νεοσίγαλον τρόπον. 'Εγκώμιος τρόπος festo conveniens: Nem. I 10 ἐγκώμιον μέλος.

94. ἀρχαῖς δὲ προτέραις. Significantur ea ipsa, quae modo commemorata sunt, carminum initia, quae cum Olympiorum institutione conjuncta fuerunt.

95. ἐπωνυμίαν χάριν νίκας. In scholiis veteribus est sententia, χάριν νίκας esse διὰ τὴν νίκην, aut χάριν pro εἰς χάριν: et objectum verbi κελαδησόμεθα esse βροντὰν καὶ βέλος. Non ita esse existimo: sed χάριν et βροντὰν esse ejus verbi objectum, et χάριν significare decus laudemque. Similiter Ol. VIII 74

καὶ Νεμέᾳ γὰρ ὁμῶς
ἐρέω ταύταν χάριν.

Χάρις ἐπωνυμία νίκας est vel ἐπινίκιος, ut Nem. IV 128

ἐπινικίοισιν ἀοιδαῖς, vel καλλίνικος, ut ibid. 26 ὕμνον κελάδησε καλλίνικον, vel Ὀλυμπιονίκας, ut Ol. III 4 Ὀλυμπιονίκαν ὕμνον. Certe ea laus, quae a victoria nomen habeat.

96. κελαδησόμεθα. Hoc uno loco, quantum scio, media hujus verbi forma reperitur, ceterum activa, ut Nem. IV 26, Ol. II 3.

96. βροντὰν καὶ βέλος. Canendi materiem Poeta dixit esse laudem victoriae: nunc ei materiei additur fulmen tonitruque Jovis: altera copulatur cum altera: αἴθωνα κεραυνὸν est appositum vocabuli βέλος. Ἐν ἅπαντι κράτει ἀραρότα in veteribus scholiis ad Jovis potentiam refertur: fulmen ejus potentiae sufficere et ad omnes usus esse aptum et conveniens. Heynius significari putat σὺν μεγίστῳ κράτει, κρατερῶς. Adhuc mihi videtur aliter, et κράτος dici de victoria, quomodo Ol. I 34, κράτησαν Ol. IX 126, κρατέοντα X 121. Quum autem Poeta dicat, fulmen esse omni victoriae opportunum et congruum, teneamus, fulmen ab eo positum esse in canendi materie: igitur significatur ea convenientia, qua magnum fulmen in quavis victoria canere deceat.

Commemorat autem Boeckhius, secundum Eckhelium, De Nummis Veterum, Tom. I p. 175, in nummis Locrorum Epizephyriorum fulmen repraesentari: et ideo quidem a Pindaro nunc fulmen laudari arbitratur, quum fulminis reverentia quaedam singularis Locris fuerit. Verum poetica oratione et sententia existimo propria Jovis ejusque imperii insignia laudari, quum licuisset nude ipsum Jovem dicere. Nam revera Jovem in omni victoria canere oportebat, Olympiae certaminumque dominum. In hoc ipso carmine vs 29 θέμιτες Διὸς Poetam incita-

runt ad canendum praeclarum certamen Olympium: Ol. I 16 ex Olympio certamine cura venit sapientibus ut Jovem canant: Ol. II 4 canendus Jupiter, nam Πίσα μὲν Διός: Ol. IV ipsum carminis exordium est invocatio tonantis Jovis: nam illius redeuntia tempora Poetam ad laudanda certamina vocarunt: Olympium V totum est invocatio Fluvii Camarinae Palladisque tutricis, et tamen magna pars in invocando Jove, propterea quod ille Cronium collem incoleret et Alpheum honoraret: Ol. VII 159 numen Jovis adorat et precatur ut ille honoret ὕμνον τεθμὸν Ὀλυμπιονίκαν: Ol. IX 10 ad fulminantem Jovem montemque Elidis mittit tela Musarum: Ol. XIII 39 commendantur Jovi coronarum decora, quae Pisa rediens fert victor domum.

Fortasse cuipiam visus fuero in re aperta uti demonstratione longa. Et tamen quandoque nec otiosum est nec inutile rem quamvis claram ponere ob oculos.

Quodsi autem de fulminis ea imagine quaerimus, quae in Locrorum nummis fuit, ea ipsa non propter vim fulminis potius quam propter numen et insignia Jovis fuisse videtur: nam, ut Eckhelius ibidem exponit, in altera parte ejusdem nummi, qui fulmen habet, aquila est: tum vero alius nummus est, qui in altera parte Jovem, in altera aquilam habet, sed caret fulmine.

99. Jam ergo nunc quoque initia priora secutus canit χάριν νίκας Agesidami. Χλιδῶσα, τρυφῶσα, ἐναβρυνομένη, ut scholiasta scribit. Verum πρὸς κάλαμον non recte mihi videtur conjungere cum ἀντιάξει, verum id conjungo cum χλιδῶσα: in ἀντιάξει intelligi credo Ἀγησιδάμῳ. Futurum hoc versu et 96 κελαδησόμεθα vix propriam suam significationem habet: significatur hoc praesens

carmen. Genitivus μελέων adjungitur vocabulo κολπά.

101. παρ' εὐκλέϊ Δίρκᾳ. Dircen fuisse fontem in agro Thebano, propter quem ipse Pindarus ab Horatio dictus sit Dircaeus cygnus, L. IV Od. II 25, satis certe notum est. Verum ad eum fontem carmina sero Agesidamo apparuisse dicit. Atque hoc me admonet, ut pauca scribam de multorum interpretum ea cura, qua inquirant studiose et ostendant lòca ac tempora, queis singula Pindari carmina cantata sint: quum ita Poetam ea perfecisse et elaborasse existiment, ut ea certis semper opportunitatibus destinaret. Neque ego eam curam contemno: nec quidquam parvi facio, quod ad rationem carminum Pindari pertineat illustrandam. Verum quandoque illam curam frustra esse arbitror: atque hoc sane mihi constare videtur, minime in quovis carmine faciendo illum ejusmodi intentum fuisse proposito, sed spectasse victoris gaudia, si laudes a se praeclaras acciperet, spectasse patriae victoris gloriam, spectasse laudum earum ejusque gloriae et suorum carminum aeternitatem. Certe ea non ad breve tempus gustari, sed sempiterna praeconia esse voluit:

μελιγάρυες ὕμνοι ὑστέρων ἀρχαὶ λόγων·

Ol. XI 5. Et hoc quidem loco non ad certum quoddam convivium aut aliquam coronae portationem ornandam carmen pertinere videmus: nec scripsit Poeta, ut hoc quoque, quamvis minutum videatur, attendam, παρ' εὐκλέος Δίρκας, quasi missa inde carmina, sed παρὰ Δίρκᾳ: ibi a Pindaro condita apparuerunt, suntque victori quasi sero nata ex uxore progenies etiam morituro solatium. Profecto quidem, si hoc carmen solenni cuidam pompae vel alicui rei simili debitum fuisset, neque in tempore

missum fuisset, nimis sera haec compensatio foret. At nunc victor laboris sui fructum habuit.

103. νεότατι. Ol. XII 15 ἔμπαλιν τέρψιος. Dativi non aliud exemplum novi.

109. καὶ ὅταν. Sunt haec pro apodosi, respondentia praecedentibus ὥστε παῖς. Atque in his pars tantum apodoseos expletur, nempe tristitia carentis carmine: in comparanda carminis ipsius jucunditate transit oratio ad ipsum Agesidamum, vs 113.

111. κενεὰ πνεύσαις. Quasi frustra tota vita peracta.

112. ἔπορε. Labor secundum Pindarum prope suo jure praemia et praeconia postulat: Ol. VI 16: XI 1—6. Ex hac sententia verbum ἔπορε quid significet intelligitur: suo ipse labori breve gaudium praebuit: caruit ille sua mercede labor.

113. λύρα αὐλός. Versu 99 sola tibia memorata est: hic lyra ac tibia. Non sunt haec argute explicanda: significantur dona carminum. Conf. Ol. I 27, II 85, VII 21, et quae modo scripsimus ad vs 101.

114. ἀναπάσσει. Py. VIII 80

Ἀλκμᾶνα στεφάνοισι βάλλω
ῥαίνω δὲ καὶ ὕμνῳ.

115. τρέφοντι. Conf. IX 160 ibique annotatio.

117. συνεφαπτόμενος. Est in scholiis sententia, significari studium obsequendi Musis: sed credo potius significari studium adjuvandi Locros et Agesidamum, quibus poesin impertit suam et quasi vult esse sociam.

118. μέλιτι καταβρέχων. Mellis comparatione in laudando etiam utitur Pindarus Nem. III 134, Ist. V 68.

122. Κεῖνον κατὰ χρόνον. Recte mihi scripsisse videor, aetate tum fuisse Agesidamum ἀγενείων, et additamentum

inscriptionis παιδὶ πύκτῃ fortasse ortum esse ex additamento Ἀρχεστράτου παιδί. Tamen Heynius, certamen Agesidami existimans fuisse ἐν παισὶν, fortasse hoc ipsum voluit, quod ego de aetate existimo: nam ἀγένειοι quoque παίδων nomen retinuerunt: Pausan. L. VI C. XIV 1 ἐπὶ τοῖς παισὶν οὓς ἀγενείους καλοῦσιν.

123. ὥρᾳ τε κεκραμένον. Potest esse id quod μιχθέντα, florente aetate praeditum. Sed tamen credo, in ipso quoque verbo inesse temperationis significationem, ut ὥρᾳ ita sit adjectum, quemadmodum epitheto καλὸν appositum est ἰδέᾳ. Conf. Xenoph. Cyneg. V 5 τὸ ἔαρ κεκραμένον τῇ ὥρᾳ.

123. ἅ ποτ'. Suavissimus carminis exitus: haud dissimilis est exitus carminis Ol. IV. Verum hic quidem tam magno tamque elaborato carmine dignus, ille quasi jocosus et parvo carmini conveniens.

OLYMPIA XI.

Carmen hoc, ut scripsi ad Ol. X p. 494, ante Ol. X scriptum videtur: mihi ad eandem pertinere victoriam videtur: semel Agesidamus vicisse videtur, neque enim Pindarus, si qui victores pluribus laudibus fuere conspicui, in iis celebrandis parcus esse solet, in his autem duobus carminibus una victoria Agesidami commemoratur. Credibile esse existimo, tempore non interposito post victoriam vel post nuncium victoriae hoc carmen factum esse: Pindarum praesentem fuisse tum Olympiae, nec nego nec affirmo: verum eos interpretes, qui id efficere

sibi videntur e vs Ol. X 120 τὸν εἶδον κρατέοντα, non satis certo argumento uti arbitror: conf. ann. ad Ol. I 178 p. 288, Ol. IV 4 p. 347, Ol. VII 24 p. 412. Et Agesidamum certe nondum Pisa in patriam rediisse, quum hoc carmen acciperet, existimant quidam e vs hujus carminis 17, referentes μιν ad victorem: quod quidem mihi aliter videri eo loco significabo: neque ipsa res mihi videtur improbabilis, verum argumentum non idoneum.

Argumentum carminis perquam simplex est: postulari virtutibus laboriosis praeconia carminum, maxime ea tribui victoribus Olympiae. Se ipsum eorum auctorem esse ope divina: et nunc quidem celebrare Agesidamum propter pugilatum et victoriam. Tum Musas invocat, ut gentem Locrorum Epizephyriorum visitent, insita hospitalitate studiisque sapientiae et militari virtute laudabilem.

1. ἔστιν ἀνθρώποις. Ventorum in navigatione, pluviae in agricultura summum usum esse, neque eas his adjumentis posse carere Poeta significat: similiter vero labores juvari hymnis. Quorum summam suavitatem et virtutibus debitam gratiam maxime et sensit et professus est Pindarus, et hoc quoque loco ita canit, ut comparet cum adjumentis maximorum in mortalibus operum, quum ad vitam victumque nihil navigatione et agricultura magis pertineret, χθόνα ταράσσειν ἐν χερὸς ἀκμᾷ καὶ πόντιον ὕδωρ. Ol. II 113.

4. εἰ δὲ σὺν. Respicitur quidem maxime ad certamina et victorias, sed ea mox vs 7 diserte commemoraturus Poeta praeponit sententiam, quae universa sit: id quod etiam intelligitur ex optativo πράσσοι.

4. μελιγάρυες. Py. III 113, Ne. III 7, Ist. II 6. Conf. Ol. X 118.

5. ὑστέρων ἀρχαὶ λόγων. Significatur hymnorum immortalitas, iisque etiam posterae famae principia contineri.

5. τέλλεται. Unum Schol. Vet. ex Urat. A: ἀντὶ τοῦ τέλλονται οἱ ὕμνοι· ἑνικὸν ἀντὶ πληνθυντικοῦ. In reliquis veteribus scholiis nulla ejusmodi est mentio, sed tantum explicatur per εἰσὶ vel γίνονται. Similiter Hesiod. Theogon. 321 de Chimaera

τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαὶ, μία μὲν χαροποῖο λέοντος, κ. τ. λ

Soph. Trach. 518

τότ' ἦν χερὸς ἦν δὲ τόξων πάταγος,
ἦν δ' ἀμφίπλεκτοι κλίμακες.
ἦν δὲ μετώπων ὀλόεντα πλήγματα.

Utque apud Hesiodum et Sophoclem in adjunctis sententiis fortasse aliqua ratio esse videri potest numeri singularis, sic etiam apud Pindarum in adjuncto πιστὸν ὅρκιον.

6. πιστὸν ὅρκιον. Saepius Pindarus carmen pro jurato testimonio esse vult: conf. Ol. II 166, VI 34.

7. ἀφθόνητος. Extra invidiam ita significari hoc existimat scholiasta vetus, ut invidentes statuam evertere possint, gloriam carminum delere non possint. Verum significat potius, nullam inesse invidiam nec malignitatem in eo qui laudem impertiat, sed copiose et abundanter illum impertire.

8. ἄγκειται. Honorifice dictum: nam sacra donaria, quae in Deorum honorem in templis exposita sunt, ἀνακεῖσθαι dicuntur: velut Herod. I 14.

8. τὰ μὲν. Logice referendum est ad ὕμνους. Facile hujusmodi structura admittitur: Eur. Sup. 597

ἓν δεῖ μόνον μοι, τοὺς θεοὺς ἔχειν, ὅσοι

δίκην σέβονται· ταῦτα γὰρ ξυνόνθ' ὁμοῦ
νίκην δίδωσιν.

9. ποιμαίνειν. Recte scholiasta recentior explicat διοικεῖν, curare et gubernare. Plato, Lys. 209 a καὶ τὸ σῶμα ἄλλος ποιμαίνει καὶ θεραπεύει, σὺ δὲ ἄρχεις οὐδενός: ubi ποιμαίνειν fere idem est atque ἄρχειν.

13. κόσμον ἀδυμελῆ. Carmen Poeta dicit κόσμον, ornamentum quasi quoddam quod cernatur oculis, coronae additum: et epitheton tamen adjungit ἀδυμελῆ, quod proprie non huic ornamento sed ipsi carmini conveniat: est quaedam copiosa comparationis et rei comparatae conjunctio: scripsimus de ea ad Ol. VI 141, pag. 395.

14. κελαδήσω. Non ad futuri carminis pollicitationem hoc pertinet, sed ad hoc praesens carmen, et ipsas Musas ad festi hujus cantus societatem vocat: haud dissimiliter Ol. VI 36 sua carmina a Musis repetit. Forma verbi futura ibi pariter in re praesenti ponitur, μαρτυρήσω: etiam Ol. X 96, 100. Κωμάζειν enim est festum per cantum agere, velut Ol. IX 6: Nem. II 38 κωμάξατε.

17. μιν. Duobus modis hoc explicari potest, ut sit subjectum verbi ἀφίξεσθαι, si refertur aut ad κόσμον, carmen ad Locros perventurum, aut ad Agesidamum, in patriam rediturum. Et hoc quidem placet Boeckhio. Verum subjectum verbi ἀφίξεσθαι intelligi existimo ipsas Musas, quas invocat, et μιν esse verbi objectum, populum Locrorum, cui jam laudes debitas adjuncturus est.

17. μὴ φυγόξενον κ. τ. λ. De Locrorum laude justitiae, artium, militiae, scripsit etiam Poeta Ol. X 17. Scholiasta vetus ad eum locum laudat poetam Locrum Epizephyrium Xenocritum, et harmoniam, quae Locrica appellata sit.

20. Insitas affirmat Locrensibus virtutem et sapientiam esse nec posse mutari, exemplis a fortissimo et a sapientissimo animali desumtis. Et vulpis quidem comparatio fortasse secundum nostros mores minus decora et praeclarissimis carminibus minus videretur esse conveniens: sed Homerus quam est muscarum et cygnorum et quarumvis bestiarum et bestiolarum comparationibus refertus? Ipse Pindarus etiam Ist. IV 77 eadem atque hoc loco comparatione utitur

τόλμᾳ γὰρ εἰκὼς
θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων
ἐν πόνῳ, μῆτιν δ' ἀλώπηξ.

Py. II 155 lupi proponit in odio aperto exemplum laudabile.

20. *αἴθων*. Vel de colore fulvo et ardente dici existimatur, vel de fervore ingenii, δολία τῇ διανοίᾳ, ut ait scholiasta vetus. Posterius mihi verum videtur. De moribus fervidis dicitur apud Sophoclem, Aj. 1088 αἴθων ὑβριστής: de leone Tyrt. fragm. 10

αἴθωνος δὲ λέοντος ἔχων ἐν στήθεσι θυμόν.

OLYMPIA XII.

In inscriptione a quibusdam, ut in notis criticis retulimus, refertur haec Ergotelis victoria ad Olympiadem LXXVII: idem in scholiis traditur: nec dubitandi causa esse videtur. Memorantur in scholiis etiam tempora, quibus Pythia vicerit: quippe Pythiade XXIX ibi vicisse dicitur: et in altero scholio vetere prior victoria Pythia

ponitur Pyth. XXV. Quae tamen videntur esse confusa: quippe Pythias XXIX incidit in Olympiadis LXXVII annum tertium, et ab ipsis scholiastis appellatur ἡ ἑξῆς Πυθιάς: ideo, si haec victoria Olympica recte ponitur Ol. LXXVII, ante id tempus Pythiae ejus victoriae ponendae sunt. Boeckhius quidem demonstrare conatur, scholiastas in tota Pythiadum chronologia ita aberrare a vero, ut singuli eorum numeri una Pythiade prius ponendi sint.

Fuit, ut ex ipso carmine apparet, Ergoteles natione Cnosius, et per seditionem expulsus est patria: Cretenses quidem civitates multis seditionibus obnoxias fuisse docet Aristoteles, Polit. L. II C. VII: πολλάκις ἐκβάλλουσι συστάντες τινὲς τοὺς κόσμους ἢ τῶν συναρχόντων αὐτῶν ἢ τῶν ἰδιωτῶν: — εἰώθασι δὲ διαλαμβάνοντες τὸν δῆμον καὶ τοὺς φίλους μοναρχίαν ποιεῖν καὶ στασιάζειν καὶ μάχεσθαι πρὸς ἀλλήλους. Venit autem Ergoteles Himeram, ibique civis fuit et hujus civitatis nomine usus est in hac victoria. Idem postquam ex patria abiit, duas Pythias victorias reportavit et Isthmiam: vide vs 26. Eandem tradit de hoc viro memoriam Pausanias L. VI C. IV 7: addit alteram Olympiam victoriam, alteram Isthmiam, duas Nemeaeas: verum hae certe, a Pindaro quum non memorentur, postea ei contigisse putandae sunt.

Quum autem Pindarus memoret duas ejus Pythias victorias, non potuerunt illae accidere posterius quam Pythiade XXVII et Pythiade XXVIII: quarum altera incidit in Olympiadis LXXV annum tertium, altera in Olympiadis LXXVI annum tertium. Igitur ante hos annos illum Himeram venisse statuendum est. Etenim et Pausanias idoneam causam fuisse dicit, cur in victo-

riis Ergoteles usus sit civitatis nomine Himerensis: et ex hoc carmine Pindari id apparet: cujus oratio tota in eo est, ut ostendat, Ergotelis victorias deberi ejus exsilio, laudemque ejus in obscuro futuram fuisse, nisi patria fuisset expulsus.

Fuit autem Himeram deducta colonia a Therone, tum Doriensium, tum aliorum, Olympiadis LXXVI anno primo: ut docet Diodorus Siculus L. XI C. 49: cf. Brunet de Presle, Recherches sur les etablissements des Grecs en Sicile, p. 140. Hujus ergo coloniae Ergoteles non fuit socius, sed prius Himeram venit, si ea computatio valet, quam sequimur. Quodsi quis tamen probabilius existimabit, coloniae illi Ergotelem interfuisse, debebit aut hanc Olympiam victoriam et reportatas ante eam Pythias victorias posterius factas putare quam computavimus, aut Pythias ambas victorias factas esse Pythiade XXVIII: ut fortasse altera fuerit stadii, altera diauli: similia Xenophonti Olympiae contigisse apparet Ol. XIII 50. Verum id e vs 26 hujus carminis vix effici posse videtur: nec probamus explicationem, ut una tantum Pythia victoria vs 26 significetur, sed eam suo loco memorabimus. Ergo adventum Ergotelis Himeram illa colonia priorem fuisse existimo. Etiam Pindarus non aliam causam, cur e patria abierit, memorat, praeter Cnosiorum seditionem.

Ut autem Ergoteles, e patria expulsus, Himeram potissimum migraverit, factum esse potest propter Theronis Agrigentini necessitudinem: qui quum ipse suam civitatem regeret, Himerae imperium filio Thrasydaeo permisisset, comperta Himerensium seditione multos eorum occidit: civitatem vero ea re civibus quum videret ex-

haustam, auxit eam civium numero ea colonia, quam significavimus. Olim vero Minos in persequendo Daedalo in Siciliam pervenisse ad ea loca, in quibus postea Agrigentum conditum est, ibique interiisse narratur: ossa vera ejus occulta diu ab ipso demum Therone Cretensibus sunt reddita: Diod. Sic. IV 79. Et certe Cnosii illa ossa recepisse putandi sunt, vetusta regis gloriosissimi civitas: Hom. Od. XIX 178

τοῖσι δ' ἐνὶ Κνωσσὸς μεγάλη πόλις· ἔνθα τε Μίνως
ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου δαριστής.

Cf. Strabo L. X pag. 476, Alm. 730. Tali igitur munere a Therone ornatis magna certe Cnosiis incessit amoris illius existimatio et cum illo necessitudo, nec mirandum est, ad illum potissimum Ergotelem profugum pervenisse.

Fuere autem ipsis Cretensibus praecipua currendi certamina: cf. Krause, die Gymnastik und Agonistik der Hellenen, B. I p. 352 et B II p. 689. Cujus rei tum alia exempla exstiterunt, tum in reditu Xenophontis, quum Trapezunte plus sexaginta Cretenses in curriculum descenderent: Xenoph. Anab. L. IV C. VIII 27. Atque ipsi Ergoteli in patria haud defuisse eam laudem, efficimus ex carminis vs 22. Verum illa ejus laus mansisset domestica et finibus patriae terminata nec per totam Graeciam celebranda et ad posteros perventura: post migrationem demum ad majora tetendit: cf. annotatio ad vs 23. Fortasse eum Thero, cui illae laudes fuere carissimae, vel incitasse vel etiam pecunia ad sumtus faciendos ornasse credendus est: fortasse etiam propter Theronis amicitiam eum hoc carmine donavit Pindarus. Quidquid est, triste exsiliu m Ergoteli laudem Isthmiam

Pythiam ac tandem Olympiam adepto laetitiae summae caussa fuit, in eoque cognitum est, multa praeter spem evenire mortalibus.

In qua sententia hoc carmine Poeta totus est. Idem tamen cum victoris felicitate et gloria novae patriae laudem et caritatem copulat. In quo aestimando respiciendum est, quod Pausanias victorias Ergotelis memorans tradidit, eum non tantum civitatem Himerae, verum etiam multa alia honorifica ibidem nactum esse: cf. annotatio ad vs 28.

Dolichus, quo nunc Olympiae victor Ergoteles fuit, fuit saepe repetitus per stadium cursus: in quo certamine non celeritas magis in movendo quam robur in perseverando requirebatur. De numero stadiorum, quo dolichodromi perfungi debuerint, varie traditur: quae varia testimonia recensentur apud Krausium, die Gymn. B. I p. 348. Qui minimum numerum tradunt, ponunt septem stadia, qui maximum, viginti quatuor. Fortasse ipse numerus varius in variis certaminibus fuit. Nos eam rem ita in medio relinquimus, ut tamen mentionem septem stadiorum haud minimam auctoritatem habere existimemus.

1. *Λίσσομαι.* Orditur carmen Poeta a precibus pro salute ejus civitatis, quae Ergotelem receperat et civem suum effecerat. Nulli autem tempori quum preces ejusmodi non videantur esse congruae, tamen quum enixius eas effundat memoretque diserte sortis civitatum vicissitudines, fortasse respicit ad eas clades, quae Himerae acciderant, a Therone punitae quidem graviter, sed post poenam continuo auctae civium novorum numero, qui,

ut memorat Diod. Sic. L. XI 49, cum veteribus incolis feliciter coaluerunt: ut jam civitas appellanda esset εὐρυσθενής. Brevi quidem postea Therone mortuo novae clades exstiterunt: Diod. 53: verum quum hoc tam breve carmen statim post victoriam Ergoteli videatur esse donatum, non causa est, cur ad illas Poeta respexisse videatur. Ceterum haud dissimilis exordii hujus forma est Nem. III.

4. τὶν γάρ. Cf. Horatius L. I Od. XXXV

O diva gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

7. πόλλ'. Non jungendum cum ψευδῆ, sed est adverbium, cui conjunctum est ἄνω: opponuntur iis τά δ' αὖ κάτω.

8. ψευδῆ. Falsa, i. e. falsas cogitationes, queis decipiunt semet ipsos. Si legeretur ψεύδη, fortasse ea scriptura minus sententiae conveniret, si ψεῦδος magis significat mendacium, quod quum proferatur, alii decipiantur. Num tamen haec distinctio certa sit, non satis scio.

8. τάμνοισαι. Secantes, sulcantes: ut spes quasi per mare falsarum irritarumque cogitationum vehatur navigii instar: velut Hom. Od. III 174 πέλαγος μέσον τέμνειν, Pind. Py. III 121 Ἰονίαν τέμνων θάλασσαν, Horat. L. I Od. I 14 nauta secet mare. Eodem pertinent adverbia ἄνω et κάτω, ut significetur spei inconstantia, velut navis in procelloso mari jactatae et rectore carentis. Atque ad eandem similitudinem pertinet μεταμώνια, si recte hoc vocabulum deducitur ab ἄνεμος, ut scriptum

sit pro μετανεμώλια: quod recte disputatum videtur in Dammii Lexico Hom. Pind. in voce.

10. σύμβολον. Ponitur neutro genere σύμβολον et masculino σύμβολος: utra forma hoc loco sit, non apparet. Signum haec vox simpliciter significat, ex quo aliquid conjiciatur, velut Aesch. Agam. 8 et 315 de luce lampadum ponitur, captionem Trojae nuntiantium. Refertur vero etiam ad divina omina, velut Xenoph. Mem. L. I C. I 3 μαντικὴν νομίζοντες οἰωνοῖς τε χρῶνται καὶ φήμαις καὶ συμβόλοις καὶ θυσίαις. Hoc quidem loco non ad omina et auguria, sed ad signa et indicia, quae quis mente assequatur, pertinet. Neque enim θεόθεν significat, omina, quae Dii ostendant, nullam habere fidem: nec certe ominum ejusmodi religionem contemsit Pindarus. Verum loci sententia haec est, non eam sapientiam a Diis datam esse mortalibus, ut futura rerum eventa praevidere possint: verbo εὗρεν additum est θεόθεν, quia quaevis alia sapientia, quae hominibus indita est, Diis accepta referenda est, quomodo Ol. XI 10

ἐκ θεοῦ δ' ἀνὴρ σοφαῖς ἀνθεῖ ἐσαεὶ πραπίδεσσιν.

13. φραδαί. Haec quoque vox vel simpliciter de indiciis dicitur, velut apud Aesch. Eum. 245 de sanguinis odore et guttis, quae matricidam proderent: vel etiam ad divina consilia refertur, velut Palladis φραδαῖς Cadmus dentes sparsit apud Eurip. Phoen. 667. Priorem hujus loci significationem esse satis demonstrasse videmur.

18. πεδάμειψαν. Cf. Py. III 168

Διὸς δὲ χάριν
ἐκ προτέρων μεταμει-
-ψάμενοι καμάτων.

20. ἐνδομάχας ἅτ' ἀλέκτωρ. Facilis enallage pro ἐνδο-

μάχου ἅτ' ἀλέκτορος. Galli comparatione utitur Aeschylus in significando bello civili, Eumen. 861

μηδ' ἐξελοῦσ' ὡς καρδίαν ἀλεκτόρων
ἐν τοῖς ἐμοῖς ἀστοῖσιν ἱδρύσῃς Ἄρη
ἐμφύλιόν τε καὶ πρὸς ἀλλήλους θρασύν.
θυραῖος ἔστω πόλεμος, οὐ μόλις παρών,
ἐν ᾧ τις ἔσται δεινὸς εὐκλείας ἔρως·
ἐνοικίου δ' ὄρνιθος οὐ λέγω μάχην.

Quae comparatio nititur similitudine duplici: nam et gallorum in pugna crudelitas significatur, et absentia gloriae, quum ἐνοικίου ὄρνιθος μάχη opponatur ei bello, in quo foret δεινὸς εὐκλείας ἔρως. Hoc autem Pindari loco nulla est crudelitatis significatio, sed ignobilitatis: nec tamen belli civilis cogitatio attingitur, sed currendi certamina Cnosiorum domestica significantur, in quibus ante exsilium Ergoteles fuerat versatus, eorumque obscuritas comparatur cum Isthmi, Pythonis, Pisae ingenti gloria, quibus locis Ergoteles jam non Cnosius sed Himeraeus in totius conspectu Graeciae summam nobiltatem repererat.

22. ἀκλεὴς τιμά. Recte Tafelius affert Eurip. Heracl. 620 ἀκλεὴς δόξα et Helen. 135 αἰσχρὸν κλέος. Recte idem κατεφυλλορόησε explicat defluxisset velut arborum folia.

23. εἰ μή. Aristoteles Polit. II C. VII de Creta: ξενηλασίας γὰρ τὸ πόῤῥω πεποίηκε. Ut non multum Graeciae rebus Cretenses se immiscuisse videantur. De causis vero, quibus Ergoteles incitatus fuisse videatur post exsilium ad majora certamina, monuimus in introductione. Atque in tabula Olympionicarum apud Krausium rara memoria Cretensium est: praeter Ergotelem memoratur Sotades, victor in dolicho Ol. 99 et 100. Philonidas

quidem Alexandri cursor fuit, habuitque statuam Olympiae, nec tamen ejus victoria memoratur. Damasiae vero et Satornili memoria est longe posterior. Nec in Pythiis, Nemeaeis vel Isthmiis, si a fabulosa Chrysothemidis memoria, qui carmen in vetustissimo ludo Pythio cantasse dicitur, Paus. L. X C. VII 2, et a Zosimi tibicinis laude recesseris, ullam reperio mentionem Cretensium. Quae quum ita sint, satis causae esse videtur, ut Cretenses fere abstinuisse a certaminibus Graeciae, et Ergotelem primum fuisse statuamus, cujus in currendo virtus extra patriam propagata fuerit.

26. δὶς. Hartungius ita hoc adverbium explicat, ut conjungatur cum ἐκ Πυθῶνος (vel ut ille legit ἐν Πυθῶνι) et cum Ἰσθμοῖ: ut igitur adjungantur ad Olympiam victoriae duae, quarum altera fuerit Pythia, altera Isthmia. Quae ratio mihi videtur difficilis nec conveniens Pindaro: sed δὶς ad ἐκ Πυθῶνος pertinet. Cf. Ol. VII 148, 149, 157, quibus locis singula adverbia δὶς, τετράκις, ἑξάκις non diversarum victoriarum conjunctionem sed earundem repetitionem significant.

26. ἐκ Πυθῶνος. Mutata constructio, si comparatur cum Ὀλυμπίᾳ et Ἰσθμοῖ. Στεφανωσάμενος ἐκ Πυθῶνος, reportata victrice corona e certamine Pythio. Cf. Ol. VIII 77.

27. Νυμφᾶν λουτρὰ. Calidos fontes ad Himeram memorat Strabo L. VI pag. 275, Alm. 421. Scholiastae Pindari tradunt, vel Minervam, vel Nymphas Herculi illa donasse balnea, agenti boves Geryonis, quae essent fomenta laboris. Diodorus Sic. L. IV C. 23 de illis itineribus Herculis memorat, affertque mythologorum narrationem, peragranti illi oram Siciliae Nymphas ad laborum itineris requiem balnea calida ἀνεῖναι, i. e. effe-

cisse ut ea provenirent: illa autem fuisse bina, altera Himerensia appellata, altera Egestana, secundum loca. Idem L. V C. 3 Nymphas id fecisse tradit gratum facientes Minervae, illam Siciliae partem sortitae.

27. βαστάζεις. Effers, laudibus tuis ornas. Similiter Isthm. III 14

χρὴ δὲ κωμάζοντ' ἀγαναῖς
χαρίτεσσι βαστάσαι.

In significatione verbi etiam conferri potest Consolatio ad Liviam Augustam 75

Tua nomina Druse levantur.

28. παρ'. Ὁμιλέω etiam hanc praepositionem habet apud Homerum, Od. XVIII 382.

28. οἰκείαις. Fortasse etiam donatio agrorum in honoribus fuit, quos Himerae nactus est Ergoteles. Ut autem exorsus Poeta est carmen precibus pro salute Himerae faciendis, sic finit ejusdem loci tali commemoratione, ut ipsis verbis novae victoris patriae caritas eluceat.

OLYMPIA XIII.

Xenophon Corinthius uno die duas Olympiae victorias reportavit, stadii et quinquertii, pater ejus Thessalus antea in iisdem ludis victor fuerat: multa praeterea uterque ac tota eorum gens ludorum praemia habuit. Xenophontis victoriae Olympiae a scholiasta recentiore ponuntur Ol. LXXIX, patris ejus a scholiasta vetere decem Olympiadibus prius. De Xenophonte consentiunt Diodorus Sic. L. XI C. 70, qui illum ea Olympiade

stadio vicisse memorat, et Dionysius Halic. L. IX p. 455, in edit. Sylb. 617, qui eam Olympiadem de illius victoria nominat: at in nominandis Olympiadibus illi commemorari solent, qui vicere stadio. Et numerus hic etiam repositus est apud Pausaniam, L. IV C. XXIV 2, ubi aliter erat scriptum in codicibus. Patris ejus Olympia victoria etiam cursu reportata fuit, nam vs 48 ἀΐγλα ποδῶν appellatur, sed ea aut alia Olympiade fuit, aut diauli fuit, vel dolichi, vel cursus in armis, vel cursus in pueris: quandoquidem apud Eusebium Olympiade LXVIII victor stadio refertur fuisse Isomachus Crotoniata, idemque Olympiade insequente. Et equidem fere crediderо, si tantum fuit temporis intervallum inter patris victoriam et filii, fuisse illam quidem a puero reportatam.

Orditur Poeta praeclarum carmen a victoris domo et clara patria laudanda: justitiae illa laudibus, ludorum victoriis, artium inventionibus bellisque conspicua: 1—33. Preces ad Jovem propter Corinthum et victorem, 34—41. Eximia victoris et quae sine exemplo erat Olympiae gloria et reliquae laudes ejus in ludis, 42—47. Laudes ludicrae patris ejus, 48—56, et aliorum gentis ejus, 57—66. Antiqua Corinthi gloria artium et bellorum, 67—72: Sisyphus, 72—74: Medea, 74—77: heroes in utraque acie in bello Trojano, 78—83: Glaucus, Corintho oriundus, 83—88. Bellerophontes, Palladis ope domitor Pegasi, victor Amazonum, Chimaerae, Solymorum: Pegasus in Olympo receptus: 89—132. Laudes innumerae, quas ex certaminibus nacti sunt Xenophontis tribules Oligaethidae: 133—162. Preces ad Jovem, 163—165.

Sisyphi quidem et Medeae fama non ab omni tabe apud scriptores et poetas antiquos immunis fuit, nec extrema fata Bellerophontae praeclaris convenientia fuerunt initiis: verum ita hoc carmen in celebrandis laudibus unice positum est, ut horum quoque praeconia contineat: totius carminis ratio quasi proponitur his verbis, vs 14,

ἔχω καλά τε Φράσαι.

1. *Τρισολυμπιονίκαν οἶκον, ἅμερον.* Tribus conspicuam victoriis Olympiis domum appellat, Xenophontis duabus, una patris ejus. Mitem civibus appellari nonnulli existimant, quia penes optimates potestas Corinthi fuerit, illa autem gens Xenophontis ex optimatibus quidem nec tamen superba erga populum. Verum et nomen civium et laus comitatis latius patere mihi videtur, et significari domus Xenophontis amans patriae civiumque commodis dedita et studiosa concordiae.

3. *θεράποντα.* Non sane servilem quandam significationem habet, sed amicitiae et auxilii: atque haec etiam apud Homerum significatio est, ubi is, qui est fidissimus socius in armis, hoc nomine indicatur: velut Il. XVI 464 *ἀγακλειτὸν Θρασυμήλον,*

ὅς ῥ' ἠὺς θεράπων Σαρπήδονος ἦεν ἄνακτος.

Similis autem est prorsus ei laudi, quam Pindarus Xenophonti tribuit, illa, quae ipsi Pindaro tribuitur Anthol. VII 35

Ἄρμενος ἦν ξείνοισιν ἀνὴρ ὅδε καὶ Φίλος ἀστοῖς,
Πίνδαρος, εὐΦώνων Πιερίδων πρόπολος.

3. *γνώσομαι.* Scholiasta vetus explicat *ἐς γνῶσιν ἄξω καὶ ὑμνήσω.* Eamque interpretationem Heynius sequitur,

aliique. Afferunt exempla Ol. VI 161, de quo tum disputavimus: etiam Ol. VII 152, ὁ ἐν Ἄργει χαλκὸς ἔγνω μιν: neque ipsa sententia foret absurda, praemiis certaminum victorem inclaruisse: verumtamen ibi quoque propriam verbi significationem retinendam esse credo: illa praemia deque iis certatio cognoverant illum, quasi experta sunt, qualis ille esset. Similiter Hieronem, qui ἀγλαΐζεται μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ, Ol. I 22, ἀδύλογοι λύραι μολπαί τε γινώσκοντι: cognoverunt illum citharae sibi deditum peritumque sui: Ol. VI 163. Apud ceteros scriptores, quantum scio, verbum γινώσκειν significationem illustrandi vel cognoscendum faciendi nunquam habet: nec his Pindari locis, mea quidem sententia. Jam vero γνώσομαι Κόρινθον ita interpretor, adibo et visitabo Corinthum: poetice quidem, quomodo Ol. I 16 se ad Hieronem venire, 178 ad montem Cronium dicit, et saepe ejusmodi sententia utitur, qua carminibus aliquem celebrans se ei adesse nunciet. Similiter cognoscere apud Latinos praesentem advenire significat, velut Propert. L. I El. VI 1 Hadriae mare noscere, 13

An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas:

Tib. L. III El. V 23

Elysios olim liceat cognoscere campos.

Quamquam ergo cognoscere et adire Corinthum Pindari more non aliud significat nisi carmine eam amplecti et celebrare, tamen ipsam verbi significationem demonstrandam esse putavimus.

4. ὀλβίαν. De divitiarum opulentia hic quidem dici videtur: conf. vs 10: tamen alia etiam significatione a Poeta poni solet, velut Ol. VII 17. Et ἀγλαόκουρον civium multitudine et robore et decore eam civitatem

conspicuam esse indicat, κούρων ea latiore significatione, qua ab Homero totus exercitus saepe dicitur κοῦροι Ἀχαιῶν, et apud ipsum Pindarum παῖδες Ἑλλάνων, ὅσοι Τρῳάνδ' ἔβαν, Ist. IV 62.

5. πρόθυρον. Ipse Isthmus vocatur Ποσειδάνιον τέμενος Nem. VI 71. Hic autem magnifico epitheto Corinthus; ante Isthmum sita, ejus fani vestibulum. Non assentior Boeckhio, quia Olympia redeuntibus ante Isthmum sita sit, ita appellari existimanti. Nulla urbs vel propior Isthmo vel cum ea conjunctior fuit: neque ulli igitur hoc epitheton magis erat conveniens.

6. Εὐνομία ναίει. Conf. Ol. VIII 28, X 17. Hesiod. Theog. 901

δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας,
Εὐνομίην τε Δίκην τε καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν.

Certe nec Corinthi nec in aliis magnis urbibus Graeciae Horas templis suis cultuque caruisse credibile est: verumtamen non de eo cultu magis et adoratione quam de civitatis laudibus deque ejus legum et justitiae et concordiae ac pacis studio Pindarus haec videtur dicere, ut ipsas virtutes Dearum nominibus significet. In scholio recentiore epitheton βάθρον πολίων ad Δίκα refertur. Quod si ita fieri oporteret, ταμίαι πλούτου et παῖδες Θέμιτος poterant dici Δίκα et Εἰράνα, exclusa Eunomia. Recte procedit oratio: Eunomia ejusque sorores: quae tres sunt civitatum fundamentum: tum adjiciuntur sororum nomina, et adduntur epitheta, ad cunctas pariter referenda.

8. ὁμότροποι. Significatione transitiva: quae concordiam donat: pariter atque ἀσφαλής, quae tutam civitatem efficit.

9. *ταμίαι.* Quae distribuunt vel potius donant. Cf. Ol. XIV 14.

12. *ἐθέλοντι.* In scholiis refertur vel ad Corinthios, vel ad Horas: et sic quoque est in iis explicatio duplex: vel Deas id effecturas esse: vel Pindarum precari ut efficiant. Verum est universa laudatio. Dixit quidem, Horas habitare Corinthi: ergo rebus iis, quas Horae donant, non destituuntur Corinthii sed vel in primis gaudent. Verum jam universa sententia dictae sunt non *βάθρον Κορίνθου*, sed *πολίων*, non *ταμίαι Κορινθίοις πλούτου*, sed *ἀνδράσι.* Ita pergit, eas Deas velle, id est solere arcere superbiam. Nam *ἐθέλειν* pariter ac *φιλεῖν* eam saepe significationem habet: Herod. VII 9 *ἀπὸ πείρης πάντα ἀνθρώποισι φιλέει γίνεσθαι*: VII 157 *τῷ εὖ βουλευθέντι πρήγματι τελευτὴ χρηστὴ ἐθέλει ἐπιγίνεσθαι.*

11. *Ὕβριν Κόρου ματέρα.* Theognis 155 *τίκτει τοι κόρος ὕβριν*: quem versum scholiasta vetus Homero tribuit. Oraculum Bacidis de victoria Salaminia apud Herodotum VIII 157

δῖα Δίκη σβέσσει κρατερὸν Κόρον Ὕβριος υἱόν.

Verum nec ampla sane nec docta disputatione opus est, ut intelligamus, vicissim Pindari sententiam aeque veram esse.

14. *ἔχω.* Laudibus Horarum expositis, denuo et impensius et copiosius Corinthi gloriam, quam praedicare instituerat, celebraturus, insitum sibi suum nec ullo modo opprimendum studium praeclara quaevis canendi ipse laudat, ideoque se ad nobilissimae civitatis decora ornanda impelli dicit. *Τὸ συγγενὲς ἦθος* est Pindari, non Corinthiorum, id quod nonnulli voluerunt, significari existimantes Corinthios natura sua ad praeclara factos peperisse praeclara, quae jam praedicaturus sit.

17. *παῖδες Ἀλάτα.* Vetus scholiasta tradit, Aleten fuisse filium Hippotae, filii Phylantis, filii Antiochi, filii Herculis, eumque ductorem fuissè Heraclidarum et coloniae Corinthi conditorem: secundum Didymum vero non conditorem sed regem fuisse Corinthi anno post Doriensium adventum trigesimo. Pausanias, L. II C. IV 3, eandem genealogiam referens, quae in scholio est, Doridan et Hyanthidan e stirpe Ornytionis, qui fuisset filius minor Sisyphi et frater Glauci, tum regnasse Corinthi tradit, quum Aletes dux Doriensium adveniret: illos autem Aletae permisisse regnum ibique mansisse, plebem vero a Doriensibus victam urbe expulsam esse. Aletem ejusque posteros regnasse per quinque aetates: post eos Bacchidem ejusque stirpem per alias aetates quinque. Filios Aletae Pindarus hoc loco appellans totam Corinthiorum civitatem amplectitur.

Jam quae modo, vs 6, videbantur esse virtutes indutae Dearum personis, nunc sunt Deae munificae, quae multa Corinthiis victoriarum decora, multa inventa sapientiae tribuerint. Atque in adjectivo *πολυάνθεμοι* vestigium est ejus sententiae, qua Horae per anni tempora naturam ad maturitatem suam perducerent et flores ad laetum vigorem. Quae significatio maturitatis et pulcritudinis mansit in adjectivo *ὡραῖος*. Hesiodus eo loco, quem ad vs 6 attulimus, Irenen appellat *τεθαλυῖαν*. Idem, Op. 75, Deorum singulorum in ornanda Pandora munera praedicans:

ἀμφὶ δὲ τήνγε
Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι.

In vetere scholio etiam explicatio est *ἀνδρείους ὑμᾶς ἤνεγκεν χρόνος καὶ συνετοὺς καὶ σοφούς.* Videtur Horarum nomen

ita positum putasse, ut Ol. IV 3 Διὸς ὧραι ἑλισσόμεναι.

20. ὑπερελθόντων. Scholiasta vetus: σχῆμά ἐστιν ἀντὶ τοῦ ὑπερελθοῦσιν. Nec pauca hujusmodi constructionis exempla reperiuntur, velut Xenoph. Anab. L. V C. VIII 13 οἷς σώζεσθαι μὲν ἤρκει ἐν τάξει τε ἰόντων καὶ μαχομένων. Verumtamen aliter existimo, nec ita hoc verbum ad ὔμμιν referendum esse, perinde ac si omnes Corinthii victorias reportassent: dividitur ita sententia, ut in dativo ὔμμιν laus proponatur data Corinthiis, quum multi eorum in certaminibus vicissent, multi praeclara sapienter invenissent. Verum pro tripartita sententia, prima universa, altera laudis ludicrae, tertia sapientiae, bipartitam Poeta ita posuit, ut prima genitivo ὑπερελθόντων divideretur.

24. ἅπαν δ' εὑρόντος ἔργον. Cujusvis artis et operis, quamvis usus latius patuit et ad alios quoque pertinuit, tamen laus inventori primo tribuenda est.

25. Dithyrambum apud Corinthios primum apparuisse, testis multorum instar est Herodotus L. I 23, Ἀρίονα τὸν Μηθυμναῖον, ἐόντα κιθαρῳδὸν τῶν τότε ἐόντων οὐδενὸς δεύτερον, καὶ διθύραμβον πρῶτον ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν ποιήσαντά τε καὶ ὀνομάσαντα καὶ διδάξαντα ἐν Κορίνθῳ. Post Arionem dithyrambi auctorem fuisse Lasum Hermionensem dicit scholiasta vetus. Memoria etiam est in scholiis veteribus, Pindarum non constare sibi, sed in Hyporchematibus dithyrambi originem tribuisse Naxo, et in suorum dithyramborum primo Thebis.

26. Χάριτες. Scripsimus pag. 358, ad Ol. V 10, quartam aram Olympiae fuisse Baccho et Gratiis. Quod tamen huc non referendum esse existimo. Haud male scholiasta: τὸ σπουδαιότατον τῶν Διονύσου διθυράμβων. Gra-

tiae Bacchi significant summam venustatem ejus poesis, quae huic Deo consecrata esset.

26. *βουλάτᾳ*. Scholiasta vetus: *ἤτοι διὰ τὸ βοῦν εἶναι τῷ νικήσαντι ἔπαθλον· ἱερὸς γὰρ τοῦ Διονύσου· ἢ διὰ τὸ ἐλαύνεσθαι αὐτὸν διὰ βοῆς καὶ λέγεσθαι.* Omnino nusquam, quantum scio, praeterquam in hoc scholio, bos sacer dicitur fuisse Baccho, sed semper caper:

Vite caper morsa Bacchi mactandus ad aras: Ovid. Metam. XV 114:

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, et veteres ineunt proscenia ludi: Virg. Geo. II 380:

Voveram dulces epulas et album
Libero caprum: Horat. L. III Od. VIII 6:

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum: Ep. ad Pis. 220. Bentlejus, in dissertatione de origine Tragoediae, addita editioni Epistolarum Phalaridis, pag. 170, hoc quidem scholiastae testimonium affert; et praeterea epigramma e Tzetzae Chiliad. I 24

ἓξ ἐπὶ πεντήκοντα Σιμωνίδη ἤραο νίκας
καὶ τρίποδας.

Verum id vitiosum esse dicit, et pro *νίκας* legendum *ταύρους*, propterea quod ita scriptum sit epigramma, antea non editum, in Anthologia Ms. Et non expressum quidem esse, quo genere certaminis Simonides vicerit: sed tamen se credere malle, eum vicisse dithyrambis. Ex qua Bentleji disputatione duo omnino apparent: alterum, cognovisse illum scholiastae Pindari testimonium de praemio dithyrambi: alterum, ipsum credere maluisse, Simonidem visisse dithyrambis. Et posterius quidem fortasse magis ad Bentlejum quam ad Pindarum vel dithy-

rambum pertinet: et tripodes tamen a Bentlejō negliguntur. Boeckhius affert praeterea Plutarchum, Quaest. Gr. p. 298: ubi memoratur hymnus mulierum Elearum: ἐλθεῖν ἥρω Διόνυσε ἅλιον ἐς ναὸν ἁγνὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων: quum deinceps bis accinant ἄξιε ταῦρε. Nihil quidem quod ad dithyrambum pertineat ibi commemoratur, sed Boeckhius sibi concedi postulat, ea ad dithyrambum pertinuisse. Affert tandem Athenaeum L. X p. 456: memoratur ibi breve carmen Simonidis, difficillimum intellectu et instar aenigmatis, cujus sunt extrema haec

Διωνύσοιο ἄνακτος
βούφονον οὐκ ἐθέλουσι τιθηνεῖσθαι θεράποντα.

Et in multis variisque explicationibus proponitur etiam haec, nonnullos putasse, εἶναι τὸν βούφονον καὶ τὸν Διονύσου θεράποντα τὸν διθύραμβον. Quae quidem explicatio videtur esse congrua Pindari scholiastae testimonio. Nam quamquam ipsa valde incerta est, tamen quandam continet ejusmodi sententiam, dithyrambum fuisse cum caede bovis. Nos quidem in interpretatione Latina adhuc illam alteram, quae in scholio est, Pindari explicationem secuti sumus, quae βοῆς significationem habet: sed propter difficultatem rem in medio relinquimus.

27. ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα. Nem. IX 51 de ducibus adversus Thebas

χαλκέοις ὅπλοισιν ἱππεί-
οις τε σὺν ἔντεσιν.

Eustath. ad Il. XXIV 277 ἔντεα παρὰ Πινδάρῳ τὰ ἅρματα. Apud Aesch. Pers. 194 est ἔντη δίφρου. Noster hic Pindari locus dici creditur ab aliis de inventa arte domandi equos: ab aliis magis de apta et commoda frenorum dimensione et ratione quam de ipso equorum

moderamine. Potest etiam dictum existimari de apta curruum structura. Verum in scholiis alia commemoratur praeterea explicatio, quae fuerit Didymi: rotam nempe figulinam significari: et ex Theophrasti Libro de Inventionibus affertur Hyperbii Corinthii memoria, inventoris rotae figulinae. Plinius, Hist. Nat. L. VII C. 57: „Figlinas invenit Coroebes Atheniensis, in iis orbem Anacharsis Scythes, ut alii, Hyperbius Corinthius." Et vasa Corinthia omnino clarissima fuisse notum est. Ergo, quamquam mihi hujus loci explicatio videtur incerta, tamen Didymi explicationem non contemnendam et fortasse probandam existimo. Etiam postea laudata fuerunt Thericlea pocula, Thericlis Corinthii primum opera et de ejus nomine nominata: Athen. L. XI p. 470.

30. *βασιλῆα δίδυμον.* Tertium Corinthiorum inventum, aquila duplex in templorum fastigiis. Omnino *ἀετοὶ* dicta est quaedam pars fastigiorum in templis: Pausan. L. II C. VII 3 memorat sepulcri *ἐπίθημα κατὰ τοὺς ἀετοὺς μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς*: et C. XI 8, de templo Aesculapii Titanae prope Sicyonem: *τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς Ἡρακλῆς καὶ Νῖκαι πρὸς τοῖς πέρασίν εἰσιν.* Suidas: *ἀετὸς οἰκοδομημάτων, τὸ κατὰ τὸν ὄροφον, ὅ τινες ἀέτωμα καλοῦσιν*: et: *ἀετώματα, τὰ τῶν ἱερῶν στεγάσματα, πτέρυγας καὶ ἀετοὺς καλοῦσιν.* Similia sunt in scholiis ad hunc locum, et Didymum duplicia aetomata explicasse anteriora et posteriora. Omnino facili negotio plura loca adferre potuero: verum quae fuerit propria Corinthiorum in hac inventione laus, nondum ita mihi apparuit, ut eam ostendere et concinne demonstrare possim. Universam autem eorum laudem significavit Strabo L. VIII p. 382, Alm. 586: *ἡ πόλις τῶν Κορινθίων μεγάλη τε καὶ*

πλούσιος διαπαντὸς ὑπῆρξεν, ἀνδρῶν τε ηὐπόρηκεν ἀγαθῶν εἴς τε τὰ πολιτικὰ καὶ εἰς τὰς τέχνας τὰς δημιουργικάς· μάλιστα γὰρ καὶ ἐνταῦθα καὶ ἐν Σικυῶνι ηὐξήθη γραφική τε καὶ πλαστικὴ καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη δημιουργία.

31. Μοῖσ'. Poetam Corinthium Eumolpum commemorat scholiasta vetus, qui scripserit de reditu Graecorum, et Aesonem, quem memoraverit Simonides. Pro Eumolpi nomine legendum existimat Boeckhius Eumelum, cujus est mentio in scholio ad vs 74: ex hoc ibi versus afferuntur de avita Medeae origine, non de rebus ejusmodi, quae ad reditum Graecorum pertineant: praeterea non appellatur poeta Corinthius, sed Εὔμηλός τις ποιητὴς ἱστορικός: id τις non significat, illum non fuisse Corinthium, verum quum in iis versibus ostendatur, quomodo Medeae origo cum Corintho conjuncta fuerit, fortasse eum scholiasta, si Corinthius esset, non poetam quendam, sed poetam Corinthium appellasset. Hae ergo duae causae sunt, cur mihi non continuo persuadeam, pro Eumolpo legendum esse Eumelum. At Boeckhius id demonstratum esse dicit in Hermanni libro de Eumeli et Epicharmi Musis fluvialibus: quem librum inspicere non potui.

32. Ἄρης. Apud Herodotum, L. VIII 94, fama narratur Atheniensium, Adimantum et Corinthios fugisse, quum proelium ad Salamina committeretur, et post reportatam victoriam ad sociorum classem rediisse: ipsos vero Corinthios dicere, se in primis proelio navali interfuisse: et reliquam Graeciam Corinthiis assentiri. Dicit scholiasta vetus Pindari, a Corinthiis quinquaginta de Xerxis navibus submersas esse, et a Theopompo etiam mulierum Corinthiarum preces narrari admotas Veneri, ut viris suis amorem injiceret pugnandi pro Graecia ad-

versus Medos, et fuisse etiam tum in templo inscriptum de ea re carmen elegiacum.

32. ἀνθεῖ. Py. I 66

ὧν κλέος ἄνθησεν αἰχμᾶς.

Eurip. Hec. 1186 Ἕκτορός τ' ἤνθει δόρυ.

Thucyd. I 19 ἐγένετο Ἀθηναίοις ἐς τόνδε τὸν πόλεμον ἡ ἰδία παρασκευὴ μείζων ἢ ὡς τὰ κράτιστά ποτε μετὰ ἀκραιφνοῦς τῆς ξυμμαχίας ἤνθησαν.

33. οὐλίαις. Cf. Ol. IX 116.

34. εὐρὺ ἀνάσσων Ὀλυμπίας. Detur mihi propter certas causas venia quaedàm argutiarum. Olympia suos terminos habuit: quid hoc est εὐρὺ ἀνάσσειν Ὀλυμπίας? Tu, qui late regnas et regni sedem habes Olympiae. Et tamen quasi apud Corinthios Jovem appellans illum hoc appellat titulo. Conf. Ol. V 39, VIII 12.

35. ἀφθόνητος ἔπεσσιν. Non invidus, i. e. propitius sis meis verbis et perpetuo Corinthi laudibus et felicitati faveas. Conf. De Pind. Sap. p. 36. Heynius χρόνον ἅπαντα ad sequentia, τόνδε λαὸν κ. τ. λ, pertinere existimat: mihi non ita videtur.

37. νέμων. Gubernare. Herod. I 59 Pisistratus ἐπὶ τοῖς κατεστεῶσι ἔνεμε τὴν πόλιν. Ἀβλαβῆ νέμειν, ita gubernare ut incolumis sit: conf. Ol. I 111 ἑτοῖμον γάμον σχεθέμεν.

38. εὔθυνε δαίμονος οὖρον. A navigatione desumta similitudo. Hom. Il. I 479

τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον ἵει ἑκάεργος Ἀπόλλων.

Pind. Py. I 67

πρώτα χάρις ἐς πλόον,
ἀρχομένοις πομπαῖον ἐλθεῖν οὖρον.

Δαίμων est sors, velut Py. III 193, Py. V 165.

39. *οἱ*. Saepenumero dativus est apud Pindarum pro genitivo: velut Ol. IX 24. Verumtamen hoc loco crediderо eum cum *δέξαι* conjungendum esse: quod verbum frequenter dativum habet ejus, a quo quis aliquid accipiat. Hom. Il. I 596

παιδὸς ἐδέξατο χειρὶ κύπελλον, pro *ἐκ χερός*.

Il. II 186 *δέξατό οἱ σκῆπτρον πατρώϊον*.

Il XV 87 *Θέμιστι δὲ καλλιπαρῄῳ δέκτο δέπας*.

Od. XVI 40 *οἱ ἐδέξατο χάλκεον ἔγχος*.

Ita quoque hoc loco scriptum videtur.

39. *στεφάνων ἐγκώμιον τεθμόν*. Similiter Ol. VII 161 *ὕμνου τεθμὸν Ὀλυμπιονίκαν*. Laudes debitae et festa carmina significantur. Heynius mavult pompam significari, quia adjectum sit, *τὸν ἄγει πεδίων ἐκ Πίσας*. Verum Poeta oratione poetica utitur: saepe jam de ejusmodi rebus sententiam nostram proposuimus: laudum carminumque causa Pisae parta fuit: id significari videtur.

41. *πεντάθλῳ ἅμα σταδίου*. Stadii victoriae quantus honos fuerit, satis ex eo intelligitur, quod Olympiades numeratae fuerunt secundum illorum victorum nomina: et quinquertii profecto propter certaminis difficultatem laus eximia fuit.

43. *ἀντεβόλησεν*. Cum dativo Hom. Il. XI 809

ἔνθα οἱ Εὐρύπυλος βεβλημένος ἀντεβόλησε,

Od. XI 415 *ἤδη μὲν πολέων ἀνδρῶν φόνῳ ἀντεβόλησας*.
Cum genitivo Od. IV 547 *σὺ δέ κεν τάφου ἀντιβολήσαις*,
Hesiod. Op. 784 *γάμου ἀντιβολῆσαι*.

44. *οὐκ — οὔπω*. Haud intelligo, quae causa quosdam commentatores permoveat, ut hoc Graece dici negent, alios, ut *ἅπαξ λεγόμενον* esse, id est exemplo carere dicant.

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς κρατερὸς Λυκόοργος
δὴν ἦν, Hom. Il. VI 130.

Xenoph. Anab. L. I C. VIII 20: *καὶ οὐδὲν μέντοι οὐδὲ τοῦτον παθεῖν ἔφασαν· οὐδὲ ἄλλος δὲ τῶν Ἑλλήνων ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ ἔπαθεν οὐδεὶς οὐδέν.* Et magno numero hujus generis exempla sunt. An fortasse offenderunt in adjecto *πω*? Atqui studio multo pervenire fortasse eo possis, ut quid bene Graece dicatur aliquo modo scias: verum quodam ingenii impetu scire quid non bene Graecum esse possit, videtur id quidem difficilius. Quomodo tandem, si *οὐδὲ οὐδὲ*, si *οὐδὲ οὐδὲν* bene Graece dicitur, aliquis quasi ex augurio quodam, quod ipse solus intelligat, mortales cunctos vatis instar doceat, *οὐκ οὔπω* non convenire sermoni Graeco? At tamen hoc ipsum etiam est apud Sophoclem, Trachin. 158: Deianira: Hercules abiens reliquit nunc mihi

ξυνθήμαθ' ἁμοὶ πρόσθεν οὐκ ἔτλη ποτὲ
πολλοὺς ἀγῶνας ἐξιὼν οὔπω φράσαι.

45. *πλόκοι σελίνων.* Pindari aetate apii praemia fuisse in Isthmiis certo constat: Ist. II 22 *Δωρίων στεφάνωμα σελίνων*: Ne. IV 143 *θάλησε Κορινθίοις σελίνοις.* Scholiasta recentior ad hunc locum monet, non tantum pineam, verum etiam apii coronam in Isthmiis fuisse, ut Nemeae: sed Nemeae apii viridis, in Isthmo sicci apii: scholiasta vetus jam tum in Isthmiis fuisse apium quomodo in Nemeis, nam utrumque certamen fuisse sepulcrale, et apium sacrum Diis inferis: ex quo effici videtur, secundum ejus sententiam ante apium in Isthmiis fuisse pinum. At Lucianus, Anach. c. 9, in Isthmiis pinum, Nemeae apium commemorat. De quibus rebus disputabimus alias.

47. *οὐκ ἀντιξοεῖ.* Simpliciter significare videtur, Ne-

meam non repugnare ejus laudi, sed consentire, quum ibi quoque victor exstiterit: fuisse illam quoque victoriam duplicem, mihi non apparere videtur. Herod. VIII 119 *γνώμη ἀντίξοος*, sententia contraria.

48. Pater Xenophontis Thessalus Olympiae victor stadio et diaulo. *Ἀνακεῖσθαι* ipsa gloria dicitur, quae semel reportata maneat. Conf. Ol. XII 8. Respici ad statuam Thessalo positam nonnulli credunt: quibus non adsentior, nec ulla de ea mentio est.

53. *ἐν Ἀθάναισι*. De ludis Atheniensium scripsimus ad Ol. VII 151 p. 432, et ad Ol. IX 133 p. 486.

54. *ἔργα*. Certamina. Conf. ad Ol. VII 154, p. 433, et ad Ol. IX 127 p. 485. Verum quomodo *χάρμαι* Ol. IX 129 dicuntur victoriae, sic hoc loco *ἔργα*, eoque magis, quum adjungatur *κάλλιστα*. Id autem sane Pindari audaci orationi convenit, quod non tantum certaminum nomine victorias, verum ipsas victoriarum coronas significat, impositas victoris capiti. Victoriae tres a scholiasta vetere dicuntur diauli, cursus in armis, et stadii.

54. *ποδαρκής*. Heynius existimat, velocem diem significari, communi temporis epitheto. Boeckhius diem certamini pedum destinatum, *ἵνα ταχυτὰς ποδῶν ἐρίζεται*, Ol. I. 154. Utraque explicatio est etiam in scholiis veteribus: verum etiam tertia, *ἡ παρασχοῦσα αὐτῷ τὸ τάχος διαρκές*, quae mihi magis ad veritatem videtur accedere. Significari credo diem celeritate pedum conspicuum, et ipsius victoris laudem transferri ad diem, quo laus ea parta sit.

56. *ἑλλώτια*. Victorias has scholiasta vetus Xenophonti tribuit: ergo fortasse etiam Atticas, vs 53. Sed

utraeque sunt Thessali. Verbum expletur ex praecedentibus. Festa autem Hellotia fuere Corinthia, sacra Minervae: quorum tres causae traduntur in veteribus scholiis: Minervam ἑλοῦσαν Pegasum frenis injectis dedisse Bellerophontae: aut cognomen esse Minervae ἀπὸ τοῦ ἐν Μαραθῶνι ἕλους, ἔνθα ἵδρυται: aut, capta a Doriensibus Corintho, duas virgines, Eurytionen et Hellotida, in templum Minervae confugisse, et eo templo ab hostibus incenso conflagrasse: postea expiandi causa templum Minervae Hellotidis et festa instituta esse. Fuisse cum eo festo lampadum portationem conjunctam.

56. Ποσειδᾶνος τεθμοῖσιν. Isthmia significari quivis intelligit. Ceterum Isthmiae Xenophontis victoriae memoratae sunt vs 46: Thessali Pythiae 50: Xenophontis Nemeaeae 47: mox rursus Pythiae laudantur 61, Nemeaeae 62: et utraeque magno numero: versu 62 etiam aliae plurimae significari videntur. Atque haec quoque mihi causa fuit, cur hoc loco Terpsiae et Eritimi nomina legenda putaverim; quum certe tanto laudes numero non paucorum fuisse putandae sint. Dicitur, ut in annotatione critica scripsimus, in scholiis veteribus Ptoeodorus fuisse pater Thessali, avus Xenophontis, Terpsias frater Ptoeodori, Eritimus Terpsiae filius. Quae si ita sunt, vs 58 ipse quoque Thessalus significari debuit: Thessalo laudes tum ibi datae sunt cum patre Ptoeodoro, suntque datae Terpsiae et Eritimo. Neque id ipsum Pindari orationi incongruum est, ut is, quem modo laudavit, sit hujus quoque laudis particeps. Et praesertim quum addatur comparatio adjectivo μακρότεραι, id non eo pertinet, ut laus aliorum magis diuturna esse dicatur quam laus Thessali, verum ut Isthmiae laudes in

maximis Graeciae ludis dicantur longinquiorem habere famam quam domestica suisque finibus terminata Hellotia. Futuri forma ἕψονται est significationis universae: conf. Ol. XI 14 ibique annotatio.

61. ἀριστεύσατε. Compellat Thessalum, eosque qui praeterea modo memorati sunt.

62. δηρίομαι κ. τ. λ. Cum multis contendere velim, non superabuntur hi a multis victoriarum numero. Verum ut accurate numerum eum dicam, id facere non potero, quomodo calculorum ad mare numerum non definivero. Et subsistam in iis laudibus celebrandis: est cujusvis rei aliquando modus: quem scire, id est optimam opportunitatem sequi.

67. ἕπεται. Conveniens est. Conf. Ol. II 39.

69. σταλείς. Adveniens. Soph. Aj. 328

τούτων γὰρ οὕνεκ' ἐστάλην.

Eurip. Andr. 251 οὕπερ οὕνεκ' ἐστάλην.

69. ἴδιος ἐν κοινῷ. Scholiasta vetus: οὐχ ὡς ἀλλότριός τις ἀλλ' ὡς ἴδιος καὶ κοινὸς ἐν ὑμῖν: et alter: οὐκ ἀλλότριός τις ἀλλ' οἰκεῖος, οὐκ ἴδιος δὲ κατὰ γένος. Fortasse bene: Corinthi laudes ita amans, ut eas ad se quoque pertinere existimet. Adhuc tamen credo Poetam significare, se voluntate sua et marte suo advenire et in re communi versari. Ita haec cum sequentibus pariter et praecedentibus cohaerent. Studio suo obsequens laudes domus victoris praedicavit: suo ingenio modum ei praedicationi statuit: nam Κοινὸν videtur esse id, quod sit victori ejusque patriae commune: quomodo Ol. IX 15: quapropter victoris ejusque domus jam laude proposita ad antiquam pergit civitatis gloriam: et jam initio carminis utramque conjunxit. Dividit autem consilii solertiam et

fortitudinem militiae: prioris generis sunt Sisyphus et Medea: alterius heroes in bello Trojano.

72. Σίσυφον. Sisypho haud fuit eximia innocentiae fama. Philoctetes Neoptolemo, apud Soph. 1310

τὴν φύσιν δ' ἔδειξας ὦ τέκνον
ἐξ ἧς ἔβλαστες, οὐχὶ Σισύφου πατρός.

Aeschines, de Falsa Legatione, Demostheni convicians, illum Sisyphum appellat: pag. (stereot. 103.) Steph. 33. Et novimus poenas ejus in inferis, Hom. Od. XI 592, ubi Tityo et Tantalo adjungitur. Et apud eundem, Il. VI 153, ille est κέρδιστος ἀνδρῶν: quod ipsum tamen an opprobrii causa dictum sit, dubitandum videtur: certe πολύμητις Ὀδυσσεύς, Il. I 311, et πολυμήχανος, II 173, et Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος, 169, et

εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά, III 203,

non vituperatur propter eam solertiam. Ipsumque vocabulum est significationis laudabilis, Soph. Aj. 743 τὸ κέρδιστον γνώμης: utilissima sententia. Et apud Pindarum quidem praeter hunc locum una tantum mentio est Sisyphi, Fragm. Ist. apud Heynium et Boeckhium I,

Αἰολίδαν δὲ Σίσυφον κέκλοντο
ᾧ παιδὶ τηλέφαντον ὄρσαι
γέρας φθιμένῳ Μελικέρτᾳ.

In cujus fragmenti scriptura Boeckhius quaedam mutavit: sed de ea nunc disputare extra propositum est. Verum id omnino pertinere videtur ad illa, quae traduntur in scholiis ad Isthmia, Nereides, in quibus etiam Ino fuerit nomine Leucothea, apparuisse Sisypho eumque adhortatas esse ut in Melicertae sive Palaemonis honorem Isthmios ludos institueret. Quam rem etiam attigit narratione Pausanias L. II C. I 3. Atque ipsa poena,

quam luit in inferis, secundum Corinthiorum famam, ut indicare videtur Pausanias, L. II C. V 1, ejusmodi causam habuit, quae non cum ignominia sed cum Corinthiorum utilitate conjuncta esset: nam rapta a Jove Aegina Asopi filia, Sisyphum, quum id sciret, aperire Asopo noluisse, nisi sibi daret aquam in Acrocorintho: datum esse ab Asopo fontem, at indicii poenas in inferis dare Sisyphum. Igitur aut hujusmodi laudabiliorem de Sisypho apud Corinthios famam ob mentem Poeta habuit, aut aliquo modo deteriora silendo oppressit. Certe solertiam ejus et sapientiam evehit. Et evehuntur ejus sapientia et πολυφροσύναι a Theognide, 522 seqq.

73. πυκνότατον παλάμαις ὡς θεόν. Similia de Ulysse epitheta modo ex Homero protulimus.

74. πατρὸς ἀντία. Conf. Ol. I 59.

75. Μήδειαν. In hac quoque Pindarus deteriora siluit. Et certe laudat illam propterea quod Argonautas servaverit. Sed quomodo illius laus ad Corinthum potissimum pertinuerit, cujus regi regisque filiae cladem intulit, et fuit ibi omnino ejus immanis atrocitas? Argutius fuerit existimare, culpam eam a Poeta in Jasonem esse transductam: omnino opprimuntur haec silentio: sed tamen aliqua causa esse debuit, cur Medea, servatrix Graecorum juventutis, in Corinthiorum ponatur gloria. Verum est apud Pausaniam L. II C. III 8 ex Eumelo poeta memoria, et eadem in scholio vetere: est ea hujusmodi: Helii et Antiopes fuisse filios Aeeten et Aloeum: divisisse Helium regionem, et dedisse partem Asopiam Aloeo, Ephyraeam Aeetae: hunc vero propter oraculum abiisse in Colchidem, et tradidisse partem suam Buno Mercurii filio servandam, donec vel ipse vel aliquis e suis posteris

rediret. Adduntur plura, verum ita quidem Medea vindicatur Corinthiorum antiquitati. Et altera in vetere scholio fama est, famem Corinthi a Medea expiatam fuisse, sacris factis Cereri Nymphisque Lemniis. Verum certum testimonium exstat, apud Corinthios bonam aliquam et laudabilem de Medea mansisse famam: nam, quod ad vs 32 scripsimus, in bello Persico mulieres Corinthias preces fecisse, ut viris suis fortitudo injiceretur, idque, ut est in scholio, narratum esse a Theopompo: fecerunt eas preces in templo Veneris, quod a Medea dicebatur esse conditum monente Junone: et fuerunt etiam eae preces in illo templo inscriptae. Etiam in arca Cypseli fuit imago Medeae in throno, adstantibus Jasone et Venere, et inscriptio

Μήδειαν Ἰάσων γαμέει, κέλεται δ' Ἀφροδίτα·

Paus. L. V C. XVIII 1. Ut ibi quidem nec cum Jasonis nec cum Medeae fama quidquam conjunctum fuerit, quod non esset laudabile.

78. τὰ δὲ καί. Adverbialiter haec posita sunt et copulant sequentia cum praecedentibus: conf. Ol. IX 143.

79. ἐδόκησαν. Py. VI 39 Antilochus Nestoris filius ἐδόκησεν ὕπατος ἔμμεν πρὸς ἀρετάν.

80. ἐπ' ἀμφότερα. Propter armorum societatem Corinthiis et Trojanis dicitur in scholiis Simonidis fuisse verbum, Corinthiis non irasci Ilium: similia sunt apud Aristotelem, Rhet. I C. VI, Σιμωνίδου ποιήσαντος, Κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον.

80. μαχᾶν τέμνειν τέλος. Scholiasta vetus: διατεμεῖν καὶ πέρας ἐπιτιθέναι τῇ μάχῃ. Eurip. Heracl. 753 κίνδυνον πολιῷ τεμεῖν σιδάρῳ. Vix ab aliis rebus hanc locutionem desumtam existimo: id quod Heynius putat, a

judiciis vel ab arando vel a navigando vel a cursu eam derivari, et simile esse secare mare, secare viam. Omnino quodque periculum in bello et cujusvis proelii exitus deciditur et resecatur gladio et manuum robore: est igitur propria his Pindari et Euripidis locis verbi significatio, praesertim si attendas, non scriptum esse *πολέμου τέλος*, quamquam neque id absurdum foret, sed *μαχᾶν τέλος*, quod non summa totius belli est, sed singulorum proeliorum eventus.

81. *τοὶ μὲν γένει.* Corinthios cum Mycenaeis duxit Agamemnon:

> *οἳ δὲ Μυκήνας εἶχον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον*
> *ἀφνειόν τε Κόρινθον.* Hom. Il. II 569.

Conf. Pausan. L. II C. IV 2. Memoratur in proeliis, Hom. Il. XIII 663,

> *Εὐχήνωρ Πολυΐδου μάντιος υἱὸς,*
> *ἀφνειός τ' ἀγαθός τε, Κορινθόθι τ' οἰκία ναίων.*

82. *κομίζοντες.* Nem. VI 41 *Μενέλᾳ δάμαρτα κομίσαι.*

83. *ἐκ Λυκίας.* Nota sunt cuivis Homerica, Il. VI 144 seqq. At ibi Glaucus est filius Hippolochi, filii Bellerophontae, filii Glauci, filii Sisyphi. Mutavit aliquo modo genealogiam Pindarus et, praetermisso Hippolocho, Glaucum facit filium Bellerophontae.

85. *τοῖσι.* Scholiastae veteres Lycios vel Trojanos significari existimant. Quibus minime adsentior, sed Danaos significari tum ex ipsa Pindari oratione efficio, quum hi modo commemorati sint, tum hoc etiam convenit Homero, apud quem Glaucus suam originem Diomedi praedicat. Ipsum vocabulum *ἐξεύχετο* convenit Glauci apud Homerum narrationi 211

ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι.
Et dixerat: *πολλοὶ δέ μιν ἄνδρες ἴσασιν*, 151.

86. *ἄστεϊ Πειράνας.* Pirenen celeberrimum fuisse Corinthi fontem notum est: fuerunt qui dicerent ejus aquam fuisse illam, quam ab Asopo Sisyphus accepisset pro indicii praemio: Paus. L. II C. V 1.

87. *βαθὺν.* Ol. VII 97 *κλέος βαθύ*: X 10 *βαθὺ χρέος.* Hoc loco significari videtur fundus dives, et proprie is, qui propter altitudinem radices frugum admittat et alimenta habeat. Conf. Aesch. S. c. Th. 306 *τὰν βαθύχθον' αἶαν.*

89. *ὀφιώδεος υἱὸν Γοργόνος Πάγασον.* Hesiodus de Medusa, Theog. 280

τῆς δ' ὅτε δὴ Περσεὺς κεφαλὴν ἀπεδειροτόμησεν,
ἔκθορε Χρυσάωρ τε μέγας καὶ Πήγασος ἵππος.

92. *χρυσάμπυκα.* Schol. vet. ad Ol. V 15: *ἄμπυξ γὰρ κατὰ Θετταλοὺς ὁ χαλινός.*

96. *Αἰολίδα βασιλεῦ.* Propter Aeolum patrem Sisyphi.

97. *φίλτρον ἵππειον.* Haud inficete hoc Scholiasta dicit *πικρότερον τῇ μεταφορᾷ.* Verumtamen omnino mitem suumque fecit freno illo Bellerophontes Pegasum, atque etiam vs 121 id appellatur *φάρμακον πραΰ.*

98. *Δαμαίῳ πατρί.* Pendet dativus et a *θύων* et a *δεῖξον.* Epitheton autem Neptuni apertam habet ab equis domandis significationem, sed non alio loco, quantum scio, reperitur. Ceterum Scholiastae dicunt, Bellerophonten fuisse habitum filium Glauci, quomodo Herculem Amphitryonis, sed revera fuisse Neptuni. Hyginus, Fab. 157, illum appellat filium Neptuni et Eurynomes. Nec alia de ea re, quantum scio, exstat memoria. At Medusae, secundum Hesiod. Theog. 278,

παρελέξατο Κυανοχαίτης,
ἐν μαλακῷ λειμῶνι καὶ ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι.

Paulo aliter apud Ovidium, Metam. IV 797, dicitur
Hanc pelagi rector templo vitiasse Minervae.

Fortasse igitur Damaeus non Bellerophontae pater sed Pegasi significatur. Etiam scholiasta ad Arati Phoen. 205 Pegasum ex Neptuno procreatum fuisse dicit: conf. ann. ad 131.

99. ταῦρον ἀργᾶντα. Apud Homerum, Od. III 6, Nestor immolat

ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.

Ideo Scholiasta vetus ἀργᾶντα nonvult esse album, sed in grege conspicuum et magnitudine splendentem. Non satis idoneam hujus explicationis rationem esse credo, et significari colorem. Taurorum Neptuno immolatio etiam proponitur apud Platonem, in Critia, p. 119 d, e.

102. ἀνὰ δ' ἔπαλτ'. Nonnulli volunt ἐπᾶλτ'. Et est ἐπάλμενος Hom. Od. XIV 220, Hesiod. Theog. 855: ἐπιάλμενος Hom. Od. XXIV 319: μετάλμενος Il. V 336. Sed credo esse verbi πάλλομαι. Convenit Hom. Il. VIII 85 ἀλγήσας δ' ἀνέπαλτο: Aesch. Choe. 410 πέπαλται μοι κέαρ: maxime 524, Clytaemnestra

ἔκ τ' ὀνειράτων
καὶ νυκτιπλάγκτων δειμάτων πεπαλμένη.

Est ergo pro ἐπέπαλτο. Similiter ὑπέδεκτο Hesiod. Sc. H. 442: δέκτο Hom. Il. XV 87. Non ergo tantum prosiliendi celeritas verum etiam agitatio per somnium injecta significatur.

103. τέρας. Illud ipsum frenum aureum.

104. εὗρεν. Non ab exordio rem Poeta narraverat, sed postquam mediam proposuit, totam ab initio decla-

rat. Coerani filius vates, quem Polyidum fuisse dicunt scholiastae, Bellerophontae suaserat, ut ad aram Minervae cubaret: ibi hic illud somnium viderat et frenum repererat: nunc laetus adit eum et rei eventum exponit.

105. δεῖξεν. Fortasse hoc vocabulo Poeta utitur, quia etiam aureum frenum Coeranidae Bellerophontes ostenderit. Sed praestare credo, tantum exponendi et narrandi significationem verbo tribuere.

111. δαμασίφρονα. Ergone equis sunt mentes? At certe hic id vocabulum exquisite positum est et dignum Pegaso, non sine Minervae ope domando, et admisso postea ad Jovis praesepia.

114. καρταίποδ'. Scholiasta vetus, qui tamen habet κραταίποδα, hoc vocabulum Delphicis proprium fuisse dicit. Apud Homerum Il. XIX 361 θώρηκες κραταιγύαλοι.

114. αὐερύῃ. Recte scholiasta vetus αὐερύῃ ἀντὶ τοῦ σφάζῃ, θύῃ, ἀπὸ τοῦ παρακολουθοῦντος, ὡς Ὅμηρος: Il. I 459

αὐέρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν.

115. βωμόν. Memorat Pausanias, L. IV C. II 1, Minervae Chalinitidis templum Corinthi, et causam adjicit, quod illa Bellerophonten adjuverit et ei Pegasum tradiderit injecto freno. Ipsius quoque Bellerophontae fuit fanum in luco Craneo ante Corinthum: Paus. L. II C. II 4.

118. κτίσιν. In scholiis explicatur per πρᾶξιν: et in scholio recentiore κοῦφαν eo ita refertur, ut explicetur adverbialiter, explet Deorum potentia eam κούφως τουτέστιν εὐχερῶς. In significatione vocabuli κτίσιν acquiesco: fortasse aliquid ei adjunctum est, quod ad conamen

pertineat: aliud hujusmodi exemplum ignoro. Sed κούφαν pertinere existimo ad ἐλπίδα. Παρ' ὅρκον, eum eventum, quem jurejurando fieri non posse affirmaveris: παρ' ἐλπίδα κούφαν, quem ne levi quidem spe exspectavisses fieri potuisse. Quam autem in notis criticis ex Aldina scripturam memoravi, fortasse ejus vestigium est in schol. vetere: δύναται δὲ θεὸς τελέσαι καὶ τὸ μεθ' ὅρκου ἀδύνατον νομιζόμενον εἰς περίκτησιν οἷον εὐχερές.

123. Ἐνόπλια. Vel ad χαλκωθεὶς pertinet: aeratis armis indutus: vel ad ἔπαιζεν. Utrumque agnoscitur in scholio vetere, atque hoc etiam explicatur ἐνόπλιον ὄρχησιν ἐποιεῖτο. Et de saltatione quidem vix cogitaveris: sed omnino mihi videtur significari lusus in armis, ejus, qui multa passus fuerat frustra equum domare quum conaretur, et qui jam, re nondum perfecta, sed tamen spe inventa, laetus omnia vati et consiliatori narraverat.

125. αἰθέρος ψυχρᾶς. Ad Hyperboreorum loca vel ad Scythiam Amazones referuntur.

126. ἐρήμου. Non commune epitheton esse credo, sed significari a terra remotiora et coelo propiora loca: Ovid. Fast. L. I 494

Volucri vacuo quidquid in orbe patet:

Pind. Ol. I 10 ἐρήμας δι' αἰθέρος. Significatur ergo Bellerophontes Pegaso evectus fuisse in aethera vastum terrestribusque superiorem angustiis ac terminis.

129. Solymi in confiniis ponuntur Lyciae et Pamphyliae. Apud Homerum autem alio ordine certamina narrantur, Chimaerae, Solymorum, Amazonum.

130. διασωπάσομαι. Novimus tristes Bellerophontae exitus, inventos superbia, quum coelum petere voluisset: quorum attigit partim Homerus, L. VI 200

· ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.

At noster hic quidem illa tristia silet: verum Ist. VII 63

ὅ τε πτεροεὶς ἔρριψε Πάγασος
δεσπόταν ἐθέλοντ' ἐς οὐρανοῦ σταθμοὺς
ἐλθεῖν.

Horat. L. IV Od. XI 26

Exemplum grave praebet ales
Pegasus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem.

131. τὸν δ' ἐν Οὐλύμπῳ.· Hesiod. Theog. 284

χὠ μὲν ἀποπτάμενος, προλιπὼν χθόνα μητέρα μήλων
ἵκετ' ἐς ἀθανάτους· Ζηνὸς δ' ἐν δώμασι ναίει,
βροντήν τε στεροπήν τε φέρων Διὶ μητιόεντι.

Apud Aratum, Phaen. 205, Pegasus in astris est:

ἀλλ' ἄρα οἱ καὶ κρατὶ πέλωρ ἐπελήλαται Ἵππος.

Ibique scholiasta annotat, equum Pegasum esse consecratum, vel quod in astris repositus sit, vel quod Neptunus illum procreaverit, vel quod, secundum Hesiodum, fulmen et tonitru nutriat, τρέφει.

131. φάτναι. Refertur huc a scholiastis Arat. Dios. 160, σκέπτεο καὶ φάτνην.

133. Jam ad ipsum carminis propositum se revocat, prorsus similiter atque Ol. II 160. Ῥόμβος etiam turbo dicitur, verum hic est, ut credo, ὁρμή, impetus, volatus: velut Ist. IV 80 αἰετοῦ ῥόμβος: praesertim quum addatur εὐθύς. Negatio οὐ tantum ad παρὰ σκοπὸν pertinet, non ad ῥόμβον.

135. βέλεα καρτύνειν. Regere, dirigere, collineare. Convenit prorsus Ulysses, apud Soph. Phil. 1059, ubi tamen genitivus additur, Philoctetae arcum sagittasque habens, ipsum autem valere jubens:

πάρεστι μὲν
Τεῦκρος παρ' ἡμῖν τήνδ' ἐπιστήμην ἔχων,
ἐγώ θ', ὅς οἶμαι σοῦ κάκιον οὐδὲν ἂν
τούτων κρατύνειν μηδ' ἐπιθύνειν χερί.

Et aliquo modo Apoll. Rh. Arg. II 332

εὖ καρτύναντες ἑαῖς ἐνὶ χερσὶν ἐρετμά.

137. Ὀλιγαιθίδαισιν. Scholiasta vetus: Ὀλιγαιθίδαι καλοῦνται κατὰ Φρατρίαν, ὡς τὸ ἀνέκαθεν ὄντες ἀπὸ Ὀλιγαίθου τινὸς ἀρχαίου.

137. ἐπίκουρος. Aliter quodammodo Musis atque Oligaethidis. Conf. ad Ol. IX 124. Ἑκών et ad ἔβαν et ad ἐπίκουρος adjungitur. Conf. 69 ἴδιος.

138. Ἰσθμοῖ τά τ' ἐν Νεμέᾳ. Sententia quidem haud dfficilis intellectu est, se venire ministrum Musarum et adjutorem Oligaethidis, laudes eorum in Isthmo et Nemeae reportatas celebraturum: sed oratio sane perquam abrupta est.

140. ἔξορκος. Alio exemplo, quantum scio, hoc vocabulum caret: et schol. vet. ἰδίως ἔφη ἔξορκος. Argutius in altero scholio vetere est explicatio ἐξαίρετος ὅρκος. De sententia Cf. Ol. II 166, VI 34, XI 6.

141. ἑξηκοντάκι ἀμφοτέρωθεν. Et in Isthmo et Nemeae. Sed nimis subtiliter scholiasta vetus utrasque victorias computat fuisse numero triginta. Credibile esse videtur, a Poeta numerum rotundum positum esse.

143. βοὰ κάρυκος. A quibusdam hoc habetur subjectum verbi ἐπέσσεται, et ἔξορκος pro adjectivo, et hoc modo explicant: adstipulabitur mihi vera jurata vox praeconis sexagies utrimque audita: scripto de conjectura δή pro γάρ. Melius, ut credo, scholiasta vetus: λείπει τὸ Ἀνεκήρυξεν αὐτούς. Adjectivum ἀδύγλωσσος ad

victoriae laetitiam pertinere videtur: ἐσλὸς non ad singularem quandam significationem, sed quasi more epico ad honorandum munus officiumque praeconis.

144. Olympias Thessali et Xenophontis victorias priore carminis parte celebravit: sperat plures, sive ut eae ipsi Xenophonti, sive ut aliis ex ejus tribu contingant: verum eas, quamvis speret, Deorum permittit potentiae. Conf. Nägelsbach, NachHomerische Theologie, p. 224.

148. δαίμων γενέθλιος. Fortuna gentis, genti propitia. Cf. vs. 38. Convenit quodammodo αἰὼν μόρσιμος, Ol. II. 18.

148. ἕρποι. Conf. Nem. IV 69 χρόνος ἕρπων πεπρωμέναν τελέσει. Maxime vero Nem. VII 100 ὁ δὲ λοιπὸς εὔφρων ποτὶ χρόνος ἕρποι.

149. Ἐνυαλίῳ. Quaeritur, quare praeter Jovem Marti potissimum futuras Oligaethidarum laudes permittat. Scholiastae dicunt, vel Martem habitum fuisse Olympiae regendae socium, quia pater fuisset Oenomai, ex Harpina Asopi filia procreati: vel Xenophontem non ludicra tantum verum etiam militari laude fuisse conspicuum. Alii Martem Corinthiis impensius religioni fuisse: et propterea illum in arca Cypseli fuisse positum, cognomine Enyalium: Paus. L. V. C. XVIII 1. Verum in ea arca tantus fuit imaginum numerus, ut in illo numero etiam Martem fuissse haud singularem ejus Dei religionem fuisse significet. Mihi quidem certa ratio non apparet: sed tamen eorum sententia mihi maxime probabilis videtur, qui ab Oligaethidis Martem impensa cura adoratum fuisse arbitrantur: nam his potissimum laudes Poeta optat, et memorat eorum δαίμονα γενέθλιον.

149. *ἐκδώσομεν πράσσειν.* Ol. VI 54 *δόμεν πορσαίνειν.*

150. *τὰ δ' ἐπ' ὀφρύϊ.* Est oratio abrupta valde et incitata. Ex *μαρτυρήσει* vs 153 in singulis, usque ad *Εὐβοία*, aliquod verbum ejusdem significationis et testimonii supplendum est. Et in *τὰ δ'* et *ὅσα*, inque reliquis nominibus expleas laudes et victorias reportatas.

150. *ἐπ' ὀφρύϊ Παρνασσίᾳ.* Delphicas victorias jam memoravit vs 60.

151. *ἐν Ἄργεϊ.* Conf. Ol. VII 152, IX 132, ibique annotationes.

152. *ἐν Θήβαις.* Conf. Ol. VII 154, IX 149, et ann.

153. *Ἀρκάσιν.* Cf. Ol. IX 143, et ann.

153. *ἀνάσσων βωμὸς ἄναξ.* Si propter situm et altitudinem haec epitheta addita sunt: memorat omnino Pausanias, L. VIII C. XXXVIII 5, in montis summo jugo esse tumulum, Jovis Lycaei aram, ex quo tota fere Peloponnesus prospici possit. De ludis ibi factis cf. Ol. VII 153, IX 143.

155. *Πελλάνα.* Cf. Ol. VII 156, IX 146.

155. *Σικυών.* Sicyone Pythia fuisse testatur scholiasta vetus. Videbimus de iis ad Nem. IX.

156. *Μέγαρ'.* Ol. VII 157.

156. *Αἰακιδᾶν εὐερκὲς ἄλσος.* Fuit in Aegina celeberrimo urbis loco Aeaceum, septum quadratum lapide candido: Paus. L. II C. XXIX 6. Id quidam significari existimant. Praestat ipsam insulam significari putare. Ipsa Eleusis similiter appellatur *Δάματρος ἄλσος*, Ist. I 81. Appellat eam Poeta *εὐερκέα*, quomodo Ol. VIII 34 *ἁλιερκέα*, quum fuerit marinis saxis cautibusque munitissima: Paus. ibidem 5. Memorantur a scholiasta praeter Aeacea, quae ad Ol. VII 156 retulimus, etiam

Delphinia, eademque in scholiis ad Py. VIII 81, Apollini sacra, et ad Nem. V 81, et in his quidem eadem fuisse dicuntur atque Hydrophoria. In scholio ad Py. VIII 114 etiam Heraea. Hoc quidem loco, propter insulae epitheton, Aeacea significari haud improbabile est.

157. Ἐλευσίς. Demetria vel Eleusinia appellantur a scholiasta. Conf. Ol. IX 150.

157. Μαραθών. Cf. ad Ol. VII 151, IX 134.

158. ὑπ' Αἴτνας. Nomen urbis in uno vetere scholio significari creditur, ibique festa Nemea fuisse dicuntur. Verum est manifesto nomen montis. Tamen quum memorentur πόλιες, potuit in iis etiam haberi Aetna, quae fuerat ante tres Olympiadas condita: vide ad Ol. I pag. 257. Praeterea vero memorantur in scholiis Isthmia, Syracusis acta propter Corinthi cognationem, ibique Xenophon vicisse dicitur.

159. Εὔβοια. Memorantur a scholiastis Geraestia, Geraesti acta et sacra Neptuno, et Amarynthia, acta Amarynthi.

162. μάσσον' ἢ ὡς ἰδέμεν. Praecesserunt verba εὑρεῖν et ἐρευνᾶν: est fere ac si Poeta undique collectas laudes Oligaethidarum et ob oculos positas nunciet propter numerum ingentem non posse comprehendi visu. Conf. vs 65.

164. Ζεῦ τέλειε. In libris fortasse etiam scriptum fuisse τελείαν apparere videtur e vetere scholio τελεστικωτάτην αἰδῶ et in Urat. D τελείαν αἰδῶ. Aesch. Agam. 973, H. 895

Ζεῦ Ζεῦ τέλειε τὰς ἐμὰς εὐχὰς τέλει.

Eum. 28 τέλειον ὕψιστον Δία. Hunc ergo invocat Poeta. Et est in scholiis explicatio fere hujusmodi, quasi pro se preces faciat, ut detur sibi felicem carminis exitum

invenire. Verum sunt preces pro gente Oligaethidarum. Κοῦφοι πόδες habent agilitatis et facilitatis significationem: celeritatis quidem Soph. Ant. 224 κοῦφον ἐξάρας πόδα. Conf. ad Ol. XIV 24. Ἐκνεῦσαι autem est quasi e mari fluctibusque malorum evadere apud Eurip. Hipp. 470

ἐς δὲ τὴν τύχην
πεσοῦσ᾽ ὅσην σὺ, πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκεῖς;

et 817

κακῶν δ᾽ ὁ τλάμων πέλαγος εἰσορῶ
τοσοῦτον, ὥστε μήποτ᾽ ἐκνεῦσαι πάλιν.

Age vero: num Oligaethidae calamitatibus circumventi? Imo tanta laudum maximarum ornati abundantia, ut viderentur obrui posse, nec laetitia per temperantiam frui. Atque hoc precatur, ut cognoscant se ipsos, cujus sortis sint, nec obruti sed evecti per tranquillitatem et continentiam optima demum felicitatis dulcedine perfruantur: hoc est illud ἄκρον ἑλεῖν ἁσυχᾷ τε νέμεσθαι: Py. XI 84. Multum sane interest inter nostram sententiam et Boeckhium, pedum levitatem ad victores ideo referentem, quia currendo praestiterint et praemia nacti sint. Sed recte Nägelsbach, NachHom. p. 213, ostendit, quomodo pii Graeci precibus suis non sortem tantum suam verum etiam animum commendasse Diis videantur, in hac quoque re non suis viribus freti.

OLYMPIA XIV.

Secundum scholiastas haec victoria reportata est Olympiade LXXVI: quod ita sequendum existimo, ut ea

diversitas scripturae, quam in inscriptione esse in notis criticis monuimus, non magnam dubitandi causam facere videatur.

Vicit Asopichus Cleodami filius in puerorum certamine currendi: Hartungius nescio quo errore interpretatur Faustkämpfer-knaben. Fuere currendi et luctandi puerorum instituta certamina Olympiade XXXVII, ut tradit Pausanias L. V C. VIII 3.

Victoris patria Orchomenus antiquitate, opulentia, gloria, in Graecis nobilissima fuit, ibique olim gentis clarissimae Minyarum fuerunt incunabula. Singularem et quendam proprium illa civitas Gratiarum cultum habuit. Et has quidem toto fere carmine Poeta compellat.

Orbum patre victorem fuisse apparet e postrema parte carminis. Scriptum id videtur continuo post victoriam.

1. Exordio huic, in precibus posito, non dissimile est Ol. XII et Nem. III.

1. Καφισίων ὑδάτων. De Cephiso vid. Strabo L. IX p. 424, Alm. 649. Fluens per Phocidem et Boeotiam et in lacum Copaidem influens, jam antiquitus a poetis celebratus fuit. Homerus Κηφισὸν δῖον et ejus fontes prope Lilaeam commemorat Il. II 522: et in hymno Homerico in Apollinem 240 habentur haec

Κηφισσὸν καλλιρέεθρον,
ὅστε Λιλαίηθεν προχέει καλλίῤῥοον ὕδωρ.

Et apud Strabonem loco laudato Hesiodus de hoc flumine

ὅς παρὰ Πανοπῖδα Γλήκωνά τ' ἐρυμνὴν
καὶ δὲ δι' Ὀρχομενοῦ εἰλιγμένος εἶσι δράκων ὥς.

1. λαχοῖσαι. Hartungius, ut in annotatione critica memoravimus, scripturam de conjectura mutavit, causam

afferens, Gratias templum ad Cephisum non sorte nec hereditate accepisse, sed datum iis esse ab Eteocle. Queis argutiis si argutias opponere velim, dicam, secundum Ol. VII 102 Deos sorte inter se divisisse terrae regiones: tum igitur sorte Gratiis obvenisse Orchomenum: nec ἕδραν vs 3 templum solum significat, sed totum locum Orchomeni, cujus mox appellantur reginae. Verum ea missa facio. Non sors proprie dicta hic significatur: latior est significatio, quomodo etiam Latina vocabula sors et sortiri significant aliquid alicui obtigisse. Nec tantum de eo, quod universo Deorum generi obtigit, de sacris, ponitur apud Homerum Il. XXIV 70

τὸ γὰρ λάχομεν γέρας ἡμεῖς:

Conf. Hesiod. Theog. 422, 424:

verum etiam de ipsa loci tutela ac possessione divina apud nostrum Ol. IX 24

ἂν (Ὀπόεντα) Θέμις θυγάτηρ τέ οἱ
σώτειρα λέλογχεν
μεγαλόδοξος Εὐνομία.

Nem. XI 1

Παῖ Ῥέας ἅ τε Πρυτανεῖα λέλογχας Ἑστία.

Plat. Tim. 23 d τῆς θεοῦ (Παλλάδος), ἡ τήν τε ὑμετέραν πόλιν καὶ τήνδ' ἔλαχε. Idem, in Critia 109 a: θεοὶ ἅπασαν γῆν ποτε κατὰ τοὺς τόπους ἐλάγχανον: 113 c: τὴν νῆσον Ποσειδῶν τὴν Ἀτλαντίδα λαχών. In his tot locis, et plura multo addi poterant, si cuncta emendanda et sananda sunt, una consolatio est, esse praeter Hartungium etiam alios conjecturarum fabricatores.

Construunt autem scholiastae cum hoc verbo genitivum ὑδάτων: et sane apud Homerum Il. XXIV 76 est

ὥς κεν Ἀχιλλεὺς
δώρων ἐκ Πριάμοιο λάχῃ:

et apud nostrum Isth. VIII 137

Δωρίων ἔλαχε σελίνων:

verum tamen adsentior Tafelio, accusativum ἕδραν et cum λαχοῖσαι et cum ναίετε conjungenti: de hujusmodi participiis monuimus ad Ol. VII 2. Quaedam similitudo constructionis est Ol. VI 56

λάχε τ' Ἀλφεὸν οἰκεῖν.

Sed de verbo satis multa dicta sunto, rem explicemus.

Quippe scholiasta vetus ad h. l. dicit, Eteoclum Cephisi filium primum sacra fecisse Gratiis, idemque tradunt scholiasta ad Theocritum Idyll. XVI 104 et Pausanias L. IX C. XXXV 1, non tamen Eteoclum vocantes sed Eteoclem: et Pausanias memorat, hunc Eteoclem, Andrei et Euippae filium, populari tamen fama Cephisi filium habitum fuisse, C. XXXIV 5, et apud Orchomenios nullum antiquius templum fuisse quam Gratiarum, C. XXXVIII 1. Eandem memoriam attingit Strabo L. IX pag. 414, Alm. 635. Scholiasta Pindari etiam ad Hesiodum provocat. Theocritus vero ipse loco laudato Gratias appellat

ὦ Ἐτεόκλειοι θύγατρες θεαὶ, αἳ Μινύειον
Ὀρχομενὸν φιλέοισαι.

Verum quam celebrata laus ejus cultus fuerit, quo Orchomeni Gratiae adoratae fuerunt, quantumque ei Pindarus tribuerit, non melius intelligitur quam ex ipso Pindaro, qui Py. XII 45 non nominans Orchomenum sed significans appellat eam

καλλίχορον πόλιν Χαρίτων
Καφισίδος ἐν τεμένει.

E serioribus poetis exempla Gratiarum Orchomeniarum memoriam testantia affert haud pauca Tafelius, velut Stratonis in Anthol. Palat. XII 181

ὡς ἀγαθαὶ μὲν
αἱ Χάριτες, τρισσαὶ δ' εἰσὶ κατ' Ὀρχομενόν.

2. καλλίπωλον. Thebis olim interfecto Clymeno Orchomenio, filius Clymeni Erginus Thebanis bellum intulit et victis vectigal imposuit, quo postea ab Hercule liberati sunt: quod narrant Pausanias L. IX C. XXXVII 2 et scholiasta ad Theocritum XVI 104. Attingit eam rem scholiasta vetus ad hunc Pindari locum, verum Erginum dicit equo vicisse, et inde hoc Orchomeni epitheton repetit. Quid sibi ille equus Ergini velit, vix intelligo: sed si intelligerem, non crederem, Poetam Thebanum in Orchomenio victore canendo veteris renovasse Orchomeni ac Thebarum discordiae memoriam. Appellantur autem Orchomenii πλήξιπποι in epigrammate apud Pausaniam L. IX C. XXXVIII 3, et ipsae Thebae apud nostrum Ol. VI 145: quo epitheto significatur laus bellica. Sed καλλίπωλον hoc loco dici existimo Orchomenum propter pascuorum praestantiam.

3. λιπαρᾶς. Propria significatio videtur esse ejus pinguedinis, quae quasi est olei. Ut apud Homerum λίπ' ἐλαίῳ, Il. X 577 et saepe. Sed cum illa pinguedine nitor est conjunctus. Idcirco bestiae valentes eo epitheto appellantur apud Xenophontem, Cyrop. L. I C. IV 11, et canis perpastus nitere dicitur apud Phaedrum L. III Fab. VII 4, nec dissimiliter Horatius de se ipse L. I Ep. IV 15

Me pinguem et nitidum bene curata cute:

subtilius vero L. II Od. XII 19 appellat nitidas vir-

gines. De agro autem dicitur apud Callimachum Del. 164 νῆσος λιπαρή τε καὶ εὔβοτος, et apud Virgilium Georg. I 64 pingue solum. Opulentiae ac divitiarum significatione dicitur pinguis Phrygia ab Horatio L. II Od. XII 22. Hoc autem Pindari loco significatur splendor divitiarum: nam quanta jam pridem Orchomeni fama fuerit, intelligitur ex oratione Achillis, Il. IX 381, recusantis dona ab Agamemnone oblata

οὐδ' ὅσ' ἐς Ὀρχομενὸν ποτινίσσεται οὐδ' ὅσα Θήβας .
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται.

Etiam Strabo, L. IX, p. 414, Alm. 635, hoc affirmat, usus eo ipso Homeri testimonio. Et Pausanias L. IX C. XXXIV 5 Orchomenum dicit in Graecis si quam aliam civitatem gloriosam. Dixi splendorem divitiarum significari, non nudas divitias: quantam enim splendoris et gloriae hoc vocabulum habuerit significationem, vide Ol. VIII 108, ubi ipsius Olympiae victoriae appellatur κόσμος λιπαρός. In urbibus ornandis hoc epitheto Pindarus utitur, in Marathone Ol. XIII 157, Thebis Py. II 6, Athenis Nem. IV 29, Isth. II 30.

4. Ὀρχομενοῦ. Utroque genere poni annotat scholiasta recentior: hoc loco videmus esse femininum, apud Theocritum XVI 104 est masculinum, et apud Homerum, ut mox videbimus.

5. παλαιγόνων Μινυᾶν. Homerus Il. II 511 et Od. XI 283 appellat Ὀρχομενὸν Μινύειον. Strabo L. IX pag. 414, Alm. 635, famam memorat, Orchomeno profectos colonos venisse Iolcum, ideoque Argonautas appellatos fuisse Minyas. Pindarus quidem Argonautis hoc nomen tribuit Py. IV 122. Similia sunt apud Herodotum IV 145. Scholiastae ad h. l. dicunt, Minyam Thessalum

fuisse gentis auctorem, filium Callirrhoae Oceaninae et Neptuni. Pausanias L. IX C. XXXVI 3 ad Minyam quidem gentis nomen refert, sed illum non filium verum nepotem Neptuni fuisse.

Non autem Poeta hoc versu significat veterem curam quam olim Minyarum Gratiae habuerint: sed Minyarum nomine significantur Orchomenii, qui nunc maxime essent, παλαίγονοι dicti propter vetustatem originis: atque hos curari dicit a Gratiis. Nec recte vertit Hartungius lange gewesner Minyer: melius Thierschius der Minyer altem Stamm.

7. σὺν γὰρ ὑμῖν. Prorsus similia sunt Ol. IX 40

κεῖναι (Χάριτες) γὰρ ὤπασαν
τὰ τέρπν᾽· ἀγαθοὶ δὲ
καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον᾽ ἄνδρες
ἐγένοντο.

Cf Ol. II 90, Nem. IX 129.

11. σεμνᾶν. Cf Eurip. Hel. 1341 σεμναὶ Χάριτες.

12. κοιρανέοντι χοροὺς καὶ δαῖτας. Scholiasta vetus accusativum dicit poni pro genitivo: nec alium locum adhuc novi, quo hoc verbum accusativum habeat. Cum genitivo ponitur Aesch. Pers. 214 τῆσδε κοιρανεῖ χθονός. Male vero in altero vetere scholio δαῖτες dicuntur esse εὐωχίαι καὶ θυσίαι et similiter in recentiore. Saepe quinem δαιτὸς nomine significantur sacra, Diis a mortalibus praebita, velut Hom. Il. I 424, XXIV 69, Pind. Ol. VIII 69. Verumtamen ipsorum etiam Deorum in Olympo habita convivia eo nomine dicuntur: velut Hom Il. I 575: atque haec nunc significantur. Similiter χοροὶ non sunt, quos homines Diis faciunt, ut est in scholio recentiori, sed quos ipsi Dii agunt: velut apud Eurip. Hel. 1345 placant Cererem Gratiae

Μοῦσαί θ' ὕμνοισι χορῶν,

et ipsae Gratiae dicuntur apud eundem χοροποιοὶ Phoen. 788.

14. ταμίαι. Conf. Ol. XIII 9. Haud dissimiliter Poeta se ipse appellat ταμίαν κώμων, Isth. VI 84.

14. ἐν οὐρανῷ. Non cum ἔργων conjungendum est, ut Heynio placet, vertenti omnium dispensatrices, quae fiunt in coelo: sed cum ταμίαι, θέμεναι et σέβοντι, id est cum tota sententia: ipsarum Gratiarum locus et officium in Olympo canitur.

16. παρὰ Πύθιον. Scholiastae memorant, Delphis Gratias ad dextram Apollinis positas fuisse. Quam memoriam nec alio testimonio confirmatam reperio, nec hujus loci esse credo: verum quomodo apud Homerum Il. I 604 Musae adsunt in Olympo Apollini, sic hoc loco a Pindaro Gratiae cum illo Deo conjunguntur.

19. Ἀγλαΐα. Gratiae hic iis nominibus a Pindaro appellantur, quibus ab Hesiodo Theogon. 909, apud quem pariter sunt Jovis filiae. Et Pausanias L. IX C. XXXV 1 eas Gratias, queis Eteocles primus sacra fecerit, numero dicit fuisse tres, nomina vero earum non tradi: apud alios fuisse alium numerum, quarum nomina refert ab Hesiodo et Pindaro diversa.

21. ἐπάκοοι. Intelligi γένεσθε vel simile, facile apparet. Praesentes exaudite preces nostras, ut vs. 6. Similiter apud Aristophanem Thesmoph. 1157 chorus Deas advocat

εἰ γὰρ πρότερόν ποτ' ἐπηκόω
ἤλθετον, νῦν ἀφίκε-
σθον ἱκετεύομεν ἐνθάδ' ἡμῖν.

Aliter apud Aeschylum Choe. 980.

22. ἰδοῖσα. Grammatice ad Thaliam pertinet, sed

sententia et invocatio ad tres Gratias referenda est: etiam vs 28 σεῦ eodem modo positum est.

23. κῶμον. Festum chorum victoriam carmine celebrantem, vel ipsum carmen festum et laudativum. Cf. Ol. IV 15, ubi precatur Poeta Jovem, ut propter Gratias κῶμον recipiat.

23. ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ. Praepositio vel exspectationem eventus futuri significat, ut Aesch. Choe. 868

εἴη δ' ἐπὶ νίκῃ:

vel causam rei praesentis, ut apud nostrum Py. I 162 θυμὸν βαρύνει ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις. Posterior hoc loco significatio est: εὐμενὴς τύχα est sors praesentis victoriae. Ergo haec pertinent ad κοῦφα βιβῶντα. Si prior significatio h. l. valeret, non, ut Tafelio placet, cum ἰδοῖσα conjungerem, sed cun ἐπάκοοι.

23. εὐμενεῖ τύχᾳ. Plato de Leg. L. VII p. 813 a ἐπιμελείσθω μετὰ τύχης εὐμενοῦς.

24. κοῦφα βιβῶντα. Ipse incessus in choris magna pars habebatur musicae. Quin Py. I 4 appellatur βάσις ἀγλαΐας ἀρχά. Et Plato de Leg. L. II 654 b totam chori actionem in pedibus non minus quam in voce consistere docet: χορεία γε μὴν ὄρχησίς τε καὶ ᾠδὴ τὸ ξύνολόν ἐστιν. Κοῦφα autem pedum agilitatem significat: convenit Hom. Il XII 158 de Deiphobo bellatore: κοῦφα ποσὶ προβιβάς. Et Hesiod. Sc. H. 323 de Hercule in currum adscendente: κοῦφα βιβάς. Conf. Xenoph. Anab. L. V C. IX 5 de Thracum saltatione: ἥλλοντο ὑψηλά τε καὶ κούφως.

24. Λυδίῳ. Cf annotatio ad Ol. V 44.

26. μελέταις. Carmine meditato et cogitato.

27. ἔμολον. Non ex hoc verbo efficiendum est, ipsum

Pindarum venisse Orchomenum et choro praefuisse: significatur tantum donatio carminis. Cf Ol. I 16, Ol. VII 24.

28. σεῦ ἕκατι. Cf. Isth. IV 1

Ἔστι μοι θεῶν ἕκατι
μυρία παντᾶ κέλευθος:
Py. V 10 ἕκατι Κάστορος:

Aesch. Choe. 436 ἕκατι δαιμόνων.

29. Ἀχοῖ. Divinam personam induit. Ad loci sententiam cf Ol. VIII 106.

31. υἱὸν εἴπῃς ὅτι. Graecis saepe propria constructio. Affert scholiasta recentior exempla Eurip. Hec. 965

εἰπὲ Πολύδωρον εἰ ζῇ:

Aristoph. Nub. 95 τὸν οὐρανὸν
λέγοντες ὡς ἔστι πνιγεύς:

et 143 ἀνήρετ' ἄρτι Χαιρεφῶντα Σωκράτης
ψύλλαν, ὁπόσους ἅλλοιτο τοὺς αὑτῆς πόδας.

Addere licet ex ipso Pindaro

Py. IV 10 χρῆσεν Βάττον, ὡς ἤδη κτίσσειεν.

32. οἱ. Potest cum ἐστεφάνωσε conjungi, ut honor filii etiam ad patrem pertinuerit: sed cum υἱὸν conjungendum puto, ut dativus sit quasi instar genitivi: similiter Ol. IX 25 Θέμις θυγάτηρ τέ οἱ Εὐνομία.

33. κόλποισι. Convalles significantur: nam mons ibi fuit Cronius: cf Ol. I 179, Ol. X 59.

35. πτεροῖσι. Serta caput late ornantia. Similiter Py. IX 220 πτερὰ νικᾶν.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 46 lin 15 bis senas *lege* sex geminas

P. 230 l. 13 bis senas *l.* sex geminas

P. 231 l. 17 quo carmine careret ille vir nanciscens civium non invidorum cantus jucundos? *l.* quo praeconio careret ille vir neque id nancisceretur in civium non invidorum cantibus jucundis?

P. 231 l. 24 prompta lingua *l.* lingua

P. 232 l. 9 in rhedam escendamus *l.* ducamus rhedam

P. 232 l. 28 partu *l.* utero

P. 233 l. 3 hominibus. *l.* hominibus: neque unquam progeniem occasuram esse.

P. 233 l. 21 altissima *l.* summa

P. 234 l. 4 florifera *l.* florida

P. 237 l. 25 lapidea decreta habent *l.* lapideus calculus habet

P. 240 l. 22 cantum *l.* festum

P. 243 l. 12 Puero pugili. *l.* Pugili.

P. 243 l. 21 rationem solvemus *l.* honorem persolvemus

P. 245 l. 8 Illustravit *l.* Jamque illustrabat

P. 245 l. 13 fervens *l.* molle sonans

P. 246 l. 2, 3 Agesidamo Puero pugili. *l.* Eidem Agesidamo.

P. 249 l. 16 Prosiluit *l.* Agitatus prosiluit

P. 250 l. 2 turbinem *l.* impetum

P. 384 l. 4 Convenit etiam Lucianus, Deorum Dial. XXIV 1 μηδὲ νυκτὸς καθεύδω μόνος τῶν ἄλλων.

P. 387 l. 30 Conf. Aesch. Choe. 944 ἀναφυγὰς ὑπὸ δυοῖν μιαστόροιν, et quae ibi annotavimus.

P. 456. l. 31 Conf. Ol. XII 26 ἐκ Πυθῶνος.

P. 482 l. 15 Ad Il. XVIII 326 conf. Aeschines, qui eo ipso loco utitur, adv. Timarchum, p. Steph. 20, stereot. 68, 69.

P. 501 l. 14 Eadem traduntur a Pausania, L. II C. XV 1.

P. 502 l. 7 Conf. Ovid. Fast. VI 465

Crassus ad Euphraten aquilam natumque suosque
Perdidit et leto est ultimus ipse datus.

P. 520 l. 18 Xenophonti *l.* Thessalo

Codices manuscriptos nec ipse conferre potui, neque etiam ex editorum testimoniis adhuc ita accurate cognoscere, ut optaveram, nec quae sit singulis auctoritas tribuenda. Verum in annotatione critica etiam usus sum Ahlwardti testimoniis de Codicibus manuscriptis Neapolitanis: memoratur autem in editione Pindari Disseniana altera, a Schneidewino curata, Vol. I pag. CIII, Liber Freesii de codd. Pindari Neapolitanis, Stargardi 1835: et patefactum esse dicitur, illos codices ab Ahlwardto ipso confictos esse. At equidem illo Freesii libro nondum uti potui.

Quae loca scriptorum in commentario attuli, eorum partim me debere editoribus et commentatoribus Pindari et Lexicis, facile intelligitur: nec tamen fere adjeci nomina vel Heynii, vel Boeckhii, vel Tafelii, vel aliorum: neque enim id vel ad illorum laudem necessarium vel ad Pindari intelligentiam utile mihi videbatur, in volumine jam satis magno.

CONSPECTUS.

ERRATA.

Pag. 81 nota l. 5 vine *l.* vide
P. 60 l. 9 δ' *l.* δ'
P 112 not. l. 11 *νικαφόρῳ l νικαφόρῳ*
P. 124 l. 5 Τυνδαρίδαις *l.* Τυνδαρίδαις
P. 139 l. 8 Εὐ *l.* Εὖ
P. 142 not. l. 22 *ναύταις l. ναῦταις.*
P. 146 not. l. 1 edidit *περ. l.* edidit *περ,*
P. 146 not. l. 4 *πρόθεριν l. πρόθεσιν*
P. 168 l. 5 δυσπαλές. *l.* δυσπαλές·
P. 181 l. 14 *παραγορεῖτο, l. παραγορεῖτο*
P. 186 not. l. 1 *ἀλιτοξένων l. ἀλιτοξένων.*
P. 187 not. l. 9 *χέρειν l. χέρειν.*
P. 191 not. l. 4 Ἀφανὲς *l.* Ἀφανὲς
P. 194 l. 9, 10 *ἀγερώχου, κελαδησόμεθα l. ἀγερώχου κελαδησόμεθα,*
P. 203 l. 9 *καλὰ τε l. καλά τε*
P. 210 l. 7 *τεινων l. τείνων*
P. 231 l. 15 lncentem *l.* lucentem
P. 242 l. 15 Thedidis *l.* Thetidis
P. 283 l. 4 866. *l.* 166.
P. 401 l. 26 habuissc *l.* habuisse
P. 443 l. 18 23 *l.* 13
P. 459 l. 27 Ol. X 89 *l.* Ol X 84
P. 486 l. 23 52 *l.* 152

C. C. L. B.